

8
7 C
17



R. P.

# MAXIMILIANI SANDAEI

*E SOCIETATE IESV*

*Doctoris Theologi*

# THEOLOGIA MYSTICA.





MOGVNTIÆ,

Impensis Ioannis Theobaldi Schonwetteri.

ANNO M. DC. XXVII.

REVmo & ILLmo

PRINCIPI, AC DOMINO

# GEOR. FRIDERICO

S. SEDIS MOGVNTINÆ

# ARCHIEPISCOPO,

S. ROM. IMP. PER GERM.

*ARCHICANCELLARIO ELECTORI*

ET

WORMATIENSI EPISCOPO

*MAXIMILIANVS SANDÆVS GVBERnationem felic.*



VÆ de THEOLOGIA MYSTICA scribere aggressus Moguntiæ, perfeci Herbipoli ad Celnem Vram mitto, GEORGI FRIDERICE, Princeps Elector, hoc Archiepiscopatus à TE suscepti, & anni recens inchoati exordio. Tum, vt Celni Vræ dignitatem, qua, post Cæsaream, non habet ampliorem Imperium, sincere gratuler. Quod officii putabam esse hominis in ea Religiosorum societate enutriti, quam caram habuisti semper, & nunquam patrocinio es dedignatus. Tum, vt inter tot incolas, & aduenas, priuatis siue litteris, siue salutationibus, adfectum suum intus latentem demonstrare foris gestientes, & ego minimus licet, non ignotus tamen, adreperem, ac post sacræ manus osculum, publice scripto testatum facerem, non deleri temporis lapsu, vel absentia, Humanitatis à Principe olim exhibitæ inclientulo memoriam. Tum, vt anni exorientis lucem Celni Vræ candidam optem, & constanter faustam: non animo tantum: quod iam dudum feci, postquam de optatissima electione nuncium huc est perlatum: verum etiam deuotæ

mentis indice, calamo: &, quod à Christianis, religiosisque institutis non abhorret, sacro ingenioli, seu strenæ, seu xenij nomine, munusculo. Tum denique, quoniam IOANNI SCWICHARDO, æternæ memoriæ Principi primum Theologicarum Commentationum volumen dicaui, cum inter mortales ageret, vt illo ad immortalium felicitatem, quod opinamur, tralato, ei, cuius lampadem tradidit, tertium non disparis formæ codicem consecrarem. Censebam etenim optandum esse, vt ejusdem argumenti volumina, ejusdem Sedis, ac dignitatis Antistites, ac earundem virtutum Principes, nanciscerentur Patronos.

AT quid ego *Theologiam Mysticam* commendo, legendamque obtrudo Archipræsuli negociosissimo? quem diurnæ nocturnæque occupationes: & tot aduentantium, momentis pene singulis, interpellationes ita distentum habent, vt vix vnquam secum posse morari in ocio, & consistere in tranquillæ quietis portu videatur. Si qua autem Theologiæ pars, certe *Mystica* imprimis ocium flagitat, & à turbis secessum: in solitudine, quam in aula, foro, tribunali agenti accommodatior.

SINT hæc ita. Sed me haud inepte facere, prudens Claræuallensis Abbatis factum demonstrat. Hic Eugenio ad Pontificatum adsumpto, &, quod inde consequi est necesse, Ecclesiarum omnium solicitudine in mille cogitationum occupationumque diuersissimarum amfractus violenter distracto, sub initijs oneris immensi, libros de Consideratione inscripsit: id est, lucubrationes suas de *Mysticâ Theologiâ* consecrauit, & lectitandas obtulit. Est enim Consideratio prout illam Bernardus describit, ipsissima medulla Theologiæ Mysticæ. Imò hæc non est aliud, quam Contemplatio diuina.

CONSILII a sui causās S. Abbas hanc tradit, quæ me ēt tuetur. Subit animum dictare aliquid, quod TE, Papa Beatissime, vel delectet, vel ædificet, vel consoletur. Vnde autem incipiant?

am? Libet ab occupationibus tuis: quia in his maxime condoleo tibi. Noui quibus delitijs dulcis quietis tuæ non longe ante hac fruebare. Non potes dissueuisse, ita subito non dolere nuper subtractas. Plaga recens dolore non caret. Inuitus, ni fallor, auelleris à tuæ Rachelis amplexib. & quoties id pati cótigerit, toties dolor tuus renouetur necesse est. At quádo nó contingit? De mane vsque ad vesperam litigantes audiuntur, vel litigatur. Et vtinam diei sufficeret malitia sua. Vix relinquitur necessitati naturæ, quod corpusculi pausationi sufficiat, & rursum ad iurgia surgitur. Dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam. Vsque adeo non est respirare in bonis. Non est alternam capessere requiem: non vel rara interseri ocia.

QVOD Ecclesiastic● Principi pro tantis malis remedium? Pergit Bernardus & monet Episcoporum Episcopum. Non totum TE oportet, nec semper dare Actioni; sed Considerationi aliquid tui & cordis, & téporis sequestrare: hoc est, aliquid quotidie Mysticæ Theologię tribuere. Siquidem hęc primum quidem; ipsum fontem suum, i.e. mentem de qua oritur, purificat. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat. Postremo, diuinarú pariter & humanarú rerú scientiam confert. Hæc est, quę confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est, quæ agéda præordinat, acta recogitat: vt nihil in mente resideat, aut incorrectú, aut correctione egés. Hæc est, quæ in prosperis aduersa præsentit: in aduersis, quasi non sentit: quorum alterum Fortitudinis, alterum Prudentiæ est. Hæc item est, quæ inter voluptates & necessitates media, quasi quædam arbitra, sedens, vtrimque certis limitibus disterminat fines: istis adsignans, & præbens, quod sat est: illis, quod minus est, demens, & sic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt Temperantiam. Tandem, eadem ad Iustitiam

)( 2 erudi-

eruditur, dum sui cognitionem ingenerat. Se enim prius necesse est quilibet cogitet, ut ex se normam ducat iustitiæ: nec factura utique alteri, quod sibi fieri nolit, nec quod sibi velit fieri, negatura. In quibus duobus liquet integrum esse iustitiæ statum.

SED laudatorem Mysticæ agere modo, aut texere encomium, non est animus. Causas inquiro solum, quibus eximar à temeritatis suspicione, dum, quod maxime ocium requirit, ego maxime negocioso in Imperio, post ejus Caput, Principi, censendum offero. At, quid angor animi? Nouit Cel^do V^ra Ecclesiastici Principis esse nunquam, licet difficillimis Reipublicæ temporibus, ita in Actionem se effundere, quin non nihil etiam temporis subcessiui Contemplationi, lectioni, scriptionique seponi possit. Id quod Cel^nem V^ram jam assuetam principalibus curis facturam, cur non augurer? Voueo sane, Et ea Cel^ni V^ræ in Archiepiscopali sede, & Electorali Cathedra precor tempora, quibus & ACTIONI multum, ad Ecclesiæ totius bonum, ac Imperii tranquillitatem: CONTEMPLATIONI vero non parum, ad sui Consolationem possit tribuere. Voto annue MAGNE DEVS! & GEORGIVM FRIDERICVM Principem bonis omnibus, quod potes, accumula. Herbipoli Kalendis Ianuar. Anno Christiano M.DC.XXVII.

R^mæ & ILL^mæ CEL^nis V^ræ

deuotiss.

M. S.

RE-

# RELIGIOSIS CONTEMPLATIONI DIVINÆ DEDITIS.

## DE CAVSA, SCOPO, NEXV, ARGVMENTO OPERIS.



*ALE audit apud nonnullos* THEOLOGIA MYSTICA, *quam Vos præcipue colitis, solitudinis incolæ religiosissimi. Spargitur passim invidiose ea Disciplina contineri multa Philosophorũ scitis contraria: haud pauca Theologiæ Scholasticæ certis assertionibus aduersa: plurima in alijs sapientum exedris inaudita: occurrere pleraque vocabula horrida, spinosa, non intelligibilia: latere etiam fortasse in ea aliqua cum ratione recta minus conuenientia. Scientiam eam esse, si sic vocari debeat, periculo plenam, si doceatur, multo magis, si in vsum veniat: Eius amatores illusionibus esse obnoxios. Siquidē, ea illecti, ad ecstasin, raptum, liquefactionem, vnionem, penetrationem, exultationem, iubilum, Dei contactum, gustum, amplexum, osculum, ingressum in diuinam caliginem, introductionem in* DEI *Cellaria, ebrietatem spiritus, alienationem mentis, ipsumque pene delirium aspirant.*

VIDENTVR *gloriari Mystici, quod Deum amplius ament, quã intelligant. Quod sine actu intellectus voluntate sola Deum percipiant. Quod intellectu æque ac voluntate, sine ullis tamen actibus elicitis, diuina patiantur. Quod fruantur contemplatione pura, sine ulla conuersione ad phantasmata. Quod dum abscorpti hærent in diuina caligine.*

*ligine, à Deo agantur: Spiritus autem viribus actioneque sua destituatur: imo moriatur anima ac propriam formam amittat: & nihilo minus Deum, etiam intuitiue, aliquando videant.*

*HAEC à Sapientiæ absconditæ ignaris, vel ludibrio habentur, vel ad inuidiam exaggerationib. extolluntur, sicque traducitur flos ille religiosi germinis, decus ac ornamentum gratiæ Spiritualis, læta indoles laudis & honoris, illustriorportio gregis Christi: ac multi ea propter, à Vita contemplatiua, & Dei iucundissima fruitione, ad quam vos magnis conatibus enitimini, Religiosi Patres, retrahuntur.*

*QVAE me causa impulit, vt absoluta THEOLOGIA SYMBOLICA Magnum Areopagitam sequutus, in Mysticam diligentius inquirerem. Et lectis eius disciplinæ, magistrorum libris, qui hodieque supersunt, ac excussis illorum dicendi formulis, ac animi, quantum licuit, sensis exploratis, ad Philosophiæ, ac Scholasticæ normam omnia exigerem. Quod dum facio, fateor, me reperire in ijs multa quæ vulgus non capiat: multa, quæ profane doctis paradoxa videri possint: multa, quæ admirationem pariant: Nihil, quod si bene intelligatur, & pium habeat interpretem, ac explanatorem minime malignum, falsitatis, aut impietatis titulo merito condemnari debeat. addo: Nihil, quod cum Philosophorum, & Scholasticorum enunciatis non probe conueniat.*


*QVAMOBREM pergite porro, Angeli terrestres, & in optima, quã elegistis, parte ætatem jucunde transigite: nec vllis ignorãtiæ sermonib. aut maleuolentiæ cauillis abincitatissimo ad diuinæ cõtēplationis epulas cursu, desistite: meque feruentissimis vestris orationib. quibus tribuo plurimum, DEO, cui soli honor & gloria, commendate.*

*Vobis*

*addictiss.*


*M. S.*

MAXI-



# LECTORI.

QVADAM *in hoc Volumine minus accuratè impressa, vel expressa reperies. Caussæ sunt: absentia Auctoris: amanuensium allucinatio: typothetarum ruditas; correctorum incuria. Hinc factum, vt citationes non paucæ, præsertim Sacræ Scripturæ, quod minimè decuisset sint inuersæ, & sic falsæ, si numeros spectes, contra fidem mei exemplaris. Nimirum, mos mihi est, quem in primo volumine Lectorib. indicaui, numerum primum Latinis signis exprimendi; postremum Arabicis, quas* cifras *vocamus. Huius ignarus characterum locator, confudit multa: latinis numeris Arabicos substituens imperitè. Vnde nonnunquam ex II. fecit vndecim. Qua versura è III. fiunt centum vndecim: & similis aberratio in aliis. Eiusdem incogitantia omissa fuit* Approbatio, *quam in omnibus meis libris præposui. De quibus Te monitum volui ac valere.*



## APPROBATIO

*R. P. Præpositi Prouincialis Prouinciæ Rhenanæ superioris.*

Libros III. de Theologia Mystica à P. *Maximiliano Sandæo* Societatis IESV Theologo conscriptos, atque à deputatis ad id Theologis lectos, & approbatos, Ego *Ioannes Copperus* Societatis IESV in prouincia Rhenana superiore Præpositus Prouincialis, concessa mihi potestate ab Admodum R. D. N. *Mutio Vitellesco* Generali Præposito, typis mandari permitto. Spiræ 24. Augusti, Anno 1626.

IOANNES COPPERVS.

# CATALOGVS

## Librorum, Commentationum, Exercitationum, Disquisitionum.

### LIBER I. *De Theologiæ Mysticæ Etymo, Acceptione, Subiecto, Partitione, Functionibus.*



DISQVI-

VII. Quo-

IV. Quomo-

---

## *LIBER II. THEOLOGIÆ MYSTICÆ CONTINENS Mysticæ Theologiæ Synonyma, Gradus, adnexa, Effectus.*



Exercit.

V. An

## Liber III. *Theologia Mystica, In quo agitur de illius habitu, obiecto, proprietatibus, Fructu.*



SANCTI

# SANCTI

## *DIONYSII AREOPAGITAE EPISCOPI ATHENIENSIS ad Timotheum Pontificem Ephesinum De Mystica Theologia,*

### LIBER.

Caput I. Quæ diuina sit Caligo.
II. Quomodo oportet & coniungi, & laudes tribuere Auctori omnium, & qui superat omnia?
III. Quæ affirmantes de Deo orationes, quæ negantes?
IV. Nihil esse eorum, quæ sub sensum cadunt Auctorem omnium, quæ percipiuntur sensibus.
V. Nihil esse eorum, quæ ratione intelliguntur Auctorem omnium, quæ animo cernuntur.

Dionysius Areopagita Caio Monacho, Epist. I.

Dionys. Areopag. Eidem Caio Monacho. Epist. II.

Dorotheo Ministro. Epist. V.

S.
D. I.
H. E. G.

# INDEX

## *Auctorum qua veterum, qua recentium.*



b 3 Clarius

Plato.

# INDEX

## *Locorum Sacræ-Scripturæ.*

### *Genesis.*

meo femper: quoniam à dextris mihi eft, ne commouear.

Pf.41.3. fitiuit anima mea ad Deum fontē viuū.

Pfal. 30. 21. abfcondes eos in abfcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.

Pfal.131.8. furge Domine in requiem tuam, tu & arca fanctificationis tuæ.

Pfal. 17.10. inclinauit cælos & defcendit: & caligo fub pedibus eius.

Pfal. 96.2. nubes & caligo in circuitu eius.

Pfal.5.8. væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.

Pfal.96. 2. nubes & caligo in circuitu eius.

Pfal. 73. 16. O Domine tuus eft dies & tua eft nox.

Pfal. 4. in pace in idipfum dormiam & requiefcam.

Pfal.16 Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Pf.114.7. conuertere anima mea in requiem tuā.

Pfal. 131.14. hæc requies mea in fæculum fæculi.

Pfal.138.7 quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam

Pfal.81.6 ego dixi Dii eftis.

Pfal.72.21. ego ad nihilum redactus fum.

Pfal.123 7. anima noftra ficut paffer erepta eft de laqueo venantium.

Pfal 8.2. quam admirabile eft nomen tuum in vniuerfa terra.

Pfal. 21. 15. factum eft cor meum ficut cera liquefcens.

Pfal.69.5. montes ficut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.

Pfal. 57. ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens, ficut cera quæ fluit auferentur.

Pfal.74.4 liquefacta eft terra & omnes qui habitant in ea.

Pfal.33. guftate & videte quā fuauis eft Dominus.

Pfal 44. 11. audi filia & vide & inclina aurem tuam.

Pfal.94.8. hodie fi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veftra.

Pfal 115.2. ego dixi in exceffu meo.

Pf l.30.23. ego dixi in exceffu mentis meæ.

Pfal.62.2. fitiuit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea.

Pfal.5.5. mane aftabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Pfal.26.4. vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

*Prouerbiorum.*

Prouerb.15.2. os fatuorum ebullit ftultitiam.

Prouerb.30.1. verba congregantis filij vomentis.

Prouerb. 29. 11. totum fpiritum fuum profert ftultus.

Prouerb.8.17. ego diligentes me diligo.

Prouer.23.35. verberauerūt me fed non dolui: traxerunt me, & ego non fenfi.

Prouer.19 15. pigredo immittit foporem, & anima diffoluta efuriet.

*Ecclefiaftes.*

Eccleſ.3 19. vnus interitus eft hominis & iumentorum & æqua vtriusque conditio.

*Canticum Canticorum.*

Cantic 1.1. ofculetur me ofculo oris fui.

Canticor. 5.1. Comedite amici, & bibite, & inebriamini Chariffimi.

Cantic. 3. 1. in lectulo meo per noctes quæfiui quem diligit anima mea.

Cantic. 2.7. ad iuro vos filiæ Ierufalem, per capreas ceruosque camporum, ne fufcitetis neque euigilare faciatis dilectam, quo ad vfque ipfa velit.

Cantic.1 9. collum tuum ficut monilia, murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

Cant.5.2 ego dormio & cor meum vigilat.

Cantic.2 16 dilectus meus mihi & ego illi, qui pafcitur inter lilia.

Cantic.2.5. fulcite me floribus, ftipate me malis: quia amore langueo.

Cantic. 2 3. fub vmbra illius, quem defideraueram, fedi:

Cantic.7.10. ego dilecto meo, & ad me conuerfio eius.

Cantic 5. 6. anima mea liquefacta eft, vt locutus eft.

*Sapientia.*

Sapientiæ 17.5 ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere.

Sapientiæ 3.10. & à Domino receſſerunt.

Sapientiæ 2.2 ex nihilo nati fumus, & poft hoc erimus tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus eft in naribus noftris.

Sapientiæ 16.12. etenim neque herba, neq; malagma fanauit eos, fed tuus Domine fermo qui fanat omnia.

*Ecclefiafticus.*

Eccleſ 42.14. melior eft iniquitas viri quam mulier benefaciens.

Eccleſ.18.19. antequam loquaris difce.

Eccleſ. 18. 6. Cum confummauerit homo tunc incipiet.

Eccleſ.24.11. in his omnibus requiem quæfiui & in hæreditate Domini morabor.

Eccleſ.44.16. Henoch placuit Deo, & translatus eft in paradyfum, vt det gentibus pænitentiam. *Ifaias.*

Ifaiæ 40.2. loquimini ad cor Ierufalem, & aduocate eam.

Ifaiæ 8.17. expectabo Dominum, qui abfcondit faciem fuam, & præftolabor eum.

Matthæi

Matthæi 12. 35. bonus homo de bono thesauro profert bona.
Matthæi 9. quis me tetigit.
Matthæi 1. 20. Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam Coniugem tuam quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est.
Matthæi 4. 4. non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

*Marcus.*

Marci 3. 21. & cum audissent sui, exierunt tenere eum.
Marci 13. 37. quod autem vobis dico, omnibus dico vigilate.

*Lucas.*

Lucæ 8. 10. vobis datum est nosse mysterium regni Dei.
Lucæ 10. 42. Maria optimam partem elegit.
Lucæ 17. 21. ecce enim regnum Dei intra vos est.
Lucæ 10. 16. qui vos audit me audit.
Lucæ 11. 28. quin imo beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.

*Ioannis Euangelium.*

Ioannis 17. 5. & nunc clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quã mundus esset apud te.
Ioannis 1. 45. cum esses sub ficu vidi te.
Ioannis 14. 8. Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis.
Ioannis 14. 23. si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum.
Ioannis 4. 14 sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aq æ salientis in vitam æternam.
Ioannis 15. 5. ego sum vitis vos palmites.
Ioannis 15. 14. vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.
Iohannis 14. 21. qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.
Iohannis 16. palam de patre meo annuntiabo vobis.
Iohano. 6. 65. verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt.

*Actus Apostolorum.*

Actuum 17. 28. non longe est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.
Actuum 22. 17. factum est reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo fieri instupore mẽtis
Actuum 10. 10. cecidit super eum mẽtis excessus.
Actuum 8. 39. Spiritus Domini rapuit Philippum.

*Epistola B. Pauli ad Romanos.*

Rom. 1. 19. quod est Dei, manifestum est in illis, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.
Rom 1. 21. quia cum cognouissent Deũ non sicut Deum glorificauerunt,
Rom 1. 23. dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.
Rom 11. 33. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius.
Rom. 8. 34. Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei interpellat pro nobis.
Rom. 15. nihil audeo loqui eorum quæ per me nõ efficit Christus.
Rom. 13. 11. hora est iam nos de somno surgere.
Rom. 5. 5. charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.
Rom. 12. 2. nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri vt probetis quæ sit voluntas Dei bona.
Rom. 8. 14. quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.

*Epistola B. Pauli ad Corinthios.*

1. Ad Corint. 13. 2. si nouerim mysteria omnia & omnem Scientiam &c. charitatem autem non habuero nihil sum.
2. ad Corint. 3. 18. nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.
1. Corint. 13. 9. ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus.
1. Corint. 13. 12. videmus nunc per speculum in ænigmate.
1. ad Corint. 2. 11. ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei.
1. ad Corint. 12. 8. alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ.
1 Corint. 6. 17. qui autem adhæret Domino vnus Spiritus est.
2 ad Corint. 5. 4. ingemiscimus grauati eo quod nolumus expoliari sed superuestiri vt absorbeatur quod mortale est à vita.
1 ad Corint 2 10. nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.
2. ad Corint. 2. 15 quia Christi bonus odor sumus Deo.
1. Corint. 13. 12. tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.
1. Corint. 15. euigilate Iusti & nolite peccare.

*Epistola B. Pauli ad Galatas.*

Galaticæ 2. 20. viuo autem, iam non ego: viuit vero in me Christus.

*Epistola B Pauli ad Ephes.*

Ad Ephes. 3. 18. vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum.
Ad Ephes. 4. 6. vnus Deus & Pater omniũ qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.



# INDEX
## RERVM PRÆCIPVARVM.



*Anima*

D.

*Gradus*

Intelle-

Prægusta

S.
D. I.
H. E. G.

# MAXIMILIANI
## *SANDÆI*
# THEOLOGIÆ MYSTICÆ
## *LIBER PRIMVS,*
### IN QVO DISQVIRITVR DE MYSTICÆ Theologiæ Etymo, Acceptione, Subiecto, Partitione, Functionibus.

# COMMENTATIO
## PRIMA.
## *THEOLOGIÆ-MYSTICÆ ETYMON, & Acceptio.*

## EXERCITATIO I.
### *Quid ex vi nominis ſit Theologia-Myſtica?*

1 SI nomen ſpectes, Μυστήριον, Græcis idem eſt, apud Arcanum: ad ſacra pertinens: quod nefas ſit communicare, niſi initiatis. Μυστήριον apud Paulũ Apoſtolũ, τὸ ἀπόρρητον, καὶ θαυμαστὸν, καὶ ἀγνοούμενον, inquit Chryſoſtomus. Hinc ſumitur pro Iuramento; & à Græcis Theologis, pro ſacramento. vnde dicatur, ac quæ propria ſit nominis originatio, non eſt hic anxie definiendum. *Vox Myſterium quid Græcis μυστήριον.*

Certe, ſiue Myſterij nomen formatum ſit ἀπὸ τοῦ μύσιος : id eſt, execratione, ſeu abominatione , quam olim Dionyſio accidiſſe ferunt: ſiue à Myonte quodam Attico, quem in venatione periiſſe perhibent: ſiue ab ipſa venatione, vt μυστήρια dicta fuit quaſi μυθήρια : ſiue diu quis opinetur μυστήρια quaſi murium latebras, quia μῦς τηρεῖ, id eſt, mures ſeruent: ſiue à μύω, quod eſt claudo : & στόμα, quod eſt, os : quaſi *Etymon vocis Myſterium.*

μυστήρια silentio honoranda sint: siue denique à μύειν,& τηρεῖν, id est abscondere, seruare; constat eo vocabulo occulta quædam sacra designata fuisse, vt ex Platone demonstrat Clemens Alexandrinus. Theodoretus autem aliiq; non pauci, quicquid occultum Mysteriũ vocari censent: atq; ita vsurpatum Lucæ VIII. 10. Vobis datũ est nosse Mysteria regni DEI,& 1. ad Corin. XIII. 2. Si nouerim Mysteria omnia. & ad Eph. 1. 9. vbi Latinus habet sacramentum voluntatis. Græce est μυστήριον, id est arcanum, occultum, abditum.

Ab eo autem nomine dicitur Μυστηριώδης, cui subest mysterium. Et, Μυστηριακὸς hoc est Budęo interprete, Arcanus, secreta tegẽs. Et tãdẽ.

Μυστικὸς, Mysticus, Mysterium habẽs, continens, in quo latet arcanũ, quomodo apud Pollucem dicuntur, μυστικαὶ ἡμέραι. Gregorius Nazianzenus, καὶ ἅμα μυστικός τις καὶ ἀπόῤῥητος οὗτος ὁ λόγος. Adverbium etiam μυστικῶς Mystice, idẽ est, quod, cum mysterio. Itaq; THEOLOGIA MYSTICA, dicitur illa, ex vi nominis, quæ arcanis constat, & Mysteriis: quæ secreta continet: & sub literario cortice, sensuum sacramenta. Hac significatione celebratur cœna Domini Mystica: Beata Virgo DEI para dicitur Rosa Mystica.

## EXERCITATIO II.

### *An Mystica hic eodem sensu vsurpetur, quo Scripturæ-sacræ sensus vnus appellatur Mysticus?*

S. THOMAS 1. P. Quæst. 1. Art. 10. quem sequuntur Theologi cæteri, diuidit sensũ S. Scripturę in LITERALEM, seu HISTORICVM, & SPIRITVALEM. Cum enim, inquit, auctor sacræ-scripturæ sit DEVS, in cuius potestate est, vt non solum voces ad significandũ accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas, hoc habet proprium Scriptura-diuina, quod ipsa res significata per voces ẽt significent aliquid. significatio igitur, qua voces significant res, cõstituit sensum litteralem, estque duplex proprius, & improprius, vel metaphoricus. Altera significatio, qua res significatę per voces, iterũ res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui à recentioribus etiam vocatur Mysticus, vt videre est apud Bellarminum lib. III. de verbo DEI, & Ioannem Azorium Tom. 1. Institutionum Moral. lib. VIII. ca. 2. Q. 5. occasionẽ dedit S. Gregorius li. x. Moral. ca. 1. vbi sic habet: sacra-scriptura omnes sciẽtias ipso locutionis suę more transcendit, quia vno eodemque sermone dum narrat gestum prodit Mysterium.

MYSTICVS autem sensus dicitur esse triplex; ALLEGORICVS, cũ gesta in veteri Testamento significant ea quæ fuerunt gerenda

in

in Nouo. MORALIS, seu Tropologicus, cũ gesta in N. vel V. Testamẽto indicãt ea, quæ nos ipsi facere debemus. ANAGOGICVS, cũ ea, quæ accidunt in Ecclesia militante, circa caput ipsius, hoc est, Christum; vel, circa membra Ecclesiæ, significant ea, quę sunt futura in triumphante, hoc est, in vita æterna.

RESPONDEO itaque. Cum sensus spiritualis ideo Mysticus dici videatur, quod subsit illi mysterium, quod non prima fronte littera præferat, eodem sensu, vi vocabuli, appellari Theologiam Mysticã. Hæc tamẽ non ita cognominatur, q; spectet solum sensum scripturæ Mysticũ, vt ex definitionibus & naturæ explicatione cõstabit.

# COMMENTATIO II. COMPARATIO THEOLOGIÆ MYSTICÆ CVM SYMBOLICA.

## EXERCITATIO I.

### *An Mystica Theologia differat à Symbolica.*

FERVNT Dionysiũ Areopagitũ à Gentiũ Doctore in Theologicis eruditũ de quadrupliciTheologia cõmentationes edidisse. Earũ primã fuisse PROPRIAM, nempę de diuinis Characteribus, ac Personis, nostræque fidei Articulis, quæ adfirmatione exponuntur atq; illustrantur, v. de Incarnatione Verbi, ac similibus, quã non superesse dolendum est. Alteram de Nominibus diuinis secundum essentiam Diuinitatis, quę ad Posteros, scripta peruenit. Sub Theologia Propria autẽ contineri illã partem, quæ agit de spiritualibus substantiis, seu, de Hierarchia cęlesti, &, aliã de Ecclesiastica. Tertiã vero SYMBOLICAM, quæ etiã à Dionysio cõscripta desideretur. Nisi quod plurimis in locis tangat nõ pauca de Symbolis hoc est similitudinibus, translatis ad DEVM. Quartam tandẽ MYSTICAM, quę sit disciplina inueniendi DEVM, per abnegationes, & excessus mentales: tanquam in caligine quadam videatur DEVS, id est, in occulto, vel abscondito.

EGO duo assero. Vnum est: larga quadam acceptione Mysticam, & Symbolicã Theologiã confundi. Atq; ita non raro accipitur à S. Dionysio, Cyparissiota, & recẽtioribus Auctoribus. Cyparissota Decade 1. ca. 1. distinguit ex mente Dionysij Theologiam omnem in Arcanam, seu Mysticam; eamque vocat Symbolicam: & in Demonstrãtem. Christophorus Gillius lib. 1. Tract. 1. cap. 1. ex cõmuni sensu, diuidit eodẽ modo, in Mysticã, seu Symbolicã: & Philosophicã. Benedictus Iustinianus Epistola ad Ephes. ca. v. 32. explicãs illud: Sacramentũ hoc

magnum est. Græce τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶ: scribit Apostolum, Sacramentum ibi accipere pro re abdita, atque occulta: quæque vix ullius oratione explicari queat, vt idem sit Græce μυστήριον quod τύπον, & σύμβολον. Atque inde inquit Mystica, seu Symbolica Theologia: Nisi quod Mysterium nobilius quiddam significet, quam τύπον, aut σύμβολον. Est enim quidpiam à sensibus remotum, quod non facile explicari possit.

ALTERVM, quod dico, est. Mysticam Theologiam bifariam sumi: Primo, generice, atque ita, omnis arcani sensus & significatus de DEO sermocinatio Mystica dicitur, atque Symbolica, quia arcana est mystica: sicque loquuntur Auctores nominati. Secundo specifice & presse. Ita autem Mystica constituit speciem distinctam, à Theologia Symbolica. quod ex iis quæ disputabuntur toto hoc libro clarum fiet.

Perspicue Ioannes Gerson Opusculo de hoc ipso titulo Consideratione prima. Aliqua est THEOLOGIA MYSTICA, vltra eam, quæ vel SYMBOLICA vel PROPRIA denominatur. Ita enim separatim tractauit de ea sub proprio titulo B. Dionysius, à conscio Diuinorum secretorum Paulo doctus. Cum enim scripsisset de *Theologia Symbolica*, quæ vtitur corporeis similitudinibus translatis ad DEVM, vt, quod sit *Leo, Lux, Agnus*, & similia: Secundum quam dicitur OMNINOMIVS. Cum præterea tradidisset *Theologiam Propriam*, per quam ex effectibus repertis in creaturis, præsertim perfectioribus ad extra, consurgimus ad confirmanda aliqua de DEO, vt quod sit *Ens* & *Vita*, à quo omnibus deriuatum est *Esse*, & *Viuere*. Tandem addidit modum inueniendi DEVM perfectiorem ceteris, quo per *Abnegationes*, & per *Excessus* mentales, tanquam in *Diuinâ Caligine* videatur DEVS: hoc est, in occulto & *Abscondito*, vbi posuit tenebras latibulum suum. Quod attendens vnus ex Prophetis sub assertione clamauit: *Vere Tu es Deus absconditus!* Isa. XLV. 15.

Atque hæc *Theologia* dicitur *Mystica*: Mysticum enim interpretatur *Absconditũ*, vel *occultum*. Quod etiam aduertit S. Bonauentura Cap. III de *Mystica Theologia* Part. 4. Et ex recentioribus, Thomas à Iesu Li. V. de Contemplatione Diuina Cap. 12. qui *Mysticam Theologiam*, siue, *Mysticam Visionem*, à D. Dionysio ideo vocari monet, quia & arcana Dei, & occulta notitia est: vt pote, quæ in caliginosa, & occulta cognitione consistat.

EXER-

## EXERCITATIO II.

### *VTRVM THEOLOGIA MYSTIca necessario vtatur Symbolis.*

RESPOND. THEOLOGIAM MYSTICAM specifice acceptam vsurpare quidem vocabula, & loquendi formulas minus vsitatas, notasque in scholis: tamen haud necessarium illi esse vsum *Symbolorum*, quatenus Symbola, distinguuntur à vocabulis quæ sunt rerum signa, & notæ propriæ: *Ratio.* Quia *Theologia Mystica*, siue habitum spectes, siue actum, obit munus suum perfectissime, quamuis imagines, quibus vtitur, sint rerum propriæ, absque vlla figurata translatione. Imo, quatenus sunt magis propriæ, eo melius, expeditiusque negociũ suum perficit. Et si posset circa obiectum suum versari, absq; formarum intellectualium, vllarumue imaginum alienarum interuentu, etiam has sperneret: vt ex iis, quæ de functionibus Mysticæ huius Disciplinæ disputabimus, fiet palam.

# COMMENTATIO III. THEOLOGIÆ - MYSTICÆ DEFINITIO ET DIVISIO.

## EXERCITATIO I.

### *DECSRIBITVR THEOLOGIA-MYstica vniuersim.*

MVLTAS reperio apud Doctores illuminatos siue Definitiones, siue Descriptiones THEOLOGIÆ MYSTICÆ, concinnatas, tum ex aliquo illius principio, tum ex effectu, tum ex proprietate, tum ex officio aliquo, & peculiari operatione, aut circumstantia, vel adiuncto aliquo singulari: ideoque quamuis non omnes naturam illius plene explicent, conferunt tamen singulæ ad nobilissimæ Disciplinæ notitiam aliquam, & essentiam, ac præstantiam quadantenus concipiendam. Sed sunt fere Definitiones Theologiæ Mysticæ Christianæ, de qua postea: latius autem patet ea sapientia, si

vniuerse accipiatur. Itaque breuissime per genus & differentiam generatim accepta ita definiatur:

THEOLOGIA MYSTICA EST NOTITIA CONTEMPLATIVA SAPIDA DEI, AC DIVINORVM. Generis locum occupat NOTITIA, seu, Cognitio, vel Scientia, qua voce non vtor, quia nomen est generalius Notitia: quam non adstringo ad Actualem, vel Habitualem, sed abstraho ab vtraque, vt accipiatur quam latissime. Verum cum omnis siue Habitus, siue Actus in intellectu sit Notitia, & hoc conueniat æque Theologiæ Symbolicæ, ac Scholasticæ, & omni alteri scientiæ, arcto illam adiectiuo, *contemplatiua*. Quo differt ab omni cognitione alia, vel Disciplina, quæ nomen THEOLOGIÆ cum *Mystica* participat. Cõtemplatio enim proprie spectat ad *Mysticam*, vt est certa Theologiæ species, non autem ad Scholasticam, Symbolicam, aut aliã quamlibet. Addidi, SAPIDA. Quæ vox respectum dicit ad voluntatem, in qua singularis quædam est delectatio ex contemplatione. Consentiunt enim DD. hunc saporem ad *Mysticam Theologiam* requiri, vel saltem connotari.

Quæ sequuntur in Definitione ad obiectum spectant: atque idcirco haud negligenda. Siquidem Habitus, & Actus in ordine ad obiecta definitiones sortiuntur. Versatur autem THEOLOGIA MYSTICA circa DEVM, & DIVINA, sicut omnis Theologia ex vi nominis. Quid autem per *Diuina* designetur, loco suo declarabitur.

---

## EXERCITATIO II.

## *DIVIDITVR VARIE THEOLOGIA Mystica.*

PRIMA Diuisio. Theologia Mystica, vt quælibet Scientia, vel Doctrina, alia est ACTVALIS: nempe Notitia ipsa contemplatiua de DEO, ac Diuinis. Alia Habitualis: nimirum, Qualitas in aliquã animæ potentia præbens facilitatem ad Contemplationem Diuinorum.

SECVNDA DIVISIO. Theologia Mystica, vel est NATVRALIS & ADQVISITA: vel SVPERNATVRALIS siue sit Adquisita, siue INFVSA, aut *Per se*, aut *Per accidens*. Naturalem voco, quæ facultate naturali iteratis actibus contemplationum comparatur: aut, naturæ viribus progignitur. Infusa, quæ diuinitus inditur. Supernatu-

naturalis,quæ à principio est, quod vim facultatemque superat.

Tertia Divisio. Theologia-Mystica naturalis secatur commode ex subiectorum diuersitate in Gentilium Philosophorum, & Christianorum,quo nomine designo omnes , vera fide de Deo, quamuis V.Testamenti fuerint,illustratos.

Qvarta Divisio. Theologia-Mystica fidelium alia est Ratiocinativa;alia Experimentativa.Vtor verbis Ioannis Gersonis,qui hanc sectionem instituit,vt doceat,non pugnare Doctores, quorum nonnulli adfirmant: *Solos bonos, ac deuotos cognitionem veram DEI accipere*(Loquuntur enim,inquit,de *Scientia experimẽtatiua* Theologiæ-Mysticæ)Plerique tamen asserunt,multos ex *Theologis nequissimis* scire plura de Deo,quam probos.Sed hi intelligendi sunt de *Ratiocinatiua*.Tum sic fere differit Cancellarius Parisiensis.

Possibile est,hominem minus expertum deuotorum adfectuũ, plus in eorum disputatione eruditum inueniri. Capiatur argumentum à simili.Medicina multa continet, quæ solis nituntur experientiis.Tamen nihil prohibet,quosdam inexpertes talium meliores esse Ratiocinatores expertis. Consulantur & cæci à natiuitate in quibus aliquando reperitur ratiocinatiua cognitio excellens,de multis,quæ per visum solummodo ab aliis habentur.Nonne Didymus exoculatus fuit in Mathematicis versatissimus,vt D.Hieronymus refert, licet earũ notitia multis desit, qui visu valẽt plurimũ? Cur igitur negemus,posse aliquẽ pietati minime addictum , Contemplatiuorum , & Mysticæ-Theologiæ peritorũ scripta diligenter peruoluere , ea examinare,cum aliis conferre:expertorum sensa inuestiga e:vno ex alio diducere:multa colligere, ac sibi imprimere,sicque non mediocrem Mysticæ scientiæ cognitionem,aridam tamen,ac ieiunam adquirere?

Est itaque Theologia-Mystica Ratiocinatiua , Notitia,quæ haberi potest de Deo Diuinisque per ratiocinationem,auditionem,vel lectionem , non penetrans ad adfectum , nec à sciente vsurpata.

Experimentatiua est Notitia,quæ adquiritur de Deo , Diuinisque experimentis propriis in intellectu,& adfectu firmata.Illam fortasse non male appellaueris,*Docentem*:hanc *Vtentem*:ad eum modum, quo apud Philosophos Logica quædam est *Docens*,quam possident,qui Artis illius præcepta ac regulas callent,de ijsque norunt differere ac præscribere:alia *Mens*, qua excellunt,qui dum philosophantur acute regularum formulas scite vsurpant.

Qvinta Divsio, Theologia Mystica vel est *Speculatiua tantum*,

*tum*,&hæc eſt eadem cum *Ratiocinatiua*,vel *Speculatiuo-Practica*,quæ eſt *Experimentatiua*:qualis eſt omnis illa,quæ Titulum confert apud fideles DOCTORIBVS MYSTICIS.



# COMMENTATIO II.
# THEOLOGIA-MYSTICA NATVRALIS

## EXERCITATIO I.
## *AN PHILOSOPHI GENTILES agnouerint Theologiam-Myſticam.*

RESPONDEO: Adfirmate. Probatur. Agnouerunt cognitionem perfectiſſimam quæ naturæ viribus haberi poteſt circa DEVM,ac Diuina. Ergo agnouerunt Theologiam Myſticam. Conſequentia eſt euidens:quia Theologia-Myſtica-Naturalis non eſt aliud,quam iſtiusmodi cognitio. Antecedens eſt manifeſtum ex Ariſtotele,qui hæc de Felicitate ſtatuit,partim lib. I. Ethicæ cap 7. partim lib.x.cap.6.&7.

Primo:Felicitatem eſſe hominis operationem,vt homo eſt;hoc eſt, eius partis in homine,quę ratione eſt prædita.*Secundo*:Cũ duplex ſit operatio partis rationalis,altera Intellectus, altera volũtatis;in illa eſſe formalem,ſeu eſſentialem hominis felicitatem:tum quia eſt operatio, omnium,quæ ſunt in homine perfectiſſima : tum quia maxime ſpectat ad perfectionem hominis,vt homo eſt;nempe, animal rationale: tum quia habet maxime firmitatem,& omnes alias Felicitatis proprietates : tum quia per hanc vnitur homini quælibet perfectio entium ceterorum. Siquidem Anima intelligendo fit omnia aſſimilando ſe omnibus.

*Tertio:* Quoniam intellectus operatio verſari poteſt circa plurima, ac diuerſiſſima obiecta,in illa ſolum conſiſtere Felicitatem , quæ eſt circa obiectum ſumme bonum perfectiſſimo modo. Tum quia hæc ſola operatio habet rationem vltimi:tum quia hæc ſola ſatiat, ac implet capacitatem intellectus humani,quia Ens ſumme bonum continet perfectiones Entium aliorum omnium.

*Quarto:*

*Quarto*: Hanc operationem beatificantem esse Contemplationem DEI. Est enim DEVS summum bonum. Contemplatio autem, perfectissima operatio, quæ per facultatem naturalem exerceri potest.

Lubet fortasse audire Aristotelem. Sed loca indicaui. liber est in manibus. transcribam tamen quæ habet Li. x. Ethicor. Cap. 7. cuius est titulus: Beatam vitam præcipue mentis esse, Sapientiæ & Contemplationis. *Quod si Beatitudo*, inquit, *actio est virtuti congruens, consentaneum est, vt sit optimæ consentanea: quam eandem sitam esse necesse est in parte optima: siue ea quidem mens est, siue alia pars aliqua, quæ naturæ lege imperare debet, ac regere, notitiamque in se rerum honestarum, ac Diuinarum continere: seu Diuina quadam res etiam est; seu in nobis ea nihil est diuinius. In ejus certe actione virtuti propriè consentanea, completa, & absoluta Beatitudo ponetur, quam eandem in Cognitione &* CONTEMPLATIONE *consistere demonstratum est.*

---

# EXERCITATIO II.

## *AN PHILOSOPHORVM GENTILIVM aliqui habuerint Theologiam Mysticam.*

RESPONDEO: Affirmate. Explico & probo. Fuerunt Philosophi nonnulli, cetera praui, & omni vitiorum genere inquinatissimi, in multisq; errantes, qui per ratiocinationẽ ad veri DEI cognitionem peruenerunt, & gradu per Cogitationem ad Meditationem facto, hanc transcendentes in Contemplatione summi Numinis perstiterunt: in ea maximum, ac vltimum huius vitæ bonum, & Felicitatem consistere rati.

Certe clarissime pronunciat Paulus Apostolus: Multa, quæ naturæ viribus percipi de DEO possunt, Philosophis fuisse cognita. *Quod notum est* DEI (Græce, γνωστὸν,) *manifestum est in illis. Inuisibilia enim ipsius* (nempe, Diuinæ naturæ abdita, atque arcana non pauca) *à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque ejus virtus, & Diuinitas.*

Cognouerunt itaque DEVM, ejusque summam Majestatem, Sapientiam, Bonitatem, Misericordiam, aliasque perfectiones, quæ naturali lumine intellectus humani inuestigari possunt. Atq; ita S. Augustinus in expositione quarundam Propositionum in Epistol. ad Romanos: Ambrosius quoque & Anselmus in eandem Epist. cap. primo.

mo. ex Apostoli sententia veri DEI cognitionem Philosophis nonnullis concedunt. Quod etiam admittunt Origenes, Chrysostomus, & Theodoretus: modo, non adfirmetur; omnia ijs fuisse cognita, aç illorum notitiam fuisse non paucis errorum maculis deturpatam.

Neque deerat illis Delectatio, quam Mystica Theologia postulat, quæ est Contemplatio, aut Notitia sapida. Nam & illorum de DEO, ac Diuinis scientia, dici poterat SAPIENTIA, vt obseruat S. Bonauentura Opusculo De Donis Sti Spiritus, Tit. De Dono Sapientiæ. Vbi, *Sapientia*, inquit, *creata quadam est, per studium humanum adquisita, & est virtus intellectualis, de qua Aristoteles in Metaphysica. Et potest dici* Sapientia aliqualiter, *cum in ea* SAPOR *quidā inuenitur. Habet enim Philosophia admirabiles delectationes, vt dicitur in Ethicis. licet sapor ille non sit oleo gratiæ conditus.*

Potest etiam illa Sapientia per rationis inquisitionem aliqualiter rectum iudicium circa aliquas res Diuinas habere, licet incomplete, vt ostendit Hugo Victorinus Comment. super Cælest. Hierach. Cap. 1. quo loco ita disserit. Philosophis datum fuit, propter nos, quibus consummatio seruabatur, & inchoatio parabatur, vt inuenirent veritatem illam quam oportuit suscipere filios vitæ ad obsequium summæ veritatis, cuius labor ipsis appositus est, nobis autem fructus seruatur. Nouissime autem Theologiam quandam pro ratione Diuinorum, & scrutatione Inuisibilium, quasi consummaturi Sapientiā adduxerunt, & ibi corruere cœperunt in mendacio figmentorum: & ideo defecerunt, & euanuerunt. Aliquam igitur Philosophis contemplatiuam Sapientiam, & quod inde consequens est, Theologiam aliqualiter Mysticam adscribit: quamuis, quia naturæ tantummodo nitebantur præsidijs, nec notitiæ, quam de Diuinis habebant, consentaneè mores formabant, in grauissimos deinde errores lapsi sint. Eadem moderatione de Philosophis antiquis loquitur Dionysius Carthusianus. Qui in Cap. V. Theologiæ Mysticæ Areopagitæ, Quęrit an ad Mysticam Theologiam peruenerint Philosophi. Quod videtur negandum. Quia Philosophorum Sapientia, inquit, fuit insipida & informis: nec enim caritatem habebant. Areopagita etiam, Mysticam Theologiam appellat Christianorum Sapientiam, quia fidelibus, non infidelibus conceditur.

Respondet tamen Carthusianus: Meliores Philosophos, præsertim Platonem, & Socratem, ac eorum sequaces, virtutibus politicis, naturalibus, moralibus, adquisitis, valde intentos fuisse: naturali quoque DEI amori, ad quem ceteras ordinauerint virtutes, illarumque actus, vt insinuat S. Augustinus, & productis ex Platone sententiis variis probat.] Cer-

Certum nihilominus est, non peruenisse Gentiles illos Philosophos ad supernaturalem DEI amorem, quæ Caritas nominatur: & Sapientiam Infusam, quæ donum est Spiritus sancti: proindeque, nõ ad Mysticam proprie Theologiam (vt subdit Carthusianus) sed ad aliquid simile: hoc est, ad Sapientiam, seu Diuinorum notitiam, quæ ex consideratione rerum creatarum, ac ordinis vniuersi potest adquiri: quæ quidem naturalis, ac Philosophica nuncupatur. In qua Felicitatem hominis Speculativam constituerunt. Vnde & Aristoteles asseruit: Felicitatem esse speculationem optimi speculabilis, & expertus est, quod Philosophia habeat admirabiles delectationes. Idemque dixit, quod huc maxime spectat: Vitam nostram interdum ad modicum talem esse qualis est vita Primi Entis inuariabiliter.

Ex hoc fonte profluxerunt illa summi DEI encomia. Quem ita laudat Plato, quod ex Apuleio recitat Augustinus, vt dicat, imbecillitate, ac penuria humani sermonis exprimi non posse: & humano intellectu vix attingi: atque hoc à Sapientibus dum se toto conatu ad hoc accingunt: quibus nonnunquã velut in altissimis montibus, rapidissima coruscatione intermicans supercandidissimum lumen raptim apparet. Ita de Philosophis illis sentit Dionysius. *Li. 15. de Ciuit.*

MYSTICI ergo THEOLOGI nominari possent in illa cæcitate, Diuinitatis Contemplatores aliqui magis eximij: quorum contemplationem plurimum promouit intima quædam cum Hebræis consuetudo, aut sacrorum librorum inspectio. In his fuit Trismegistus, cujus illud toties decantatum, frequentissime auditur: *Monas Monadem gignit, & in se suũ reflectit ardorem.* Pythagoras quoque, qui DEVM numero ternario colendum docuit, quasi aliquam habuerit Trinitatis notitiam. Deinde, Socrates, Plato, Aristoteles. Quos nihilominus Idololatras fuisse multi è Patribus censent. Siquidem Eusebius Lib. XIII. de Præparat. Euangelica Cap. 8. & 11. Socrati, ac Platoni Idololatriam non minus, quam alijs placuisse asserit. In qua opinione fuit etiam Tertullianus, qui Socratis impia sacrificia ridet in Apologetico. Chrysostomus autem id Platoni improperat Homil. III. super Epistol. ad Romanos. *Mystici Theologi Gentilium* *Trismegistus in Asclepio.* *Arist. li. 1. Cœli. 1.*

In eandem classem referre licet illos, qui etiamnum apud Indos veterum Gymnosophistarum more, & qui in Iaponia, Bonzii vocati, à reliquorum procul consortio, totos se rerum diuinarum contemplationi dedunt. Quales & in Perside Iogues dicti, gentis illius Anachoretæ. de quibus Nicolaus Trigautius in Vita Casparis Barzæi. Mira sunt vitæ asperitate. Vestis vulgo, quin & cibus cinere asper- *Gymnosophista.* *Bonzii.* *Iognessi.* *Nic. Trig. li. 2. ca. 21.*

 gitur,

gitur, vt memores sint; quoniam cinis & puluis sunt mortales. Paupertatem, & Castimoniam præ cæteris virtutibus, vel colunt, vel præferunt. In speluncis quibusdam verius, quam domibus habitant in agro suburbano.

Eorum occupationes magnam habent cum nostris adfinitatem, Dæmone diuinitatem adfectante, & iisdem, quibus ipsum numen coli cupit, officiis gaudente. Nam & noctu matutinas quodammodo preces, & diurnis horis Ecclesiasticam orandi vicissitudinem sacrorum Simius imitatur. CONTEMPLATIONI non parum temporis tribuunt. Ea fere, vel de morte, vel de diuinis (vt Theologi vocant) attributis instituitur. Quæ de iis rebus secum ipsi sunt commentati, ad multitudinem, quæ ad eos audiendos conuenit, de morte, deque DEO eloquuntur.

# COMMENTATIO V.
# THEOLOGIA-MYSTICA CHRISTIANORVM.

## EXERCITATIO I.

## *QVOMODO DIFFERAT THEOLOGIA-Mystica Philosophorum Gentilium, à Mystica Theologorum Christianorum.*

MVLTIS differre certum est. PRIMO, ac potissimum, *Fine.* Nam Philosophi per suam Mysticam contemplabantur, ob solam cõtemplationem, quod ipsi palam adfirmabant: nec enim aliud se spectare dicebant, quam veritatis intuitum. Ibi quiescebant ipsi, & abunde satis se consequutos arbitrabantur. Christiani ideo contemplationi vacant, vt ex Dei cognitione in amore eiusdem proficiant, illum honorent, venerentur, & inflammatissimo in illum ferantur, religionis, ac pietatis adfectu. quod constabit postea. Hinc consequitur

*Secundo:* fuisse ingens discrimen in *effectu.* Siquidem, hæc altissima numi-

numinis contemplatiō, ad quam pauci pertingebant, caussabat in Gentilibus elationem animi cum aliorum contemptu, & æstimatione sui arrogantissima; atque ita maxime contemplatiui erant maxime fastuosi. Et quoniam osor arrogantiæ DEVS superbis resistit, & humilibus dat gratiam, deserti à diuinis subsidiis præsumptuosi Doctores ingrauissima, & fœdissima prolabebantur crimina, eo nequiores idiotis, quo maiora habebant, quibus non vtebantur, ad omnem honestatem, ac virtutis cultum adiumenta.

Hoc est, quod vel conqueritur, vel exprobrat istiusmodi deliris ostentatoribus Paulus Apostolus: *Quia cum cognouissent* DEVM, *non sicut* DEVM *glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse* sapientes, stulti *facti sunt. Qui commutauerunt veritatem* DEI *in mendacium. Propterea tradidit illos* DEVS *in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum.* Rom. 1. 21.

At Mystica Christianorum dum eleuat intellectum, promouet adfectum gignitq; demissionem summam contemplantis, quæ coniuncta est cum maxima æstimatione DEI ac diuinorum. Itaque

*Tertio:* Mystica Gentilium dici potest *mere speculatiua.* Christianorum autem refertur ad actionem, vt dici possit *Speculatiua* ob contemplationem subtilissimam, & *Practica* propter operationem, quā respicit. Quomodo autem Christianorum Mystica diuidatur peculiariter in speculatiuam & practicam, suo loco patebit.

*Quarto:* Theologia Mystica Christianorum supponit fidem diuinam cœlitus communicatam: eamque comitatur spes Theologicarum virtutum altera: præcedit etiam caritas, quæ suo modo illius & est principium, & magis consummata, ac perfecta, terminus, vt docet S. Thomas S. IIdæ. q. 180. art. 7. At nihil horum habebat Theologia Mystica Gentilium.

Complectitur hæc discrimina, dum vnum, quod est capitale, explicat Albertus M. Libro de adhærendo DEO, vbi hunc in modū scribit. *Aduertendum: in hoc differentiam esse inter contemplationem Catholicorum fidelium, & Philosophorum Gentilium: quia contemplatio Philosophorum, est propter perfectionem contemplantis, & ideo sistit in intellectu: & ita finis eorum in hoc est cognitio intellectus. Sed contemplatio sanctorum, quæ est Catholicorum, est propter amorem ipsius, scilicet, contemplati Dei. Idcirco non sistit in fine vltimo in intellectu per cognitionem: sed transit ad adfectum per amorem. Vnde sancti in contemplatione sua habent Amorem Dei, tanquam principaliter intentum. Quia felicius est etiam Dominum* IESVM-CHRISTVM *cognoscere, & habere spiritualiter per gratiam, quam sine gratia corporaliter, vel etiam essentialiter.*

Quinto: Discrimen est in principio efficiente. Vt enim differit Dionysius Carthusianus in cap. 5. Theologiæ Mysticæ Areopagiticæ: *Viri fideles, heroici, & perfecti longe sublimius* (quam Philosophi antiqui) *Mysticam Theologiam sortiuntur, experiūtur, venātur per supernaturalia charismata Spiritus Sancti.* Quod quomodo contingat fusius ibi explicat nos suo loco.

---

# EXERCITATIO II.
## *DEFINITVR THEOLOGIA MYstica Christianorum.*

VERISSIME dictum reor, quod vsurpant Doctores Mystici. Quid sit Mystica Theologia difficile est intelligere; explicare difficilius; difficillimum experiri. In qua persuasione magis confirmor, cum tot tamque diuersas illius sapientiæ descriptiones, quæ à variis adferuntur perpendo. Aliquas referam, vt ex omnibus vna tandem formetur, quæ rem ipsam clarissime ponat ob oculos.

Ioannes Gerson parte sexta de Mystica speculatiua, consideratione 28. has omnes tradit.

*Theologia-Mystica est extensio animi ad* DEVM *per amoris desiderium.*

*Theologia-Mystica est motio anagogica, hoc est: sursum ductiua in* DEVM *per amorem feruidum, & purum.*

*Theologia-Mystica est experimentalis cognitio, habita de* DEO *per amoris vnitiui complexum.*

*Theologia-Mystica est Sapientia:* id est, *sapida notitia habita de* DEO, *dum ei supremus apex affectiuæ potentiæ rationalis per amorem coniungitur & vnitur.*

*Theologia-Mystica est irrationalis, & stulta Sapientia excedens laudantes.* Quam definitionem ait se desumpsisse Gerson ex S. Dionysio cap. 7. de *diuinis nominibus*. At reuera, non agit ibi Areopagita de *Theologia Mystica*: sed disputat de Sapientia DEI, quam ex Paulo priore ad Corinthios *Stultitiam* licet appellare. Quia quod stultum est DEI sapientius est hominibus: tum subdit. *Hanc rationis, & mentis expertem, stultamque sapientiam præter modum laudantes, eam omnis mentis, rationis, sapientiæ, & intelligentiæ causam dicamus.* quod toto eo capite probat.

Idem Cancellarius Parisiensis Alphabeto LXXXVI. lit. I. *Mystica Theologia*, inquit, *est coniunctio, siue vnio experimentalis, & gratuita mentis cum* DEO. Quid autem sit experimentalis hæc Vnio cum DEO dum ibidem

ibidem declarat, ſcribit, quod ſit ſimplex & actualis perceptio gratiæ gratum facientis. Ex quo colligit, Myſticam Theologiam nihil eſſe aliud, quam, *Experimentalem* DEI *notitiam, & perceptionem.* Additque Myſticam Theologiam, nempe, actualem: ſiue Contemplationem Myſticam tunc contingere, quando apex mentis ineffabili, & ignoto DEO ineffabiliter, & ignoto DEO conjungitur.

Dionyſius Carthuſianus Comment. in Ca. 1. Dionyſ. Areopag. de Myſtica Theologia, hunc in modum deſcriptionem format: *Myſtica Theologia, eſt vnitiua Sapientia, flammigera theoria, donumque Sapientiæ.* De eadem re agens in Capite V, recitatis aliorum ſententiis, ſuam tandem etiam adjungit.

*Multi itaque eam definiunt, dicentes: Myſtica Theologia eſt ſecretiſſima cum* DEO *loquutio.* Alij. *Eſt ardētiſſima diuina caliginis intuitio.* Quæ definitio, inquit Dionyſius, aptior videtur, quam prima. *Non enim in Myſtica Theologia dirigitur iugiter ſermo mentis ad* DEVM: *ſed ipſa mentis in* DEVM *defixio, admiratio Majeſtatis, ſuſpēſio animi in lumen immenſum, ac æternale, fruentiſſima, ac quietiſſima, & transformatiua: ſeu abſorptiua inſpectio Deitatis, eſt Myſtica Theologia:* præſertim ſi accipiatur pro actu. His attexit poſtea nonnulla de habitu de quo ſuo loco.

Henricus de Palma Opuſculo de *Myſtica Theologia*, quod aſcribitur S. Bonauenturæ, habeturque Tomo VII. Operum Seraphici Doctoris: *Myſtica Theologia*, inquit, quę à Paulo Apoſtolo eſt edocta, & à Dionyſio Areopagita ſuo diſcipulo conſcripta, *idem eſt* quod, *Extenſio amoris in* DEVM, *per amoris deſiderium.*

Quidam, vt refert Ludouicus Carbo in Introductione ad ſacram Theologiam Lib. 1. Cap. 8. *Theologiam Myſticam* hunc in modum deſcribendam putant, ex Dionyſio, Maximo Monacho, Gerſone, Cypariſſiota, Henrico Harpio: *Eſt quadam occultiſſima Sapientia, quam immediate ſolus* DEVS *hominem in Spiritu docet.*

Ex recentioribus, Ioannes de IESV-MARIA, Præfatione ad Theologiam Myſticam: *Eſt*, inquit, *Myſtica Theologia Diuinitatis nobiliſſima, luculentiſſimaque cognitio.* Idem capite primo pleniſſimam arbitratur hanc eſſe deſcriptionem. *Myſtica Theologia eſt cæleſtis* DEI *notitia per vnionem voluntatis* DEO *adhærentis elicita, vel lumine cælitus immiſſo, producta.* Quam declarans copioſius, dicit idem eſſe, ac ſi diceretur. *Eſt ſublimis* DEI *ſenſus*: vel, *Experimentalis notita, per quendam* DEI *contactum, ſeu voluntatis ſupra intellectum* DEO *hærentis, vnionem elicita: vel, ſuperno lumine infuſo, per Sapientia habitum ab intellectu producta.*

Thomas de IESV-MARIA Libro V. de Contemplatione Diuina Ca. VIII. *Pracipuus*, inquit, *omnium, ac in hac vita ſupremus Contempla-*

*plationis gradus, est ineffabilis* D E I *in caligine manifestatio, ac ipsius in eadem caligine manifestati mirabilis contemplatio & visio.* Quam cum D. Dionysio omnes eius Expositores *Mysticam-Theologiam* appellant, Sed dubito; an is omnium Expositorum sit sensus: non videtur profecto, cum tam varie Sapientiam illam, & contrarijs aliqui coloribus, certe non ijsdem depingant.

Animaduertit hoc idem Auctor: nam eodem Libro Cap. XV. exponit quattuor modos, in quibus, secundum diuersas sententias, quid sit *Mystica-Theologia* declaratur. sunt autem isti.

PRIMVS Mysticorum quorundam Theologorum ex antiquioribus, qui Mysticam-Theologiam in adfectus vnione cum DEO immediata constituunt.

SECVNDVS aliorum, qui ponunt Mysticam Theologiam in caliginosa, ac sublimi DEI contemplatione, caussata ex vnione experimentali animæ cum DEO. Cum enim duplicem agnoscant Caliginem Secretiores Theologi: quarum prior vnionem fruitiuam animæ cum DEO præcedit: posterior diuinam vnionem, & amplexum consequitur, ex hac contemplationem Mysticam oriri docent.

TERTIVS est aliquorum, qui scribunt, Mysticam Theologiam esse DEI ILLAPSVM, & manifestationem, qua DEVS obiectiue, & immediate, obscure tamen intellectui purgarissimo vnitur media specie creata, & voluntati realiter, ac obiectiue non aliter ac in gloria in ratione summi boni conjungitur.

Quartus ita à quibusdam proponitur: Mystica Theologia censetur: quando in Caligine medio Sapientiæ dono anima, vel ex vehementia lucis seu contemplationis, vel aliquando ex amoris violentia in illud immensum ac caliginosum Diuinitatis pelagus intimo amoris nexu DEO vnita: nimirum Vnione à caritatis habitu prouenientе, secundum quam, qui DEVM diligit in DEO manet ac DEVS in eo, non tamen vnione immediata, ac fruitiua rapitur.

Verum nunquam natura conditionesque Theologiæ Mysticæ satis declarari poterunt, & vna descriptione adumbrari, nisi prius constiterit de illius subjecto, actionibus, objecto, principio, & similibus alijs ad Disciplinæ alicuius notitiam perfectam comparandam necessariis. Itaque de his primum erit disputandum.

COM-

# COMMENTATIO VI.
# SVBIECTVM THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

CVM in confesso sit Theologiam-Mysticam non esse in subjecto aliquo corporeo; satis constat, debere inhærere Animæ. Et quia est habitus operatiuus, vel nobilissima operatio, dubitari etiam non potest. quin immediate sit in aliqua eius potentia: non autem in illius essentia proxime, sicut Gratia sanctificans: ob eandem enim causam, Caritatem in voluntate locamus, & cum Gratia non confundimus. Porro, quoniam variæ sunt animæ potentiæ, quas alijs nominibus exprimunt Scholastici, alijs Mystici; non conuenit inter omnes, in qua proprie Mystica-Theologia sedem habeat.

## EXERCITATIO I.
## *DIVISIO POTENTIÆ INTELlectiuæ Animæ Rationalis, sensu Scholasticorum.*

ADprobant Scholastici partitionem Aristotelis lib. II. de Anima: & vniuerse diuidunt Animæ Rationalis potentiam in Apprehensiuam Intellectiuam, & Appetitiuam. Hæc dicitur, Voluntas: illa, Intellectus. Dissecatur autem Intellectus, in Agentem, & Patientem, seu Possibilem. Agens est facultas productiua specierum intellectilium. Possibilis est receptiua earundem specierum, & illis informata, intellectionis productrix. Vtrum hæc sit simplex, vel multiplex potentia, certatur. Certe, nominum diuersitas multiplicitatem indicat. Appellatur enim nunc Ratio; nunc Ratio superior, vel Inferior: modo Intellectus speculatiuus: mox Practicus: aliquando Intelligentia: interdum, Synteresis.

*Arist. li. II. de Anima tex. 27. S. Th. P. P. Q. LXXIX Art. 1.*

IN D. Thomæ schola, Intellectus Possibilis est vnica potentia, quæ sortitur varias denominationes, vel ratione actuum diuersorū,

vel propter habitum aliquem illi inhærentem, vel respectu connotatorum.

*Memoria Intellectiua.* *S.Tho.1.P. q.79 art 6 & 7.* Primo itaque, quatenus detinet Species rerum præteritarum, & recordatur eorum, quæ antecesserunt, ab aliquibus appellatur MEMORIA INTELLECTIVA.

*Secundo:* prout de rebus agit secundum rationes æternas; vel, quatenus res æternas intelligit, atque ex iis desumit regulas quasdam actionum humanarum. Seu, inquantum in Diuina contemplatur: aut ea respicit ad actiones suas dirigendas, vel ad aliud quid faciendum, *Ratio superior.* dicitur RATIO SVPERIOR. Idem intellectus, inquantum considerat creata, eaque secundum creatarum rerum rationes disponit: vel quatenus decernit, quid agendum temporaliter ex præscripto illarum *Ratio inferior.* regularum, dicitur RATIO INFERIOR.

Insinuat hoc S. Augustinus lib. XII. de Ciuitate cap. 7. vbi scribit: Rationem superiorem intendere rebus æternis conspiciendis, aut consulendis: Rationem Inferiorem intendere rebus temporalibus. Et capite 4. scripserat Rationem Superiorem, & Inferiorem officiis distingui.

*Pars. Portio.* Idem autem per nomen PARTIS, vel PORTIONIS, superioris, & Inferioris intelligi debet: quod per Rationem Superiorem, ac Inferiorem.

*Sensualitas* Porro, hæ denominationes, sicut tribuuntur Intellectui, ita nonnunquam alteri Potentiæ accommodantur. Siquidem apud Ascetas, Pars sensitiua, aut sensualitas, quatenus obedire potest, & dirigi imperio Intellectus, ac voluntatis nuncupatur PORTIO, aut RATIO Inferior.

Apud eosdem etiam, per *Partem* hominis Inferiorem, significa- *Spiritus.* tur *Pars sensitiua:* per *Spiritum* hominis, *Pars Intellectiua.* Vnde dicere solent, Titius talem habet spiritum: Caius alium: diuersum ab his Sophroniscus. Sensus est: quo ad intellectum, & consequenter, quo ad voluntatem diuersimode se habent, ac negocia sua instituunt.

*Intellectus speculatiuus.* *Practicus* *S.Tho art. 11.* Tertio: Intellectus idem quatenus fertur in obiecta practica, dicitur PRACTICVS: atque hoc modo est directiuus voluntatis, & illam impellit: quatenus autem intelligit veritatem non in ordine ad praxim, sed ob solam rei notitiam, dicitur SPECVLATIVVS.

*Intellectus Principiorum.* *S.Tho art. 12.* *Synteresis.* *Quarto:* Intellectus, quatenus naturali quodam habitu intelligit prima principia speculatiua, appellatur INTELLECTVS PRINCIPIORVM: vel potius, ipse ille habitus ita cognominatur: sicut alius habitus, quo cognoscuntur principia practica, dici solet SYNTERESIS.

*Quinto:*

*Quinto:* Applicatio scientiæ vniuersalis practicæ ad obiectum particulare: siue, Vsus scientiæ circa obiectum particulare, nominatur CONSCIENTIA. Quamuis, vt obseruat S. Thomas, aliquando Habitus ipse *Synteresis* vel scientiæ, ex quo istiusmodi iudicia proficiscuntur, soleat *Conscientia* nuncupari. *Conscientia. art. 13.*

*Sexto:* Intellectus nonnunquam dicitur INTELLIGENTIA: quæ non est alia potentia, quam Intellectus, qui intelligit. Propriè tamen, nomen *intelligentia* significat actum intellectus, qui est intelligere. Sic itaque intellectus ab intelligentia non distinguitur, sicut potentia à potentia: sed sicut actus à potentia. Est tamen inuenire apud quosdam Philosophos diuisionem quadriformem Intellectus. Nempe, in Intellectum Agentem & Possibilem: tum vero in Intellectum in habitu & Adeptum. Ex quibus Intellectus Agens & Possibilis, illorum sensu, & omnium bene sentientium sunt diuersæ potentiæ: alia est enim potentia actiua, alia passiua. Quod si coniungantur posteriora membra est distinctio secundum tres status Intellectus Possibilis. Aliquando enim est in potentia tantum, & tunc dicitur Possibilis; aliquando in actu primo, qui est scientia: atque ita nominatur Intellectus in habitu: aliquando in actu secundo, qui est considerare, ac sic dicitur Intellectus in actu, vel intellectus adeptus: aut Intelligentia. *Intelligentia. S. Tho. art. 10.*

---

# EXERCITATIO II.

## PARTITIO POTENTIÆ INtellectiuæ Animæ rationalis secundum DD. Mysticos.

ADferuntè Doctoribus Mysticis nonnulli, Animam rationalem pro diuersitate operationum, & officiorum ac agibilium diuersas habere vires: sed nomine, nō re differētes. Est hoc nobilissimæ substantiæ proprium, quæ seipsa tam fœcunda est, ac si virtutes realiter distinctas, vel alio modo disiunctas haberet. Quod sane perfectius indicatur, quam si potentiæ ab anima, ac inter se distinguerentur. Nam virtus vnita est fortior se ipsa dispersa. Sicut sapientia diuina perfectior est, quia simul est fortitudo, bonitas, misericordia, quam si hæc attributa inter se & ab essentia distincta essent. Ita disputat Ioann. Gerson De Theologia Mystica Speculatiua Consideratione IX. vbi addit: *Qui aliter capiunt, viderint, quam recte: Ego sane non capio.* Ita tamē loquun-

loquuntur de Anima & Potentiis Mystici ac si essent natura distinctæ: Itaque

Animam Rationalem, quo ad vires cognitiuas, secant, *Primo* in *Intelligentiam simplicem: Secundo*, in *Rationem: Tertio*, in *sensualitatem*, vel *Animalitatem*: seu, Potentiam cognitiuam sensualem.

*Intelligentia simplex* INTELLIGENTIA SIMPLEX est vis animæ cognitiua suscipiens immediatè à DEO naturalem quandam lucem, in qua, & per quam Principia prima cognoscuntur esse vera, & certissima cognoscuntur esse vera, & certissima, terminis apprehensis. Principia istiusmodi nominantur aliquando Axiomata, vel Dignitates: seu communes animi conceptiones: & Regulæ immutabiles, ac impossibiliter aliter se habere. Sed hic

DISQVIRITVR, Quid sit illa Lux? Respondet Gerson Consid.x.1. Probabiliter dici posse, quod sit dispositio connaturalis, & concreata animæ, quæ ab aliquibus vocari videtur Habitus Principiorum. 2. Probabilius: quod sit ipsa Anima, quæ est Lux intellectualis naturæ, deriuata à luce primæ Intelligentiæ, quæ illuminat omnem hominem, & cuius vultus lumen super nos est signatum.

Porro hæc vis, quæ dicitur, *Intelligentia-simplex*, à Mysticis varie exprimitur. præcipua nomina sunt; *Mens: Cœlum supremum: Spiritus: Lumen Intelligentiæ: Vmbra Intellectus Angelici.* Lux diuina: in qua veritas incommutabiliter lucet, & cernitur: *Scintilla: Apex Rationis.*

*Ratio.* RATIO est vis animæ cognoscitiua, Deductiua conclusionum ex præmissis: Eliciti ua quoque insensatorũ ex sensatis: & Abstractiua quidditatum nullo organo in operatione sua indigens. Differt à sensualitate, quoniam organo corporeo nõ est adfixa vt illo vtatur. Ab Intelligentia vero, quia hæc non deducit Conclusiones: sed recipit cognitionem simplicem à superiore Luce DEO.

*Portio Rationis inferior.* Ratio aliquando deducit Conclusiones ex principiis sumptis ab experientia, per sensus, quæ sunt principia inferiora: *V.C.* Ignem esse calidum: & tunc dicitur à Mysticis, Portio Rationis Inferior. Aliquando ex principiis superioribus per se notis lumine intelligentiæ simplicis, & illi ab intelligentia repræsentatis: atq; ita vocatur, Portio superior.

*Facies dua rationis.* Quamobrem apud Mysticos, Ratio fingitur habere duas facies: vnam ad superiora conuersam, ad inferiora alteram. Et dicitur locata in Horizonte duorum Mundorum: Spiritualis, & Corporalis.

*Portio superior mulieri...* Ex Portionibus autem, *Superior*, ab iis appellatur, VIR: *Inferior* vero MVLIER. Quod tantum viuacitatis, ac virtutis habeat

beat *Ratio*, dum superioribus intendit respectu illius, quam habet inferioribus intenta, quantum vir collatione ad Mulierem, vt Gerson explicat. Paulo aliter Auctor de Spiritu & Anima cap. XI. Diuidit se Ratio, ait, in duo: scilicet, in Sursum, & Deorsum: sursum in Sapientiam: deorsum in Prudentiam; quasi in Virum & Mulierem: vt Vir sit superior, & regat: Mulier sit inferior, & regatur. Vnde dictum est: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Melior siquidem est, qui per cælestè desiderium accensus, carnem, necessaria illi etiam subtrahendo affligit: quam qui per carnalem affectum resolutus, per omnia, quæ commoda sunt, ei satis facere contendit. *Eccl. 42. 14.*

His præterea appellationibus Ratio exprimitur, *Cælum medium in Anima*: Vmbra Intelligentiæ simplicis. Sicut Intelligentia Simplex dicitur Vmbra Angeli: Angelus, vmbra DEI. Iā vero Potētia cognitiua sensualis est Vis animæ vtens ad suam operationem Organo Corporeo, tam exteriori, quam interiori ad ea, quæ sensibilia sunt, per se, vel per accidens cognoscenda. Huius officium est varium, indeque denominationes. *Primo*: dum mouetur exterius ab obiectis, vocatur SENSVS EXTERNVS in quinque diuisus, qui sunt; *Visus, Auditus, Gustus, Olfactus, Tactus.* At vero *Secundo*, cum recipit immediate Sensationes factas in sensibus exterioribus iudicans inter illas, est SENSVS COMMVNIS. *Tertio*: Cum ex iudicijs vel sensationibus factis in sensu communi componit, aut diuidit, appellatur IMAGINATIO, PHANTASIA, VIRTVS FORMATIVA. Quarto: Si ex sensatis ducit insensata, dicitur ÆSTIMATIVA, iudicans de vtili, & inutili. Præter has, sunt duæ Potentiæ retentiuæ specierum: altera, pro sensu communi, quæ *Imaginatio* dicitur: altera pro Æstimatiua, & Formatiua, quæ appellatur *Memoria.*

Porro: Potentia sensualis cognitiua nuncupari solet à Mysticis diuersimode. Præcipua nomina sunt, *Animalitas: Sensualitas: Cælū primūm, vel infimū: Imaginatio: Vmbra Rationis.* In hac autem Vmbra varios iidem distinguunt gradus, pro varietate officiorum. Itaque *Sensus exterior* concipitur, vt nouissima lux potentiæ cognitiuæ, quæ deficit, vel occidit in potentia solum *Vegetatiua*, aut *Nutritiua.* Deinde est *Sensus communis*, quæ censetur sub se habere hanc lucem tanquam in vmbra sua. Ipse autem ponitur in vmbra Phantasiæ: Phantasia vero in vmbra Æstimatiuæ: Æstimatiua in Vmbra Rationis: Ratio in vmbra Intelligentiæ: Intelligentia in Vmbra Angeli; Angelus in vmbra DEI. *Nomina potentiæ sensualis cognitiuæ.*

# EXERCITATIO III.

## AN INTELLIGENTIA SIT VIS Animæ diuersa à Ratione, vel Intellectu.

E Mysticis Doctoribus nonnulli nominant duas animæ potentias, quas volunt esse altissimas, quarum vna dicatur, *Intelligentia*, quam Intellectu arbitrantur esse sublimiorem: altera sit Voluntate altior, & vocetur *Apex-Mentis*. Habet hæc distinctio patronos omnino graues. & in Mystica versatissimos, Imprimis

Richardus Victorinus Lib. 1. de *Arca-Mystica*: seu de *Contemplatione*, distinguens hanc à Meditatione per Potentias, siue earum principia, Meditationis causam efficientem vocat *Rationem*: Contemplationis vero, *Intelligentiam. Ex imaginatione*, inquit, *Cogitatio: ex Ratione, Meditatio: ex Intelligentia, Contemplatio. Ecce tria ista*, Imaginatio, Ratio, Intelligentia. Intelligentia *obtinet supremum locum*: Imaginatio, *infimum*: Ratio *medium. Omnia, quæ subjacent sensui inferiori, necesse est, ea etiam subjacere sensui superiori. Vnde constat, quod cuncta quæ comprehenduntur ab* Imaginatione, *ea etiam, aliaque multa, quæ supra ipsam sunt comprehendi à* Ratione. *Similiter, ea, quæ* Imaginatio, *vel* Ratio *comprehendunt, cadunt sub* Intelligentiam, *& ea etiam, quæ illa comprehendere non possunt.*

Itaquoque sentit S. Bonauentura Opusculo de Itinerious Æternitatis, Itinere tertio, Distinctione III. docens, Contemplationem esse Mentis perspicaciam. Ex quo colligit, illam pertinere ad Intelligentiam, quia, *Perspicacia* est actus *Intelligentiæ*.

*Mens à μήνη.* Desumpsere Mystici hanc diuisionem ex Auctore libri de Spiritu, & Anima, apud Augustinum. Is autem hunc in modum de Mente, & illius functionibus disputat. Mens dicitur à μήνη, quæ vox Latine Luna redditur. Et sicut Luna crescit, & deficit, ac varia vicissitudine commutatur; in id tamen, quod fuit, quadam perfecta nouitate se restituit: sic Mens nunc caput summis inserit: nunc decidit in infima: nūc sese inferēs sibi è veris falsa redarguit: modo ad corporalia regenda deflectitur: modo æternis rationibus inspiciendis vel consulendis, adhærescit.

Ratio siquidem est Mentis aspectus, quo bonum & malum discernit, virtus eligit, Deumque diligit. Mens vniuersorum capax, & omnium rerum similitudine insignita, omnia esse dicitur, naturali quadam potentia, & naturali dignitate. Idcirco inuisibiles rerum causas

*Mens omnia δυνάμει.*

causas per INTELLIGENTIAM comprehendit,&visibiles actualium formas per sensuum passiones colligit. Et siue per sensus ad sensibilia exeat, siue per Intelligentiam ad inuisibilia ascendat, rerum similitudines ad seipsam trahit, præsentia cognoscit, absentia intelligit, ignota inquirit, & in inuentis versatur.

Quid autem est MENS? Rationale & Intellectuale lumen, quo ratiocinamur, intelligimus & sapimus. Mentem dicimus, quæ ita facta est ad imaginem DEI, vt nulla interposita natura ab ipsa veritate formetur. Mens enim ex eo dicta est, quod emineat in anima: præstantior siquidem vis animæ est, à qua procedit Intelligentia. Per Intelligentiam vtique ipsam veritatem intelligit, per Sapientiam diligit. Sapientia namque est amor boni, à sapore namque dicitur. Mentis visio est Intelligentia: Gustus, Sapientia. Illa contemplatur: ista delectatur. Cum ab inferioribus ad superna volumus ascendere, prius occurrit nobis sensus: deinde, Imaginatio: postea, Ratio, Intellectus, & Intelligentia: & in summo est Sapientia. Deinde idem Auctor expressius singula hunc in modum definit. *Mēs quid*

RATIO est ea vis animæ, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, propria, & accidentia percipit, omnia incorporea: Sed non extra corpora, nisi ratione substantiæ. Abstrahit enim à corporibus, quæ fundantur in corporibus, non actione, sed consideratione. Natura namque corporis, secundum quod omne corpus, corpus est, nullum vtique corpus est.

INTELLECTVS ea vis animæ est, quæ inuisibilia percipit, sicut Angelos, Dæmones, Animas, & omnem Spiritum creatum.

INTELLIGENTIA ea vis animæ est, quæ immediate supponitur Deo. Cernit siquidem ipsum summum verum, & vere incommutabilem.

Sic Anima sensu percipit corpora; Imaginatione corporum similitudines: Ratione, corporum naturas: Intellectu Spiritum creatum: Intelligentia Spiritum increatum. Et quicquid sensus percipit, Imaginatio repræsentat: Cogitatio format: Ingenium inuestigat: Ratio iudicat: Memoria seruat: Intellectus separat: Intelligentia comprehendit: & ad Meditationem, siue Contemplationem adducit.

INGENIVM est vis animæ, siue Intentio, qua anima se extendit, & exercet ad incognitorum cognitionem. Ingenium siquidem exquirit incognita: Ratio discernit inuenta: Memoria recondit iudicata, & offert adhuc iudicanda.

Videtur etiam distinxisse Boetius, qui lib. V. de consolat. Prosa 5. do-

5. docet, quod hominem aliter sensus, aliter Imaginatio, aliter Ratio, aliter Intelligentia intuetur. Quemadmodum igitur RATIO est alia potentia, quam sensus, & Imaginatio: ita intelligentia erit alia, quam intellectus.

RESPONDEO I. Intelligentiam non esse potentiam ab intellectu distinctam. Est communis Scholasticorum sententia, quam probat S. Thomas 1. p. quæst. 79. art. 10. & recipiunt DD. Mystici, qui de Theologia Mystica accuratius, & ad regulas Scholæ magis accommodate scripserunt. Inter quos Calaguritanus tract. de Theol. Myst. Dub. 10. asserit distinctionem illarum potentiarum nec esse veram: neque opus fuisse eam comminisci. Imo, illam ipsam, & tantam varietatem, ac copiam nominum, quibus intelligentia, & illi correspondens in voluntate potentia cognominatur, exiguum fructum attulisse: quin potius magnæ confusionis dedisse causam: ac fecisse, vt diuina (quæ intelligibiliora essent, si quam paucissimis, iisque clarissimis terminis declararentur, incognitos, & cum Theologia Scholastica parum conformes terminos studiose non conquirendo) intricata, & inaccessibilia fiant. Quemadmodum, inquit, præstantissimi quique, & spiritualium rerum studiosi Theologi confitentur.

Idem lib. de Theologia Mysti. ca. 4. supremam animæ vim, quæ intelligentia nuncupatur dicit esse intellectum ipsum, qua ratione lumen proxime à DEO recipit: & vel prima principia conceptis duntaxat terminis, vi naturali, vel occulta diuinæ sapientiæ, immisso lumine supernaturali absque discursu cognoscit.

Porro, quod intelligentia non sit distincta potentia ab intellectu probatur *Primo:* quia nullus est actus, qui ab intellectu non possit prodire, tribuendus tanquam proprius intelligentiæ. Nam non omnis multiplicatio actuum arguit diuersitatem potentiarum: sed illa tantum, quę non potest reduci in idem principium. *Secundo:* quia alioqui tot essent distinguendæ potentiæ, quot sunt operationes intellectus: & pro prima apprehensione esset nominanda vna, pro Iudicio, altera: pro Discursu, tertia *Tertio:* auctoritate S. Thomæ, quam tanti facit in hac re Calaguritanus, vt solam sat esse ad litem dirimendam sentiat. *Nec obijci sane fas est*, inquit, *eum Patrem Scholasticum solummodo fuisse:* fuit n. EXIMIVS *etiam* THEOLOGVS MYSTICVS, *& frequens contemplatio*, ac experimentum DEI *probe illum docuerat, quid vellet Intelligentia.*

Obijcitur, Actus sunt præuij potentiis ex lib. 11. de anima text. 33. At vero Intelligentia est quidam actus ab aliis actibus, qui attribuuntur intellectui distinctus. Ergo datur illi potentia respondens.

Minor

Minor deducitur ex Damasceno lib.11.de fide ca.22.vbi docet,quod primus motus dicatur *Intelligentia*. Quæ vero est circa aliquid intelligentia, nominetur *Intentio*,quæ si permanens sit, & figurans animam ad id,quod intelligitur, *excogitatio* appelletur. Excogitatio autē in eodem manens & se ipsam examinans, ac diiudicans, *Phronesis* dicitur:idest, sapientia. Phronesis autē dilatata facit *cognitionem*: id est, interius dispositum sermonem. Ex quo ait prouenire sermonem per linguam enarratum.

RESPOND. Omnes hos actus vnius esse potentiæ intellectiuæ. Hæc simpliciter *Primo* aliquid apprehendit. Et hic actus dicitur *Intelligentia*. Tum vero *Secundo*, id quod apprehendit, dirigit ad quidpiam cognoscendum,vel operandum,& hic vocatur *Intentio*. Deinde *Tertio*,si persistat in inquisitione illius, quod intendit, appellatur *cogitatio*. Adhæc, *Quarto* si id, quod est excogitatum examinet ad quidpiam certum, tunc dicitur intelligens scire, vel sapere. Quod est, *Phronesis*, vel *Sapientia*. Nam sapientiæ est iudicare ex 1. Metaph. cap.2. Ex eo autem, quod habet aliquid certum,quasi examinatum cogitat,quomodo possit illud aliis manifestare. Atque hoc est *dispositio sermonis interioris*, ex qua procedit loquutio exterior. Ita fere S. Thomas 1.p.q.79.art.10.ad3.

Quod autem scribit Auctor libri de Spiritu & Anima, ita intelligendum monet S. Doctor, vt intelligentia ponatur pro actu intellectus: atque ita diuidi contra intellectum sicut actum contra potentiam.

Addit S.Thomas prudenter: *Si recipi debet illa auctoritas*. Quamuis enim ille liber sit in tertio tomo S. Augustini:tamen vt obseruant Louanienses DD.non est S.Augustini:sed cuiusdam multo recentioris. Siquidem capit.37. citat Boetium:& cap.48.habet ex Gennadio de Ecclesiasticis dogmatibus nonnulla caute legenda. Vincentius in speculo historiali, & Trithemius auctorem esse existimant Hugonē Victorinum:sed refragantur multi alii Theologi. Bellarminus etiam negat esse Augustini: sed auctorem alium non nominat, fatetur tamen esse librum doctum ac pium. *Bell. lib. de scrip. Eccl.*

RESPONDEO II. Quamuis non distinguantur re intellectus, & Intelligentia, posse tamen dici intelligentiam esse gradum ab illo diuersum:seu distingui connotato. Et hoc satis est,vt vera dicantur, quæcumque Doctores Mystici de hac re asserunt. Ita etiam sentit Thomas à IESV lib.11.de contemplatione diuina cap.2. Par itaque intellectiua distinguatur in tres gradus. Ita vt vis intellectiua in quātum est discursiua dicatur *Ratio*: in quantum est simplici apprehen-

D sione

sione intuitiua, vocetur *intellectus*: in quantum vero est diuinitatis, ac diuinorum contemplatiua per simplicem apprehensionem nuncupetur *Intelligentia simplex*. Hoc postremum exprimit Richardus li. 1. de contemplatione cap. 9. *simplicem*, inquit, *intelligentiam dico, quæ est sine officio rationis*: Puram *vero, quæ sine incursione imaginationis*.

# EXERCITATIO IV.

## *DIVISIO MENTIS HVMANÆ AD modum Reipublicæ, sensu Mysticorum.*

DELECTANTVR Mystici Symbolicis rerum humanarum, diuinarumque imaginibus, & iis explicant ea, quæ Scholastici propriis vocabulis exprimunr. Hinc quædam, quia non intelliguntur, tanquam obscura, vel absona solent reiici: quæ tamen fructu non carent, ideoq; expositiuncula aliqua declaranda potius sunt, quam proscribenda.

Hic itaq; concipiunt Mystici animam humanam tanquam Rempublicam, admirabili ordine, & consilio dispositam. In ea Principem nominant, illiusque, velut thori consortem, quam Reginam interdum dicunt. In eadem ciues, & illorum diuersitatem, plebeios, patritios, equites constituunt. Singulorum functiones, & agendi modum designant. Quo pacto animæ vires, & operationes symbolice depingunt.

Habet hanc figuram Hugo Victorinus lib. 11. de anima cap. 23. Nobilis, inquit, creatura est anima: Ciuitas namque est DEI, de qua tam gloriosa dicta sunt, quod ad imaginem & similitudinem DEI facta est. Hæc ciuitas Ierusalem merito adpellanda est: quia ad fruendum visione illius summæ pacis, quæ fecit vtraque vnum creata est. Mens eius Paradisus est, in qua dum cœlestia meditatur quasi in Paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi Patrisfamilias est anima propter vnitatem morum. Sponsa Christi per dilectionem. Templum Spiritus Sancti per sanctificationem, ciuitas Regis æterni propter concordiam ciuium.

Et quia nulla est ciuitas absque populo, disposuit in ea conditor noster populum triplicis gradus: id est, sapientes ad consulendū: Milites ad propugnandum: Artifices ad ministrandum. Ciues huius ciui-

ciuitatis sunt,naturales,& ingeniti animæ vigores; tanquam indigenæ,quorum distincti sunt gradus: quia alii superiores, alii inferiores, alii medii. Superiores quidem sunt intellectuales sensus: Medii, Rationales: Infimi, Animales. Quorum hæc differentia est. Animalis, siue sensualis appetit visibilia: Rationalis discernit, & discretionis oculo aspernatur ea: Intellectualis pertrahit ad Diuina.

Intellectuales igitur sensus sunt,tanquã Animæ Consiliarij dicentes ei, DEVM time, & mandata eius obserua,propter hoc enim est omnis homo. Rationales sunt tanquam Milites,qui hostes Concupiscentiarũ impugnant per arma iustitiæ. Animales, siue Sensuales sensus sunt tanquam Rustici, & artifices, qui corporalibus rudimentis insistumt, & corpori necessaria ministrant. Hanc triplicem vim Animæ: id est,Sensualem,Rationalem,& Intellectualem,Philosophi Partes vocauerunt,non integrales, sed virtuales, quia potentiæ eius sunt. Sensualitas ea vis Animæ est, qua corpus vegetatur, & per corporis sensus ista exteriora sentit, ac discernit. Omnes enim sensus tam exteriores,quam interiores ad animam referuntur, vtpote ab illa procedentes; vt enim sentiant,omnes ab anima habent.

RATIO est vis animæ supra corporalia,& infra spiritualia collocata: secernit vera à falsis,quod est Logicæ: Virtutes à vitijs,quod est Ethicæ: & per experimenta rerum inuestigat naturas, quod est Physicæ. In his vero tribus tota Philosophia consistit. Totam igitur Philosophiam Ratio comprehendit.

Intellectus,siue Intelligentia,ea vis animæ est qua de Diuinis, quantũ homini possibile est,cognoscitur. Ad cœlestia arcana penetranda Ratio per se non sufficit,nisi à DEO adiuta fuerit. Tunc finis eius,si bene viget, cum ad notitiam secretorum,quæ diu inuestigando quæsiuit,peruenerit, Intellectus seu Intelligentia nuncupatur.

Boëtius tamen dicit Intelligentiam esse solius DEI,& admodum paucorum hominum. Sed horum alterum pro altero sæpe ponitur. Memoria etiam consors & cooperatrix est Rationis: quoniam sine ea Ratio, nec ad incognita procedere : nec incognitorum scientiam retinere potest. Memoria est vis animæ accepta retinens, præterita repetens,elapsa recolligens.

Humanus igitur appetitus inter ima & summa positus , cum plerunque in vtraque diuisus sibimetipsi sit contrarius , in quamcumque partem totus transierit , nomen ejus merito sortitur. Si carnis voluptatibus pascitur, Carnalis, siue animalis nominatur. Si Spiritualibus desiderijs delectatur , Spiritualis nuncupatur. Siquidem appetitus est naturalis vis in animante mouendis auide sen-

D 2 sibus

sibus attributa. Eadem habet Auctor de Spiritu & anima Cap. 37.

## EXERCITATIO V.

## *PARTITIO MENTIS HVMANÆ ad modum Cœlorum ex sensu Mysticorum.*

RICHARDVS de S. Victore inter Doctores Mysticos nominatissimus effingit Animam hominis tanquam Orbem latissimum, & amplissimum. In eo autem tres Cælos constituit, Infimum, Medium, ac Supremum. Ita enim vires Animæ nominat, vel eius partes. Hinc vulgata est apud Mysticos diuisio partium Animæ in Sensualem, Rationalem, & Intellectualem: vel virium eiusdem in Imaginationem, Rationem, & Intellectum, seu Intelligentiam. Item appellatio Cæli Infimi, Medij, Supremi: aut Primi, Secundi, Tertij. Quæ hunc in modum illustrat Victorinus.

*Rich lib. III. de Contemp. ca. 8.* Si cupis euolare, vsque ad Secundum, seu etiam vsque ad Tertium Cælum, sit tibi transitus per Primum. Spiritus siquidem omnia scrutatur, etiam profunda DEI. Si ergo & tu scrutari paras profunda DEI, scrutare prius profunda Spiritus tui: soli autem spirituales digni inueniti sunt, qui videant opera DEI, & mirabilia eius in profundo. In hoc sane profundo inuenies multa stupenda, & admiratione digna. Ibi inuenire licet alium quendam orbem latum & amplum: & aliamquandam plenitudinem orbis terrarum. Ibi sua quædam Terra suum habet Cælum: nec vnum tantum, sed secundum post primum, & tertium post primum & secundum. Et vt hoc Cælum congrua possimus distinctione, cum sit triplex, discernere, Primum dicatur Imaginale: Secundum, Rationale: Tertium, Intellectuale.

*Primum Cælum Imaginatio.* Tenet itaque Imaginatio primi Cæli vicem: Ratio, secundi: Intelligentia vero, vicem Tertij. Et horum quidem primum ceterorum comparatione grossum quiddam atque corpulentum; & suo quodam modo palpabile, atque corporeum, eo quod sit Imagnariū atque Phantasticum, post se trahens, atque in se retinens formas & similitudines rerum corporalium. Reliqua vero duo huiusmodi comparatione admodum subtilia, & omnino incorporea, & ab eius crassitudine multum longinqua. Sic sane cælum hoc exterius, quod nos dicimus Firmamentum absque vlla dubitatione, constat esse visibile, ac corporeum: & ipsum quidem primum, & omnium infimum.

Quod

Quod autem est Terra ad hoc visibile Cælum, hoc est sensus corporeus ad illud internum phantasticum,& Imaginarium Cælum. Nam sicut hoc visibile Cælum omnium quæ terra gignit, atque nutrit multitudinem sinus sui magnitudine comprehendit: sic omnium, quæ sensus attingit, Appetitus suggerit, similitudines intra sinum suum Imaginatio includit. In Primo itaque cælo continentur omnium visibilium imagines & similitudines. Ad Secundum vero pertinent visibilium omnium rationes, definitiones, & inuisibilium inuestigationes. Ad Tertium spectant spiritualium, ipsorum etiam Diuinorum comprehensiones,& contemplationes.

---

# EXERCITATIO VI.

## *Distinctio Potentiæ Appetitiuæ ex mente Scholasticorum.*

VOLVNTAS est potentia Appetitiua rationalis, cuius obiectum est Bonum. dicitur etiam Appetitus. Porro Appetitus sensitiuus distinguitur in Concupiscibilem & Irascibilem. An sic etiam distinguendus appetitus rationalis, seu Voluntas?

Negat S. Thomas 1. P. Q. 82. Art. 5. eumque sequi soliti Scholastici. Causam dant: quoniam Bonum absolute sumptum in quod fertur Concupiscibilis,& Bonum, vt arduum, quod est obiectum Irascibilis materialiter comprehenduntur sub obiecto formali Voluntatis; quod est Bonum in communi ab intellectu apprehensum. Itaque eadem potentia fertur in vtrumque. Sicut idem visus fertur in album & nigrum: quia visus respicit visibile secundum communem rationem colorati, ac proinde non multiplicatur potentiæ visiuæ secundum diuersas species colorum. Et vniuerse, Potentia, quæ ordinatur ad aliquod obiectum secundum communem rationem, non diuersificatur per differentias speciales sub illa ratione communi contentas.

Contrarium insinuat Auctor de Spiritu & anima, dum dicit, animam habere potentias, Irascibilem, Concupiscibilem, & Rationalem antequam corpori misceatur. Quocirca sentit illas potentias non esse partis sensitiuæ, sed rationalis; nam sensitiuæ partis potentiæ sunt in coniuncto.

Porro S. Thomas vt persuasioni vulgari suam accommodet sententiam, concedit Voluntatem dici posse Irascibilem, prout vult im-

probare malum non ex impetu passionis,sed ex rationis iudicio. Eodē pacto,posse appellari Concupiscibilem, propter desiderium boni. Atque ita in Irascibili, & Concupiscibili locari solent Caritas, & Spes:nimirum,in Voluntate,quatenus habet ordinem ad istiusmodi virtutum obiecta,& operationes.

Qua consideratione è Scholasticis aliqui,Voluntatem humanam distinguunt in Concupiscibilem,& Irascibilem,quibus fauet S. Hieronymus in cap.13. Matthæi,vbi sic scribit:in Ratione possideamus potentiam:in Ira odium contra vitia: in desiderio cupiditatem virtutum.

## EXERCITATIO VII.

### *DIVISIO APPETITIVÆ PARtis iudicio Mysticorum.*

MYstici imprimis distinguunt in Voluntate Concupiscibilē,& Irascibilem. Ioann. Gerson Consider. xv. Licet secundum Philosophum & sequaces Concupiscibilis,& Irascibilis in sola sensualitate radicentur: Augustinus tamen & Theologorum vsus aliter habet.

Deinde,Doctores Mystici ita diuidunt Potentias Animæ humanæ,vt velint cuilibet cognitiuæ respondere virtutem aliquam affectiuam. Tres autem præcipue nominant,Synteresim,Voluntatem, & Appetitum sensitiuum.

SYNTERESIS est vis animæ appetitiua suscipiens immediatè à DEO naturalem quandam inclinationem ad bonum,per quam trahitur,vt sequatur motionem boni ex apprehensione simplicis intelligentiæ repræsentati. Quemadmodum igitur se habet Intelligentia respectu primi,purique veri;ita Synteresis respectu boni finalis sine mixtione malitiæ simpliciter repræsentati. Quocirca,sicut Intelligētia nō potest dissentire primis veritatibus,postquam cogniti fuerint termini:sic non potest Synteresis nolle prima principia moralia per Intelligentiam demonstrata:licet possit, non velle, id est actum suspendere.

Sumitur autem Synteresis 1. pro naturali virtute. 2. pro virtutis illius actu. 3. pro habitu ex actibus frequentatis genito.

Vocant autem Mystici Synteresim,aliquando Habitum practicum

cum principiorum: aliquando Scintilliam intelligentiæ ratione ardoris,& cuiusdam quasi euolationis,vt loquuntur,ad bonum. Item, Portionem virginalem animæ. Præterea : Stimulum naturalem ad bonum. Adhæc; Apicem mentis. Iterum : Instinctum indelebilem. Tandem: Cælum supremum in affectiuis potentijs.

DISQVIRES. An Synteresis pertineat ad partem Animæ cognitiuam,vel affectiuam? D.Thomas 1.P.Q.LXXIX. Art. 12.cum eoque Scholastici,in Intellectu, seu Ratione practica agnoscunt Habitum quendam non adquisitum,sed concreatum animæ,quo prima principia in operabilibus cognoscit: vt, DEO esse obediendum: Bonum esse malo præferendum, & istiusmodi alia. Hic habitus naturaliter mouet, stimulatque ad bonum, & à malo retrahit. Hunc aliqui vocant Iudicatorium naturale ex D. Basilio Lib. Prouerb. initio, & Augustino Lib. 11.de Lib. Arbit. Cap. 12. in quo vniuersa Iuris naturalis principia inscripta ac insculpta sunt,sicut & semina virtutum vera ac incommutabilia insparsa & concredita.

S.Hieronymus vocat Scintillam Conscientiæ in Cap. 1. Ezechielis,vbi sic scribit: *Scintillam conscientiæ,quam συντήρησιν Græci vocant, in Cain quoque,postquam ejectus est ex paradiso non fuisse extinctam*, constat. Damascenus Lib. 11. de Fide Cap. XII. appellat Lucem Intellectus. Hæc in principiis practicis non errat: & in nullo homine vnquam plane & omnino extinguitur.

Mystici DD. ponunt Synteresin in parte adfectiua, & tamen nominant illam *Scintillam* superiorem Rationis,seu Intelligentiæ: nimirum,ob splendorem cognitionis,& ardorem inclinationis ad bonum. Nam semper prompta est,vt in superioribus figatur, & ad Diuina eleuetur ad bona mouens, & à malo abhorrens. AT, Lumen, scintilla,& similia proprie sunt partis cognitiuæ,& Intellectum spectant.

Addunt Mystici per Synteresin sortiri Animam quendam respectum ad DEVM immediatum, quo capax est ab ipso immediate tangi,irradiari,&inflammari. Videntur etiam indicare,esse potentiã Ratione altiorem, quod negat S.Thomas: *licet*, inquit, *quidam posuerint* Synteresin *esse quandam potentiam Ratione altiorem*. Quæ est opinatio Mysticorum.

POST Synteresin, est Voluntas, quæ ab ijs vocatur appetitus Rationalis,quam sic definiunt. Est vis animæ adfectiua,apta moueri immediate ab apprehensione cognoscitiua Rationis. Varia huic dantur nomina in Schola Mysticorum desumpta ex diuersis operationibus. 1. respectu possibilium, & impossibilium dicitur Voluntas. 2. respectu

spectu actus eliciti libertas. 3. Respectu obiectorum non finalium & possibilium, Electio: aut appetitus electiuus. 4. Respectu actuum imperatorũ appetitus dominariuus, vel Exequutiuus. 5. Si sit voluntas exequendi ea, quæ iam electa sunt, appellatur Propositum. 6. Inclinatio ad hæc exequenda, nuncupatur Conscientia: quæ duo designat, Iudicium, & Affectionem. 7. Si considerentur Passiones motiuæ huius appetitus rationalis, dicitur generaliter appetitus rationalis affectiuus, vel Affectus rationalis. 8. Si sit respectu boni vel mali, vt sic apprehensi per rationem, ipse appetitus dicitur Concupiscibilis. 9. Si illud bonum vel malum, præsentetur vt arduum, dicitur Irascibilis. Item quidem illi, qui maiorem hic distinctionem, quam connotatorum, vel rationis non agnoscunt.

Ceterum, præter nominatas hactenus Potentias, celebratur à Mysticis, appetitus animalis, seu sensualis. Quæ est vis animæ affectiua apta moueri immediate solum ab apprehensione sensitiua. Hic appetitus proprie distinguitur in Concupiscibilem, & Irascibilem. Adiungunt his nonnulli Sensum naturæ ad bonum vel malum, per quem satis facere conantur difficultatib. oriri solitis ex effectib. quibusdã, quæ admirabilitatẽ habent ob caussarum ignorationem. Sunt enim nonnulli, qui non videntur posse referri in apprehensionem cognitionis sensualis, quæ nulla sæpenumero interuenit: V. C. quod præsente hoste non viso horripilatio sequatur cum tremore: contrarium accidit præsente amico. Item, quod formica prouidens in futurum comportet grana. Hic sensus naturæ alio nomine dicitur lex naturæ: Inclinatio naturalis: Directio Intelligentiæ non errantis.

Communiter tamen Mystici sex Potentias maxime celebrant: nimirum, tres cognitiuas. Imaginationem, Rationem, Intelligentiã: & tres Affectiuas: Appetitum sensitiuum: Appetitum volitiuum, seu Voluntatem: & Appetitum supremum, vel Synteresin. Illum dicunt Appetitum Rationalem, hunc Superrationalem.

---

# EXERCITATIO VIII.

## *AN SIT NECESSARIVM ADMITtere Appetitum voluntate superiorem.*

ANtiquiores Mystici Intelligentiæ docent respondere Affectum, siue Appetitum, quæ sit potentia sublimior voluntate. Et quoniam id est contra sensum communem Philosophorum, & Scholasticorum

eorum, aiunt eam ignorari ab omnibus propemodum, præterquam ab iis, qui à Spiritu-Sancto ibi tanguntur: siquidem in illa contingere afferunt Amorem Ecstaticum, vel mentis excessum, quem haud bene capit qui non experitur.

RESPONDEO. Nullam esse necessitatem constituendi potentiam appetitiuam altiorem quam sit Voluntas. Probatur. I. Quemadmodum in parte Intellectiua, non est altior potentia, quam Intellectus: ita in Appetitiua non est necessario altior quam Voluntas, cum sit eadem ratio. II. Ideo à Mysticis ponitur potentia quædam sublimior, quia voluntas non videtur posse immediate tangi, impelli, inflammari à DEO. Hoc autem est falsum, sane quæcunque attribuunt Mystici Synteresi optime applicantur, ac conuenire possunt Voluntati, secundum excellentem quendam operandi modum.

Atque ita concedunt Mystici iuniores Synteresin non esse diuersam potentiam à Voluntate. Inter alios Calaguritanus Opusc. de Mystica Theolog. Cap. 4. Profectò, inquit, non subest vlla necessitas nouam, & altiorem hanc potentiam asserendi. Sed erectio Voluntatis intellectum supergredientis ac DEO magis propinquantis in excelsiorem diuinæ Caritatis habitum refundi debet. Excessus enim ille Caritatis DEO hærentis in causa est, vt portio superior Voluntatis, in qua viget: quæque portioni superiori rationis respondet, tantopere se attollat, vt non ipsa voluntas: sed potentia voluntate altior appareat. At reuera est ipsa summitas Voluntatis ignitæ, quæ flammescit igne duplici, Sapientiæ scilicet, & Caritatis: & perfectius DEVM adhæsione, vel gustatu percipit, quam notitiæ actu Intellectus agnoscat. Porro ex ea ipsa perceptione DEI, quæ volũtatis est, illustrissima quædam lux qua intellectus possit excelsius, quam ante Diuina contemplari dissultat. Verum secretius quiddam in hoc capite Affectus, siue in hac summa voluntate geritur: propter quod merito anteponitur Intelligentiæ. Ita ille: idemque docet Tract. de Theol. Myst. vulgari idiomate conscripto.

---

# EXERCITATIO IX.

## *IN QVA PARTE, ET POTENTIA Animæ sit Theologia Mystica.*

DOCTORES Mystici videntur illam locare in Potentia Appetitiua supra Voluntatem, siue illa dicatur Synteresis, siue Appetitus

E super-

superrationalis, siue appetitus supremus. Ita clare satis Ioannes Gerson Parte V. Theologiæ Mysticæ Consideratione XXVII. vbi postquam egisset de Affectionibus, quæ respondent operationibus Partis cognoscitiuæ, subdit: Dilectionem Ecstaticam, seu Iubilationem, quæ est in appetitu superrationali esse Sapientiam DEI in Mysterio absconditam. Et, hæc est, inquit, MYSTICA THEOLOGIA, quam quærimus, quæ ad anagogicas, & supermentales excessus deducit. Quæ quidem ab aliquibus CARITAS, ab alijs CARITATIVVS AMOR dicitur. Addit: propterea non fallieum, qui asserit, Contemplationem sine Dilectione nomen Contemplationis non mereri. Vt autem, loquendo proprie, Contemplatio est in vi cognitiua Intelligentiæ: sic in vi Affectiua respondente reponi Mysticam Theologiam.

Idem Auctor Theologiam Speculativam siue Scholasticam distinguit à Mystica: quod Speculatiua sit in intellectu, Mystica in affectu seu Voluntate. Cum tamen (vt obseruat Dinoysius Carthusianus in caput 5. Areopagitæ de Theologia Mystica) doceat Gerson, quod Theologia Mystica sit experimentalis cognitio de DEO per amoris vnitiui complexum: & quod Theologia Mystica sit Sapientia sapida, quæ haud dubie est functio intellectus. Sed quomodo hæc conciliari possint, constabit ex subsequentibus.

RESPONDEO I. Mysticæ Theologiæ subiectum esse partem animę cognoscentem, si formaliter loquamur. Probatur. *Primo*: Mystica Theologia est NOTITIA de DEO contemplatiua. Ergo poni debet in ea potentia in qua est Notitia. At Notitia cum sit actus vitalis potentiæ cognoscentis, non potest esse formaliter in alia potentia, quam cognoscente, quia actus interni vitales ab ijsdem potentiis recipiuntur à quibus eliciuntur. *Secundo*. Mystica Theologia in eo est subjecto, in quo contemplatio: hæc enim, vt suo loco dicetur, est propria eius functio. Sed contemplatio est in parte cognoscente. Est enim spiritualis quædam visio, aut intuitus, quo diuina Theologus intuetur, ac proinde proprie ad illam spectat potentiam, quæ dicitur oculus animæ, & qua veritas inspicitur.

RESPONDEO II. Subiectum Mysticæ esse, vel intelligentiam, si hæc est potentia distincta ab intellectu, & ratione, ex sensu Mysticorum antiquiorum: vel intellectum, qua est intelligentia, ex mente S. Thomæ, Scholasticorum, & Mysticorum recentium. Probatur *Primo*: Theologia Mystica est in illa potentia, quæ elicit simplicem intuitum circa diuina. Sed hæc potentia, vel est intelligentia distincta ab intellectu, vel intellectus, qua intelligentia. Secundo: Theologia Mystica est in illa potentia, in qua est contemplatio. Sed hæc vel

vel est in intelligentia, vel in intellectu, quatenus est intelligentia.

RESPONDEO III. Theologiam Mysticam spectare quadantenus ad partem affectiuam animæ. Probatur. Theologia Mystica vocatur non quæuis notitia contemplatiua diuinorum: sed notitia saporosa, vt loquuntur Mystici: id est, quæ habet adiunctum saporem, gustum, dulcedinem: hæc autem spectant ad partem affectiuã. Deinde: Theologia Mystica includit caritatem vel dicit ordinem ad illam: vel illam connotat. Itaque non censetur completa Theologia Mystica, nisi duo illa complectatur. Ergo aliquo modo etiam pertinet ad partem affectiuam.

CONFIRMATVR. Contemplatio quamuis sit partus intellectus; tamen non censetur esse functio Theologiæ Mysticæ, nisi quatenus oritur à caritate, & auget caritatem influendo in voluntatem. Vt enim recte dixit S. Thomas S. II dæ quæst. 180. art. 1. Contemplatio est caritatis veluti filia. Oritur enim ex caritate, vel amore, si ad Mysticam Theologiam spectat. Quamobrem causam habet, vel originem in voluntate: nimirum amorem DEI, quo exstimulatur, ac impellitur Mysticus, vt intelligentiæ oculum figat in dilectum ardenter exoptando illum intueri, ac contemplari, quem tanto adfectu diligit. Mox autem vt Mysticus contemplator DEVM cum amore, atque admiratione est intuitus, diuina bonitate, & pulchritudine illectus, iterum ad feruentiorẽ amorẽ impellitur, quo magis magisq; efferuescens, fit, vt magis augeatur DEI contemplatiua cognitio.

Hinc obseruant Mystici eximium quendam in Theologia sua circulum. Nam voluntatis amor contemplationem parit: contemplatio nouum gignit amorem: qui iterum cognitionem præcedentem, ac in ipsum effluentem reddit clariorem: sicque reciproco quodam flexu cognitio & amor in se mutuo feruntur, ac se adiuuant. quod post alios adnotauit Thom. à IESV lib. 1. de Contempl. Diuina ca. 6.

Ex quo deducit: *A Contemplationis puritate in infinitum distare, qui contentus diuinorum speculatiua intuitione* (vt mos erat antiquis Philosophis) *ad amorem* DEI *aliosque voluntatis adfectus Contemplatione ipsa non excitatur. Nec enim Contemplatio nuda Veritatis Visio dicenda est*, aut Mysticæ Theologiæ actus: *sed affectuosa: & quam ardens amor* DEI *gignit. Sicut Sponsus ex dilectione Sponsæ ardenter cupit ejus pulchritudinem contemplari: & dum attentius sæpiusque eam intuetur, magis, ac magis eiusdem pulchritudinis amore vulneratur. Et ita intuitio ex amore, ac amor ex Sponsi intuitione mirabiliter augetur: sibique inuicem sunt causæ, Amor Contemplationis, & Contemplatio Amoris.*

RESPONDEO 4. Subiectum adæquatum Theologiæ Mysticæ posse dici Intellectum, & Voluntatem. Explico, & probo. Theologia Mystica adæquate, vt à Magistris suis accipitur, constat duobus, quorum alterum pertinet ad Intellectum, alterum ad Voluntatem. Est enim actus Intellectus cum adfectuosa dulcedine. Ergo adæquatum illius subiectum est vtraque potentia.

Confirmatur ex subiecto habitus Fidei. Siquidem virtus Fidei inuoluit in amplitudine sua duas partes, alteram in intellectu, qua efficitur assensus obscurus propter auctoritatem diuinam: alteram in Voluntate, quæ dicitur, Obedientia Fidei ad subjiciendum Intellectum Auctoritati diuinæ: amando nimirum honestatem illam supernaturalem, quæ est in assensu credendi. Ex quo fit consequens, subiectum illius adæquatum esse intellectum & Voluntatem. Quare quamuis omnino certum sit in Christo D. non fuisse fidem, quo ad illam partem, quæ spectat Intellectum: quod docet S. Thomas III. P. Quæst. VII. Art. 3. quoniam ea pars Fidei inuoluit imperfectionem obscuritatis, quæ est contraria Sapientiæ, ac Visioni clarissimæ Christi: Tamen est admodum probabile, quo ad alteram partem à Christo non abfuisse: Licet enim non potuerit efficere actum obscurum credendi, potuit nihilominus honestatem illam diligere tanquam rem conuenientem suæ naturæ creatæ: quæ dilectio est proprius actus Obedientiæ Fidei.

Insinuat hoc S. Thomas ead. Quæst. Art. IX. ad I. vbi cum objecisset: Non videri fuisse in Christo plenitudinem gratiæ, quia non fuere in illo omnes virtutes: nimirum Fides, & Spes. *Respondet*: Fidem, & Spem nominare effectus gratiæ cũ quodam defectu, qui est ex parte recipientis gratiam: inquantum scilicet Fides est de non visis, & spes de non habitis. Vnde non erat conueniens, vt in Christo, qui est Auctor gratiæ essent defectus, quos designãt Fides & Spes, sed quicquid est perfectionis in Fide & Spe, in Christo fuit multo perfectius, quam in alijs hominibus. Quemadmodum in igne non sunt omnes modi caloris defectiui ex defectu subjecti: sed quicquid pertinet ad perfectionem caloris. sicut igitur subiectum adæquatum virtutis fidei, recte dicitur Intellectus & Voluntas: ita ob similem causam non male subiectum adæquatum Theologiæ Mysticæ nominabuntur eædem illæ potentiæ.

S. Th. S. 2æ q. 180 ar. 1. Sunt hæc valde consentanea doctrinæ S. Thomæ, qui disputãs de vita contemplatiua, quæ propria est Mysticorum, docet illam non ita totam esse in intellectu, vt non sit etiam in adfectu. Vita contemplatiua, inquit, illorum esse dicitur, qui principaliter intendunt

con-

contemplationi veritatis. Intentio autem est actio voluntatis, quia intentio est de fine, qui est voluntatis obiectum. Et ita vita contemplatiua, quantum ad essentiam actionis pertinet ad intellectum: quantum autem ad id quod mouet ad exercendam talem operationem pertinet ad voluntatem, quæ mouet omnes alias potentias, & etiam intellectum ad suum actum.

Mouet autem vis appetitiua ad aliquid inspiciendum, vel sensibiliter, vel intelligibiliter. Et aliquando quidem propter amorem rei visæ: quia vt dicitur Matthæi 6. vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Interdum vero propter amorem ipsius cognitionis, quam quis ex inspectione consequitur. Ob quam causam S. Gregorius homil. 14. in Ezechiel. constituit vitam contemplatiuam in caritate DEI: in quãtum scilicet aliquis ex dilectione DEI inardescit ad illius pulchritudinem inspiciendam. Et quia vnusquisque delectatur cum adeptus fuerit, quod amat: ideo vita contemplatiua terminatur ad delectationem, quæ est in adfectu, ex quo etiam amor intenditur.

Itaque recte dixeris cum Caietano Scholasticorum vocabulis Vitam contemplatiuam, seu Theologiam Mysticam *Formaliter* esse in intellectu, quoniam est ipsa contemplatio, quæ est actus intellectus: *Causaliter* autem & *Terminatiue* esse in adfectu. Et vtroque modo dupliciter. Nam causaliter est in adfectu ratione amoris concupiscentiæ, & ratione amoris amicitiæ.

Siquidem ad amorem concupiscentiæ spectat, quando aliquis appetit videre quidpiam vt videat: nam ipsum videre est perfectio videntis. Et seipsum amat, qui propterea quærit aliquid videre vt videat, seu cognoscat. Ad amorem autem amicitiæ spectat appetitus videndi aliquam personam, quia amat illam personam.

Et licet hæc duo diuisa inueniantur sæpe: in re tamen præsenti sunt vnita: nimirum in vno eodemque adfectu. Nam studens Contemplationi simul concupiscit sibi visionem veritatis, & propter amorem ipsius veritatis diuinæ, quam amat, tendit ad videndum illam. Et quoniam ratio amicitiæ præeminet concupiscentiæ: ideo S. Gregorius, vitam contemplatiuam in Caritate DEI causaliter constituit. Constat enim, quod Caritas DEI amicitiam ad ipsum DEVM principaliter designet.

Terminatiue autem Contemplatio & Theologia Mystica est in Affectu, tum secundum delectationem naturaliter consequentem ipsam contemplationem, & obiectum contemplatum: tum secundum amorem amicitiæ augmentatum ex hoc ipso quod videt, & delectatur: si tamen status patiatur istiusmodi augmentum, vt status viæ, non patriæ.

Aliam distinctionem suggerit Dionysius Carthusianus in cap. 5. Areopagit. de Theolog. Mystica. Sicut, inquit, Donum sapientiæ realiter ac subiectiue est in Intellectu, quamuis, quantum ad suum extrinsecum complementum, quod est, feruentissimus Amor in voluntate ponatur; ita & Mystica Theologia. Quod etiam ex eo constat, quia vocatur visio, contemplatio, intuitio. Itaque Theologia Mystica est in Intellectu SVBIECTIVE: in voluntate autem, secundum complementum.

Si hæ distinctiones obseruentur, nulla est difficultas in dissoluendis aduersariorum rationibus, quibus contrarium euincere conantur.

OBIICITVR. I. Ex mente Aristotelis Finis Contemplationis est veritas II. Metaphy. 3. Veritas autem pertinet ad Intellectum totaliter. Ergo & vita Contemplatiua: seu Theologia Mystica.

RESPONDET S. Thomas: Ex hoc ipso quod veritas est finis contemplationis habet rationem boni appetibilis, & amabilis, & delectabilis, atque ita secundum hoc pertinere ad vim appetitiuam. Breuius. Veritas *formaliter* est in Intellectu: *caussaliter*, & terminatiue in Affectu.

OBIICITVR II. S. Gregorius scribit lib. 6. Moral. cap. 28. quod Rachel quæ interpretatur Visum principium, vitam contemplatiuam significat. Sed visio principij pertinet proprie ad Intellectũ. Ergo & vita contemplatiua, ac consequenter Theologia Mystica.

RESPOND. Formaliter pertinere ad Intellectum, caussaliter ad Affectum. Nam ad ipsam visionem principij, quod est DEVS incitat eius amor. Vnde S. Gregorius Homil. 4. in Ezechiel. asserit, vitam contemplatiuam calcatis curis omnibus ad videndam faciem DEI Creatoris inardescere.

DICES, Gregorius idem Homil. 14. in Ezech. Ad vitam contemplatiuam pertinere inquit ab exteriori actione quiescere. Sed vis affectiua, seu appetitiua inclinat ad actiones exteriores. Itaque haud videtur pertinere ad vim appetitiuam.

RESPONDET S. Thomas: vim appetitiuam mouere non solum membra corporalia ad actiones exteriores: sed & intellectum ad exercendam operationem Contemplationis. Certe S. Gregorius eo ipso in loco scribit, Contemplatiuæ vitæ esse; Caritatem DEI & proximi tota mente retinere, & soli desiderio Conditoris inhærere. Desiderium autem & amor ad vim affectiuam, seu appetitiuam pertinet.

Ex his patet, quomodo verum sit, quod docet Gerson, Theologiam

giam Mysticam habere sedem in voluntate: nimirum, causaliter, & terminatiue: non, quod non sit etiam in Intellectu. Hoc enim nec Mystici antiquiores, nec ipse negat, cum sæpe adfirmet, Theologiam Mysticam esse experimentalem DEI cognitionem. Præterea, esse Mysticam Sapientiam: id est, sapidam de DEO notitiam: quæ Intellectum necessario respiciunt.

# COMMENTATIO VII.

# ACTVS THEOLOGIÆ-MYSTICÆ.

E Nulla re melius, quam ex notitia Actuum propriorum intelligeturnatura Theologiæ-Mysticæ; quæ vel est actus aliquis, vel principium siue habituale & permanens; siue subitaneum ac transiens vnius, vel plurium actuum: optime autem habitus innotescunt ex actibus, & causæ, ex effectis.

---

## EXERCITATIO I.

## *OPERATIONES POTENTIARVM Animæ ex partitione Mysticorum.*

QVemadmodum statuunt tres Potentias cognoscitiuas ita adsignant Mystici tres cognoscendi modos, quasi tres operationes: respondentes singulis potentiis. *Prima* est *Cogitatio*. *Secunda* vero *Meditatio*: *Tertia* denique Contemplatio. Pro his constituunt totidem *Oculos*. Et primum cognoscendi modum, quem vocant *Animalem*, dicunt vti Oculo carnis. Secundum, qui nominatur *Rationalis*, Oculo rationis. Tertium, qui appellatur Spiritualis, oculo contemplationis.

His quoque respondent tres modi viuendi hominum, de quibus S. Augustinus lib. de vera Religione: Bernardus ad Fratres de Monte: & Hugo lib. de Sacramentis ac super Ecclesiasten. Primi non videntur viuere eleuatius, quam bruta: agunt enim ac si solis sensibus

vte-

vterentur, aut insequerenter illorum tantummodo obiecta. Alii magis insequuntur rationem, intelligentes abstractas regulas artium & scientiarum. Vltimi vltra hæc omnia eleuant se, rationem ipsam transcendentes, & elati ad regionem quandam æternitatis ac perspicabilitatis: nimirum super omnem fluitationem, ac confusionem infinitam desideriorum, cogitationumque humanarum, in auram quandam libertatis serenam consurgunt, & euolant. Nec minus videtur differre illorum vita, à vita ceterorum, quam distant homines à pecudum viuendi consuetudine, rituque.

Porro vt sunt res cognoscendi modi: nempe, Cogitatio, Meditatio, & Contemplatio: ita in parte appetitiua sunt tres functiones iis correspondētes; *Prima: Cupido*, vel *Libido*, seu *Concupiscentia*. Secunda; *Deuotio*, seu *Contritio*, aut *Compunctio*. Tertia, *Dilectio*, non quælibet, Sed *Ecstatica*, & Anagogica, id est, sursum ducens, ac rapiens in Diuina: Quod ita deducit Ioannes Gerson.

*Parte 5. de Theol Myst cap. 27.*

Quemadmodum Cogitatio est improuidus animi obtutus ad ouagationem pronus: ita consequenter ad talem cogitationem, si sit de re delectabili, sequitur Affectio improuida, & vaga sine vtilitate, & fructu, quæ satis congrue vocatur Libido, Cupido, vel Concupiscentia.

Ad Meditationem, quæ est prouidus animi obtutus in veritatis inquisitione, & cœlestium rerum inuentione vehementer occupatus sequitur proportionata Affectio erga res illas, si animus sit dispositus. Est autē ipsa quoq; prouida, non vaga, cum fructu, ac difficultate, quæ dici potest Deuotio, compunctio, aut Oratio: hoc est, affectus pius, & humilis vehementer ac fortiter tendens & nitens in amorem primæ veritatis, & bonitatis.

Contemplatio, quæ est libera & expedita Consideratio eorum, quæ Meditatio cum ingenti difficultate perquirit habet Affectionem in anima disposita, suamque dilectionem similiter liberam, puram, expeditam, & abstractam: atque idcirco appellari potest Dilectio Ecstatica vel iubilatio. Quæ vltra deuotionem addit facilitatem, & iucunditatem inæstimabilnm, ac inexpressibilem exuperantem omnem sensum.

S. Bonauent. Opusc. de Septem itinerib. Æternitatis itinere III. dist. 3. quatuor Actus numerat hoc ordine. Primus est Cogitatio, quæ oritur ex Imaginatione, & transit, ac terminatur in Meditationē. Secūdus est Meditatio, quæ oritur ex Ratione, & transit, ac terminatur in Speculationē. Tertius est speculatio, quæ partim oritur ex ratione partim ex Intelligētia: transit & terminatur in Contēplationē. Quartus

tus est Contẽplatio, quæ oritur ex Intelligentia, transit & consummatur in Intuitiuam cognitionem. His si adiungatur Oratio, quæ etiam suo quodam modo spectat ad Mysticos nullus actus, ex ijs, quæ ad Contemplationem Mysticam referuntur, desiderabitur. De singulis igitur separatim disputandum erit, vt quo pacto cum Contemplatione conueniant, & quatenus distinguantur innotescat.

---

# EXERCITATIO II.

## *DE COGITATIONE ET CONSIDERATIONE, prout spectat ad Theologiam Mysticam.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quid vniuerse & amplissima significatione sit Cogitatio?

RESP. COGITATIO est animi circa rem quampiam agitatio. Dicitur à COGITO, qui est actus mentis multa in vnum cogentis, vnde quidpiam possit elicere. Itaque cogitare non est simpliciter intelligere: nec cogitatio, quælibet cognitio, sed certa quædam & cum inquisitione. Vt cogitatio dicatur, quasi Coagitatio mentis, & significet volubilitatem mentis inquirentis. Quamobrem S. Thomas S. II dæ Quæst. 11. Art. 2. docet credere esse cum assensione cogitare, vt loquitur S. Augustinus lib. de Prædest. S S rum Cap. 2. Vbi non quidem tradit perfectam definitionem Fidei, vt nonnulli Interpretes S. Thomæ perperam existimant: sed simpliciter illud enunciat. Probat enim non posse hominem credere absque gratia, quoniam in iis, quæ ad pietatem spectãt nihil possumus cogitare ex nobis quasi ex nobis. Credere autem nihil aliud est quam cum assensione cogitare: hoc est: Fides est quædam cum assensu cogitatio, atque ideo esse nequit sine gratia.

Vt autem effatum S. Augustini explicet S. Thomas, obseruat, *cogitare* trifariam sumi. *Primo*, communiter, pro qualicunque actuali consideratione intellectus, sicut Augustinus dicit libr. 14. de Ciuit. cap. 7. Hanc nunc dico intelligentiam, qua intelligimus cogitantes. Quocirca non male Franciscus Suarez respiciens hanc vocabuli acceptionem, docet: cogitationem proprie generaliter significare quam- *Suar. tom. 1. de relig. lib. 11. ca. 9*

quamcumq; cognitionem, vel actualem intellectus applicationem, ad cognoscendum. *Secundo* igitur, sumitur magis proprie pro consideratione intellectus, quæ est cum quadam inquisitione, antequam perueniatur ad perfectionem intellectus per certitudinem visionis. Quo pacto Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 16. docet, quod DEI Filius non cogitatio dicatur, sed verbum. Cogitatio quippe nostra perueniens ad id quod scimus, atque inde formata verbum nostrum est. Et ideo verbum DEI sine cogitatione debet intelligi non aliquid habens formabile, quod possit esse informe. Hac autem significatione, cogitatio proprie dicitur Motus animi deliberantis nondum perfecti per plenam visionem veritatis. Porro, quia talis motus potest esse vel animi deliberantis circa intentiones vniuersales, quod pertinet ad partem intellectiuam: vel circa intentiones particulares, quod spectat ad partem sensitiuam. Quapropter cogitare frequenter sumitur pro actu intellectus deliberantis. Tertio pro actu virtutis cogitatiuæ.

Addere posses: Primo, cogitare esse actum intellectus dum manet suspensus circa rei euidentiam. Secundo: esse fere semper coniunctum cum discursu, licet non necessario significet ipsum discursum.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quid sit cogitatio sensu Mysticorum.

RIchardus Victorinus lib. de contemplat. ca. 3. & 4. cogitationem dicit esse animi respectum ad euagationem pronum. Quod explicans S. Thomas S. IIdæ quæst. 180. artic. 3. ad 1. ait ad cogitationem pertinere multorum inspectionem, vt tandem veritas vna colligatur. Itaque sensu Richardi, quem sequuntur posteriores Mystici, cogitatio spectare videtur ad contemplationis quoddam quasi exordium. Nimirum, vt cogitatio sit quasi prima apprehensio, repræsentatio, aut applicatio intellectus ad rem de qua instituenda est contemplatio. Et tunc, vt obseruat Suarez, mentis respectus ad euagationem pronus quasi limitatur ad talem materiam. Nam euagatio plurimũ impediret contemplationis cursum.

Cogitationi deseruit LECTIO, quæ illam excitat, sicut etiam sermo, & Auditio: imo, signum omne externum excitatiuum intellectus ad cogitandum.

* * *

TER-

## TERTIA DISQVISITIO. An Cogitatio differat à Consideratione?

CONSIDERATIO vox est generalis, quamcumque intellectus operationem significās, vt ex Aristotele lib. III. de Anima notat S. Thomas 2. IIdæ. Quæst. citata. At magis pressa significatione S. Bernardus lib. II. de considerat. cap. 2. sic illam definit: CONSIDERATIO EST INTENSA AD INVESTIGANDVM COGITATIO. VEL INTENSIO ANIMI INVESTIGANTIS VERVM. Quo pacto consideratio à Meditatione non distinguitur: differt tamen à cogitatione, vt à genere species. Quomodo autem à contemplatione differat, suo loco dicetur.

---

# EXERCITATIO III.

## *DE MEDITATIONE ET SPECVLatione ad Mysticam Contemplationem accommodata.*

## PRIMA DISQVISITIO. Quid sit Meditatio?

MEDITOR Gręcis μελετέω, φροντίζ, φιλοσοφέω, litteratis est attente cogito, quasi medio animo verso, mēte diligenter pertracto. Hinc MEDITATIO, quæ significat cogitationē cum singulari quadā industria animi quidpiam inuestigantis. Quod spectant plurimæ definitiones à Sacris Doctoribus traditæ.

S. Augustinus lib. de spiritu & anima, si tamem est illius. cap. XXXIII. *Meditatio est occultæ veritatis studiosa inuestigatio.*

S. Bernardus de scala Claustr. *Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis inuestigāns.*

Richardus de S. Victore lib. I. de contēpl. ca. 4. *Meditatio est prouidus animæ obtutus in veritatis inquisitione vehemēter occupatus.* Idem. *Meditatio est studiosa mentis intentio circa aliquid inuestigandum vehementer insistens.*

Hugo de S. Victore Lib. de Meditat. initio: *Meditatio est frequens Cogitatio modum & caussam & rationem vnuiscuiusque rei inuestigans.* Modum, *quid sit*: Rationem, *quomodo sit*. Idem sermone 72. *Meditatio est assidua, ac sagax retractatio cogitationis aliquid vel inuolutum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum.*

Humbertus lib. 6. De erudit. Relig. Part. 4. cap. 24. *Meditatio est intenta ad inuestigandum cogitatio.* Vel, *Intentio animi inuestigantis verum.*

Ioannes Gerson lib. de Medit. Cordis cap. 4. *Meditatio est vehemens, & salubris animi applicatio ad aliquid inuestigandum, vel experimentaliter cognoscendum.*

Consentiunt his recentiores, quos inter fusissime de Meditatione disputans Iacobus Aluarez de Pac. To. III. li. I. Par. III. ca. II. ita eam describit: *Meditatio est attenta, ac solicita mentis* consideratio, *seu* Speculatio, *cunctanter procedens, & rei cuiusque naturam, proprietates, & actiones vtiliter inquirens.* Vult autem illam esse opus mentis, siue intellectus, non quidem illius quatenus rerum naturas speculatur, vt sciat, qua ratione *Speculatiuus* dicitur: sed illius, quatenus aliquid scrutatur, vt faciat, & de rebus agendis deliberat: sicque *Practicus* nuncupatur. Sed hoc vniuerse Meditationis substantiam non attingit, quia potest esse opus Intellectus speculatiui. Quamuis meditatio hominis ad Christianæ vitæ perfectionem tendentis praxim respiciat.

Tom. II. de Relig. lib. II. cap. 2. Quod etiam docet Franciscus Suarez. Nam alioqui, inquit, non esset actus Religionis, nec caritatis, & consequenter nec Oratio mentalis. Quod indicare potest vocula, *Studiosa*, quæ est in definitione Bernardi.

## SECVNDA DISQVISITIO. Ad quam Intellectus operationem proprie spectet Meditatio?

RESP. Cum sint tres Intellectus operationes: Prima, quæ est simplex apprehensio: Secunda, Compositio, vel Iudicium: Tertia, Ratiocinatio, seu Discursus; Meditationem ad hoc tertium genus pertinere. Est n. Disquisitio, qua ex vno nobis peruio, aut magis noto, in cognitionem alterius abditi, aut minus noti deuenimus.

## TERTIA DISQVISITIO. Quas conditiones postulet Meditatio?

CONditiones Meditationis sunt, vt sit *Attenta* ne mens voluntarie euagetur: *Solicita*, vt cum cura omnia lustrentur: *Cunctabunda*, quod & Latinum nomen significat, & Græcum μελετᾶν innuit. Ac semper cum in scriptura sacra occurrit cunctationem hanc & mentis exercitationem significat. Sic Psalmo I. 2. De iusto: *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte*: μελετήσει. De se Dauid: *In meditatione mea, exardescit ignis.* Vbi Meditationem vocat, vt ibi

notat

notat Lorinus, crebram, anxiamque mentis agitationem. Et, *Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi.* Psal. 118. 47. De Isaaco dicitur Genes. 24. 63. *Egressus fuerat ad meditandum in agro inclinante iam die.* quod ad rerũ Diuinarum considerationem (exercitationem vertit Hieronymus) plurimi cum Lyrano accipiunt, quamuis ad arationem Antonius Nebrissensis, sed immerito reprehendens antiquiores, id referat. *An Nebriss in quinquag. c. 28.*

Hebræum quoque הגה *hagah, meditari*, vt monet Genebrardus in Psalmum 1. includit agitationem quandam mentis, & quasi curam ac solicitudinẽ, quæ idcirco sæpe erumpit ad oris motũ, & submissam vocẽ, vt idcirco dicatur: Os iusti, aut lingua meditari iustitiã Psal. 36. 20. Psalmo 34. 28. Psalmo 70. 21. Hinc transfertur idem verbum ad frementes, ac rugientes præ fame feras Isaiæ 31. 4. & ad gementes præ tristitia, ac vlulantes. Isaiæ ca. 16. 7. ca. 38. 14. ca. 59. 11. Nomen autem inde deriuatum הגה *heghe*, aut הגיג *haghig*, aut הגות *haghuth*, aut הגיון *heghion*, aut הגיון *higgaion* aliquando vertitur *Meditatio*, aliquãdo sonus Iob 37. 2. siue Strepitus & clamor Ps. 5. 2. &, carmen lugubre Ezechielis 11. 9. Imo Rabbini logicam suã: nempe discursiuã illam Disciplinam & quæ meditabundos postulat, appellant הגיון *Higgaion*: sicut & genus quoddam modulationis.

## QVARTA DISQVISITIO. An orationis mentalis pars sit Meditatio.

ITa communiter docent rerum Spiritualium Magistri. diserte Bernardinus Rosignolius li. 1 v. de Disciplina Christianæ perfectionis cap. 4. Oratio enim, quæ Mentalis appellari solet, constat, tanquam partibus, Meditatione, & Oratione proprie dicta, vel Petitione de quibus S. Bernardus sermon. 1. de S. Andrea. Meditatio *docet, quid desit:* Oratio, *quod deest, obtinet. Illa viam ostendit: ista deducit.* Meditatione *denique agnoscimus imminentia nobis pericula:* Oratione *euadimus.* Et S. Augustinus lib. 11. de sermone Domini cap. 3. *Non verbis agere debemus apud* DEVM *ut impetremus, quod volumus, sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura, & simplici affectu. Sed res ipsas verbis nos docuit Dominus noster, quibus memoria mandatis, eas ad tempus orandi recordaremur.* Ex quibus etiam satis constat, in Meditatione, quamuis ipsa proprie sit opus intellectus, exerceri Memoriam, Intelligentiam, & Voluntatem.

QVINTA DISQVISITIO.] Quotuplex sit genus Meditationis?

MEditatio ab Asceris interdum vocatur CONSIDERATIO, interdum, SPECVLATIO. Constituunt enim duplex Meditationis genus. Vnum, dum quidpiam meditamur per illa, quæ sunt rei propria: siue sit natura ipsius, siue accidentia: siue quidpiam antecedens, siue comitans, siue consequēs: & tunc ab ijs dicitur Consideratio. Alterum, cum ad inuestigandam occultam veritatem, vtimur symbolis, Imaginibus, similitudinibus varijs, ex quarum proportione deducimus proprietatem aliquam rei de qua meditamur. Exemp. Gr. Peccati symbolum est mors. Ex huius igitur amaritie illius similem qualitatem protrahimus. Et hæc à quibusdam appellatur speculatio.

SEXTA DISQVISITIO. An Speculatio non sit actus diuersus à Meditatione?

FRanciscus Suarez Tom. II. de religione li. II ca. 9. ait Speculationem dici posse qualemcumque intuitionem causæ quatenus ad eā inquisitio jam peruenit, licet per effectus comparata fuerit. Quo pacto idem esset speculatio, quod Contemplatio ex effectibus: Quam à Meditatione non facile discrimines.

Itaque S. Thomas S. II dæ. Quæst. CLXXX. Art. III. ad 2. Speculationem vult non differre à Meditatione: vel ad illam referri: quia nō est, inquit, dicta à specula: sed speculo. Speculari autem DEVM est ex creaturis ipsum inuestigare: nam effectus sunt quasi speculum in quo causa cernitur. Atque ideo dicit Paulus II. ad Corinth. III. in hac vita nos gloriam Domini speculari. Hinc speciem *Theologiæ-Specularis* deriuauimus. de qua disputamus Lib. III. de *Theologia-varia*, Commentat.

---

# EXERCITATIO IV.

## *DE ORATIONE, IN ORDINE AD Contemplationem Mysticam.*

CVm inter partes Orationis Mentalis à S. Bernardo recenseatur contemplatio: quæ sit velut terminus ad quem in hac vita mens huma-

humana orando possit ascendere, haberi non potest perfecta de contemplatione notitia, nisi perspectum fuerit cuius potentiæ functio sit oratio, & quas illa perfectiones contineat. Est igitur

## PRIMA DISQVISITIO. Quid proprie sit oratio.

S. Hieronymus Epist. cxxxix. ad Cyprianum: *Oratio*, inquit, *iuxta Grammaticos omnis sermo loquentium est, cuius etymologiam sic explicant: Oratio est oris ratio. In scripturis autem sanctis difficile orationem iuxta hunc sensum legimus: sed quæ ad preces, & obsecrationes pertinet.* Nempe, ad DEVM potissimum directa. Sic autem bifariam accipitur: *Primo* pro qualibet actione qua mens eleuatur in DEVM per laudem, gratiarum actionē, peccatorū confessionē, aut petitionē alicuius boni. *Secundo*, magis presse pro actione petēdi quidpiam à DEO. Hinc tot sunt orationis definitiones vt difficile sit inire numerum, quarum aliquæ vtramque acceptionem comprehendunt, aliæ tantum alterutram.

Vulgatissima est illa S. Ioannis Damasceni, & maxime vniuersalis, quæ habetur lib. 3. de Fide cap. 24. *Oratio est ascensio mentis in DEVM.* Aut: *Decentium à DEO Petitio.* Paulo fusius S. Augustinus eodem tamen sensu sermone 230. de Tempore: *Quid autem est* Oratio *nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia: Inquisitio supernorum: inuisibilium desiderium?* Ita quoque Orationem accipit S. Thomas S. IIdæ Quæst. 83. Art. 17. vbi exponit dictum Pauli 1. ad Timoth. 11. 1. nominantis Obsecrationes, Orationes, Postulationes, Gratiarum actiones: Orationem enim à Postulatione distinctam, ita depingit, vt non aliud sit, quam ascensus, & cogitatio, qua mens tendit in DEVM. Sicque pernoctasse Christum in Oratione optime intelligitur, nimirum considerando & contemplando diuina. Nec enim necessarium est, dicere: fortasse nec est probabile semper fuisse intentum petitioni.

Proprie autem Oratio definitur: *Bonorum petitio quæ ad DEVM effunditur.* Atque hoc modo sæpe sumitur in S. Sra. Matthæi 5. 44. *Orate* id est, rogate, petite, *pro persequentibus & calumniantibus vos.* In iis etiam omnibus locis in quibus orandum esse pro aliquibus indicatur: nempe petendem gratiam, postulandam pacem vel misericordiam. Communiter quoque Patres in ea acceptione de Oratione disputant. Itemque Interpretes S. Sræ. in 1. ad Timoth 11. Quando autem Petitio solo interiori mentis actū perficitur, dicitur *Oratio Mentalis.* Quando corde & ore fit, appellatur, *Vocalis.*

## SECVNDA DISQVISITIO. Cuius potentiæ actus sit Oratio?

EXiſtimat eſſe potentiæ appetitiuæ, & actum à voluntate elicitum Ioannes Medina tract. de oratione, quæſt. 11. Idem inſinuat Thomas Waldenſis tom. III. cap. 11. num. 10. Vocans orationem mentalem deſiderium, & adfectum pium. Eiuſdem opinionis putantur, qui docent, Imperium pertinere ad voluntatem, nō ad intellectum, vt Bonauen. in III. diſt. 17. art. 1. quæſt. 1. ad 3. Okam in III. q. 12. art. 4. concl. 3. Almainus tract. III. moral. cap. 7. Caſtro de lege pœnali lib. 1. cap. 1. Nam ita ſe habet oratio ad ſuperiorem, ſicut imperium ad inferiorem. Sed ad intellectiuam ſpectare docet S. Thomas S. IIdæ qu. 83. art. 1. ibidemque Caietanus, & alii Doctoris Aquinatis interpretes. Richardus quoque in 4. diſt. 15. art. 4. quæſt. 1. Gabriel in Canonem lectione 61. Nauarr. tract. de orat. cap. 1. num. 8. & 13. Suarez to. II. de relig. lib. 1. cap. 3. Gregorius Valentia tom. 4. diſp. 6. q. 11. punct. 1. Vtrique potentiæ orationem tribuit Alenſis par. 4. q. 26. m. 4.

RESPONDEO, Orationem mentis formaliter, & eſſentialiter eſſe actum potentiæ intellectiuæ, ſeu rationis. Probat id S. Thomas. Quia petitio eſt actus rationis practicæ: qua homo diſpoſitiue ordinat aliquid per alium agendum. Sed oratio eſſentialiter eſt petitio. Ergo actus rationis practicæ. Majorem propoſitionem declarat. Ratio ſpeculatiua, & practica differunt: quod ſpeculatiua ſolum ſit apprehenſiua rerum: practica, non tantum apprehenſiua: ſed & cauſſatiua. Poteſt autem quidpiam eſſe cauſa alterius bifariam: vel perfecte, quando effectus totaliter ſubditur poteſtati cauſſantis: vel imperfecte, tantummodo per diſpoſitionē, quando non eſt tanta poteſtas in cauſa. Sic itaque Ratio aliquando eſt cauſa perfecta, quod contingit per imperium, quo inducit neceſſitatem: quo pacto imperat potentijs inferiorib. ac membris corporis: aliquando imperfecte, per modum diſponentis, quatenus petit aliquid fieri ab ijs qui illi non ſubijciuntur, ſiue ſint æquales ſiue ſuperiores. Porro tam imperare, quam petere, ſeu deprecari ordinationem quandam ſignificat: prout homo diſponit aliquid per aliud eſſe faciendum. Ordinare autem eſt rationis: ac proinde & deprecari, vt eſt apud Ariſtotelem Ethicor. 1.

Breuius. Oratio eſſentialiter eſt loquutio cum altero, qua proponitur deſiderium quidpiam obtinendi ab illo. Sed loquutio, maximè ſi ſit interna, eſſentialiter eſt actus intellectus, qui fertur ad aliam

ſubſtan-

substantiam intellectualem , vt percipiat illud, quod orans vel loquens manifestare cupit. Ergo oratio essentialiter est actus intellectus. Major constat ex Augustino si illius est sermo XXII. ad Fratres in Eremo, sed etiamsi non esset tanti Doctoris, à nemine negabitur rem diligenter perpendenti. In eo dicitur , *Bonorum Oratio est loquutio ad* DEVM. Eandem vim habet, quod scribit Gregor. Nyss. serm. 1. de Oratione Dominica: *Oratio est sermocinatio cum DEO.* Et quod scribit S. Chrysostomus Homil. xxx. in Genes. *Oratio colloquium est cum* DEO. *Quod vt scias , audi Prophetam dicentem:* Iucundum sit ei colloquium meum. Psal. 103. Minorem non negabit vllus Philosophus: quia loquutio est actio significatiua, & consequenter affirmatio, aut negatio quæ haud dubie spectant ad intellectum. Confirmatur ex Isidoro lib. 10. etymol. cap. 4. vbi *orare*, idem esse ait, quod *dicere:* Dictio autem est intellectus functio.

Maius momentum habet illud 1. Reg. 1. 13. *Anna loquebatur in corde suo, tantumq́; labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Idem enim est, *loquebatur*, quod orabat. Et quamuis etiam linguam moueret, ideoq; nō esset oratio mere mentalis, tamen potuisset loquutionem omnem externam omittere, & interius tantum cum DEO sermocinari.

## TERTIA DISQVISITIO. An oratio nullo modo spectet ad appetitiuam potentiam?

RESP. Ad illam spectare præsuppositiue, vel connotatiue. Declaro. Adhoc vt Oratio legitime fiat, præter loquutionem seu petitionem necessarium est in orante esse aut fuisse duplicem actum voluntatis. Horum alter est obiectum, quod significatur per petitionē, seu orationem. Qui actus optime exprimitur nomine desiderij. desiderat enim quidpiam, qui orat alterum. Nisi autem sit hoc desiderium, petitio non est vera, sed simulata & falsa: nam significat desiderium, quod in orante nullum est. Alter actus est principium imperans loquutionem illam in qua consistit formaliter orationis substātia. Quodnam est hoc principium? dico esse actualem voluntatem manifestandi desiderium consequendi à persona, ad quam sermocinatio dirigitur, illud, quod per orationem significatur. Cognoscit rei alicuius indigus se habere desiderium obtinendi aliquid ab altero: hoc ipsum vult manifestare : ex hac voluntate procedit manifestatio per loquutionem. Quæ si non respiciat illam voluntatem imperantem, non est essentialiter oratio; quia hæc est loquutio dependens

à voluntate manifestandi internum desiderium. Vt itaque desiderium internum requiritur ad hoc, vt oratio sit vera: sic voluntas manifestandi illud desiderium, est necessaria vt sit substantia ipsa orationis: quoniam loquutio postulatoria non est oratio absque dependentia à dictà voluntate.

Esse autem distinctos actus desiderium obtinendi, & voluntatem imperantem petitionem, liquet, quia non omnis, qui desiderium habet, statim imperat petitionem, etiamsi sit absolutum desiderium. Imo interdum nunquam inducit in animum petere, maxime si occurrat facilior obtinendi modus, vel per alterius intercessionem, vel aliam aliquam manifestationem.

## QVARTA DISQVISITIO. Qualis actus intellectus sit Oratio?

S. Thomas S. II. quæst. 83. art. 1. Obiectionem tertiam ita format. Philosophus III. de anima tex. 31. ponit duas operationes intellectiuæ partis: quarum prima est, indiuisibilium intelligentia: per quā scilicet apprehendimus de vnoquoque, quod est. Secundo vero est compositio, & diuisio, per quam scilicet apprehenditur aliquid esse, vel non esse. Quibus tertio additur ratiocinari: procedendo scilicet de notis ad ignota. Sed oratio ad nullam istarum operationum reducitur. Ergo non est actus intellectiuæ virtutis, sed appetitiuæ.

Breuius. Oratio non est ratiocinatio, vt per se constat: nec iudicium de re aliqua, quod æque videtur clarum: nec simplex apprehensio intellectus. Ergo essentialiter non est actus intellectus, sed voluntatis desiderantis quidpiam à DEO obtinere.

RESPONDEO. Orationem esse actum intellectus, qui dicitur *iudicium*, & est secunda illius potentiæ operatio, vt loquuntur Philosophi, probatur. 1. Oratio est loquutio expressiua desiderii aliquid obtinendi: siue expressio ipsa desiderii. Hæc autem non est aliud, quam assensus Intellectus. Assensus vero est secunda operatio, ipsumq; iudicium. 2. Oratio, seu petitio, est quædam adfirmatio & propositio, quæ significet desiderium conceptum obtinendi aliquid. Sed adfirmatio & propositio, istiusmodi spectat ad secundam intellectus operationem, quæ est iudicium.

DICES, Potest contingere, vt quis dum orat, nihil magis cogitet, quam antequam oraret. Euenit etiam non raro vt bonum aliquod cogitetur per apprehensionem & iudicium, non tamen à DEO petatur per petitionem, aut orando. Item accidit sæpe, vt aliquis, quan-

quando non orat, intelligat, tum alia, quæ intelligit, quando orat, tum etiam desiderium, quod habet, obtinendi, id, quod bonum iudicat à Deo. Ergo actus orationis non potest esse assensus ille seu iudicium prædictum.

Resp. Distinguendo consequens. Non est assensus vel iudiciũ solitarie sumptum, sine alia connotatione; concedo. Nõ est ille assensus cum dependentia à voluntate manifestandi desiderium conceptum: nego. Declaro. Oratio, & est loquutio, & Petitio: qua Loquutio, necessario includit dependentiam à voluntate designata: qua Petitio, postulat desiderium obtinendi. Itaque si desit alterutrum, Assensus non habet rationem Orationis: si adsit vtrumque, essentialiter est Oratio. Hinc expeditur

## Qvinta Disqvisitio. An præter Apprehensionem & Iudicium requiratur alius actus intellectus, in quo formaliter consistat Orationis substantia?

Ita adfirmant nonnulli, sequuti opinionem Dominici Soto lib. 1. de Iustit. Quæst. 1. art. 1. & Antonij de Cordua lib. 11 Quæst. 10. Hi confingunt tertium quendam actum practicum ordinatiuum voluntatis vnius ad alterum, qui proprie significetur per verba modi imperatiui.

Respondeo: Negatiue. Probatur, I. Præter apprehensionẽ simplicẽ & assensũ vel iudiciũ, non est alius actus intellectus, quam discursus, vel ratiocinatio. Sed actus ille ordinatiuus ne quidem secundum aduersarios est discursus, cum nihil colligat. Itaque fingitur tantum cum ad nullam speciem pertineat, II. Si per illum actum ordinatiuũ nihil adfirmatur, vel negatur, non est nisi Apprehẽsio sine iudicio adfirmante, vel negante, III. Oratio debet significare esse desiderium obtinendi quidpiam ab alio quod sine adfirmatione non potest intelligi: dum autem est manifestatio talis desiderij per loquutionem frustranea est omnis alia ad essentiam orationis operatio.

## Sexta Disqvisitio. Quomodo efformetur interior loquutio?

Resp. Quemadmodum loquutio exterior formari solet signis verbalibus à lingua effictis, ita interiorem concinnari solere signis mentalibus, id est, ipsis conceptibus. Communiter autem illud fieri animaduertimus per conceptus mentales ipsarum vocum, qui à Lo-

gicis dicuntur conceptus vltimati. Exprimendo igitur mentalia verba in eo idiomate, cuius est peritus dicitur loqui interius, & desiderium suum sufficienter manifestare. Nam talis expressio est repræsentatio quædam interioris desiderij, & insinuatio ad Deum directa. Atque ex ea deinde procedit loquutio exterior. E quibus tamen male colligas, esse actum diuersum ab apprehensione, & iudicio.

## SEPTIMA DISQVISITIO. An Oratio aliquando sit actus Religionis?

ALexander Alensis Par.4.Q.26.Mem.1. Art. 2. existimat, Actum orandi esse actum elicitum à tribus virtutibus Theologicis. At S.Thomas S.IIdæQ.83. Art.3. eiusque Interpretes, pronunciant esse Actum virtutis Religionis.

RESPONDEO. Id interdum esse verum. Prob. Actus orandi aliquando amatur & exercetur propter honestatem propriam Religionis. Ergo tunc est actus Religionis. Consequentia est euidens. Antecedens probatur. Actus orandi interdum amatur & exercetur, quia est significatio indigentiæ humanæ, & liberalitatis diuinæ: sed hæc est honestas & obiectum, quod respicit Religio. Quando igitur efficitur ex dilectione huius bonitatis, quæ per se ab orante appetatur pertinet ad Religionem. Clare Valentia. Hoc ipso, quod DEVM oramus, profitemur nos ipso maxime indigere, vt Principio, & Auctore nostro: in quo maxime exhibemus ei cultum, & honorem: quod est munus virtutis Religionis.

*Disp.6.q.11.punct.1*

## OCTAVA DISQVISITIO. An Oratio semper sit actus Religionis.

RESP. Negatiue. Explico & probo. Mouetur homo interdum ad Orationem, non ex honestate significandi indigentiam propriã, & potestatem, ac liberalitatem diuinam, sed ex vtilitate, quam considerat esse in oratione ad obtinendum desiderata. Vtilitas autem hæc non spectat ad vnam aliquam virtutem particularem, sed ad omnes illas, quæ versantur circa diuersos fines, ad quorum consequutionem dirigitur actus orandi. Quando igitur actus orationis exercetur, ex solo desiderio obtinendi illud quod petitur, & consequenter ex vtilitate, quæ est in actu orationis, tunc orans, non operatur formaliter per virtutem Religionis, cuius non respicit obiectum, aut honestatem; sed per illam virtutem, per quam honeste desiderat rem illam,

illam, quam postulat. Siquidem eiusdem virtutis est, intendere finem bonum, & exequi media vtilia ad eundem finem quatenus vtilia sunt.

Adhæc aliorum dicta exigenda sunt, qui varie de orationis natura ac proprietatibus disputant. Cōsule Gregorium de Valentia to. III. disp. 6. quæst. 11. puncto 1. Qui animaduertit ex S. Thoma & Caietano, orationem esse actum rationis practicæ, quo quis ordinat, seu decernit aliquid per alium faciendum, non id imperando, sed ad id inducendo, & quasi disponendo alium, indicando ei nimirum proprium desiderium. Quod complexus Bellarminus lib. 1. de bonis operib. cap. 1. sic definit: *Oratio est actus rationis practicæ voluntatis desiderium explicantis, & ab alio aliquid postulantis.*

Quoniam autem tam necessarium est ad orationem perfectam voluntas petendi, & obtinendi desiderium, fit nonnunquam, vt Desiderium, nomine Orationis significetur, licet sit actus voluntatis. Vnde quidam sic argumentantur. Actus qui à Deo dicitur exaudiri, est actus orationis. Sed pium desiderium dicitur à Deo exaudiri. Psalmo IX. 17. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Ergo Desideriū est actus orationis. Quis autem neget Desiderium esse actum voluntatis?

RESPOND. Quando adfirmatur, DEVM exaudire Desiderium, hoc nomine significari illud, quod DEO proponitur per loquutionem orantis, seu petentis. Quamuis dici possit Exaudire idem esse, quod implere. Hoc autem contingere potest sine proprio actu exauditionis, qui respondeat directe Orationi proprie dictæ.

# COMMENTATIO VIII.

## De

# CONTEMPLATIONE.

AB hactenus nominatis, explicatisque Actibus, differt CONTEMPLATIO, propria Mysticorum functio. Quæ quoniam plurima complectitur, vna, alteraue exercitatione satis declarari non potest.

# EXERCITATIO I.

## CONTEMPLATIONIS ACCEPTIO, significatio, vsus.

### PRIMA DISQVISITIO. Quotuplex sit acceptio Contemplationis?

RESPONDEO: Esse duplicem. Primo enim accipitur latissime, atque ita est quid commune ad omnes Intellectus operationes. Deducitur enim à cõtemplor, quod est, mente considero. Quamobrem non tantum comprehendit mentis intuitionem, aut quasi visionem veritatis: sed etiam inquisitionem, meditationem: ac denique, quamcumque considerationem, quæ ad veritatis cognitionem tendat, atque in illa sistat.

*Arist. lib. 11. Met.* Hoc pacto distinguunt Philosophi contemplationem à praxi, nec contemplationem minus late patere putant, quam speculationem. Et sic Aristoteles 11. Metaphys. tex. 3. finem contemplationis dicit esse veritatem, nimirum, intellectam: seu, cognitionem veritatis.

*Cic. li. 1. Acad.* Hac eadem significatione dixit Cicero: contemplationem, considerationemque naturæ, esse naturale quoddam animorum pabulum. Et lib. IV. de Finib. contemplationem esse Meditationem, & considerationem rerum occultiorum.

Porro, quoniam dum speculamur, inquisitio, aut meditatio est quodammodo via: cognitio autem & intuitio veritatis inuentæ, est terminus, ac finis: idcirco contemplationis nomen constrictum est ad significandam intuitionem veritatis, atque attentam illius considerationem per modum cuiusdam intuitus, aut aspectus veritatis, non autem adinstar inquisitionis.

### SECVNDA DISQVISITIO. Quomodo sumatur à Theologis Mysticis Contemplatio?

RESPOND. Sumi posteriori modo. Cum apud illos contemplatio non sit veritatis inuestigatio, aut meditatio: sed terminus, qui est veritatis quæsitæ, & inuentæ intuitio.

EXER-

# EXERCITATIO II.

## *CONTEMPLATIONIS DEFINITIO.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quomodo optime deſcribatur Contemplatio?

CONTEMPLATIONIS non vna traditur à Doctoribus Definitio. Auctor libri de Spiritu & Anima apud Auguſtinum, poſtquam deſcripſiſſet Meditationem, ſubiunxit: *Contemplatio eſt perſpicua veritatis iucunda admiratio.*

S.Bernardus lib. II. de Conſideratione. *Contemplatio eſt verus, certuſque intuitus animi de quacunque re.* ſiue: *Apprehenſio veri non dubia.* Idem de ſcala clauſtral. *Contemplatio eſt mentis in* DEVM *ſuſpenſa eleuatio.* Quod ſequitur, ad effectum pertinet Contemplationis Chriſtianæ: *Aeternæ dulcedinis gaudia deguſtans.*

S.Thomas breuiſſime S. IIdæ Queſt. CLXXX. Art. I. & 3. *Contemplatio eſt diuinæ veritatis ſimplex intuitus.* Dicitur, INTVITVS *ſimplex:* quo differt à *Cogitatione*, & *Meditatione.*

### SECVNDA DISQVISITIO. Quomodo diſtinguatur Contemplatio à cogitatione, & Meditatione?

DE quo diſcrimine accurate Richardus de S. Victore libr. 1. de contempl. Capite 3. vbi hunc in modum clariſſime de contemplationis natura ex Myſticorum ſenſu philoſophatur. Vt quæ de contemplatione dicenda ſunt, poſſimus commodius capere, rectiuſque dijudicare, debemus prius quærere: Quomodo differat à cogitatione vel Meditatione.

Sciendum itaque, quod vnam eandemque materiam aliter per Cogitationem intuemur: aliter per Meditationem rimamur: aliter per contemplationem miramur. Multum à ſe inuicem hæc tria in modo differunt, quamuis quandoque in materia conueniant. De vna ſiquidem eademque materia aliter cogitatio, aliter meditatio, longeque aliter agit contemplatio. *Eandem materiam Cogitamus: Meditamur: Contemplamur:*

Cogitatio per deuia quæque lento pede, ſine reſpectu perueniendi paſſim huc, illucque vagatur. Meditatio per ardua ſæpe & aſpera ad directionis finem cum magna animi induſtria nititur. Contemplatio libero volatu, quocumque eam fert impetus mira agilitate cir- *Cogitationis modus. Meditationis. Contemplationis.*

te circumfertur. Cogitatio ſerpit. Meditatio incedit: & , vt multum, currit. Contemplatio autem omnia circumuolat: & cum voluerit, ſe in ſummis librat.

Cogitatio eſt ſine labore, & fructu. In meditatione eſt labor cum fructu. Contemplatio permanet ſine labore cum fructu. In cogitatione, euagatio. In Meditatione, inueſtigatio. In contemplatione, admiratio. Ex Imaginatione, cogitatio. Ex Ratione, meditatio. Ex intelligentia, contemplatio.

Et licet ſæpe circa eandem rem alius per cogitationem: alius, per meditationem: alius, per contemplationem occupetur: quamuis non diſpari via, diſpari tamen motu feruntur. Cogitatio ſemper vago motu, de vno ad aliud tranſit. Meditatio circa vnum aliquid perſeueranter intendit. Contemplatio ſub vno viſionis radio ad innumera ſe diffundit.

Ex his Victorinus conſtruit definitiones nominatorum myſticæ theologiæ actuum lib. eod. cap. 4. *Contemplatio eſt libera mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpenſa.* Vel: quod ex præcipuo ſui temporis Theologo ſe habere dicit: contemplatio eſt perſpicax, & liber animi contuitus in res perſpiciendas vſquequaque diffuſus. Meditationis deinde deſcriptionibus poſitis, quas ſuperius proprio titulo dedimus: pergit. Cogitatio eſt improuidus animi reſpectus, ad euagationem pronus.

*Quomodo conueniãt & differãt, Cogitatio. Meditatio. Contemplatio.* *Videtur itaque* commune *tribus, & quaſi ſubſtantiale, eſſe* aſpectum animi. *Vbi enim nil mente conſpicitur, nullum horum recte dicitur, vel adfirmatur.* Commune *autem eſt, tam* contemplationi, *quam* Meditationi *circa vtilia occupari, & in ſapientiæ, vel ſcientiæ ſtudijs maxime, imo aſſidue verſari. Sed in hoc ſolent maxime à* Cogitatione *differre*, quæ ſe ſingulis pene momentis conſueuit ad inepta, & friuola relaxare, & ſine vllo diſcretionis freno ad omnia ſe ingerere, vel præcipitem dare. *Cogitationi propria euagatio.*

*Conuenit & contemplatio, & cogitatio.* Commune *vero eſt* contemplationi, *&* cogitationi *libero quodam motu, & ſecundum ſpontaneum nutum huc, illucque circumferri: & nullo difficultatis obſtaculo à diſcurſionis ſuæ impetu præpediri.* Differunt *autem in eo ipſo maxime à* Meditatione, *cuius ſtudium eſt ſemper quouis induſtriæ labore, qualibet animi difficultate ardua quæque apprehendere, abſtruſa irrumpere, occulta penetrare.* *Differunt à meditatione.*

*Cogitatio in meditationẽ tranſit.* *Fit tamen ſæpe, vt in* Cogitationum *noſtrarum euagatione tale aliquid animus incurrat, quod ſcire vehementer ambiat, fortiterque inſiſtat. Sed dum mens deſiderio ſuo ſatisfaciens eiuſmodi inquiſitioni ſtudium impendit, iam* cogitationis *modum* cogitando *excedit* : *&* cogitatio *in* meditationem *tranſit.*

*Solet*

*Solet ſane ſimile aliquid circa* meditationem *accidere. Nam veritatem quidem diu quæſitam, tandemque inuentam mens ſolet cum auiditate ſuſcipere, mirari cum exultatione, eiuſque admirationi diutius inhærere. Et hoc eſt iam* meditationem meditando *excedere*: & meditationem *in* contemplationem *tranſire*. *Meditatio in contemplationem migrat.*

*Proprium eſt itaq;* contemplationi *iucunditatis ſuæ ſpectaculo cum admiratione inhærere. Et in hoc vtique differre videtur, tam à* meditatione, *quam à* cogitatione. *Nam* cogitatio *vago inceſſu ſemper huc, illucque diuertit*. Meditatio *vero deſtinata promotione ſemper in vlteriora tendit.* *Proprium contemplationis.*

Auide hæc arripiunt iuniores Aſcetæ: & ex iis plenam contemplationis, ac meditationis definitionem conficiunt ſuis cum proprietatibus. Quam accommodate proponit & examinat Bartholomæus Riccius in Inſtructione de modo bene meditandi. MEDITATIO eſt ſtudioſa intentio mentis, & prouidus obtutus animi vehementer occupatus, & diligenter inſiſtens circa aliquid inueſtigandum, quæ per inquiſitionem incedit: & vt multum currit, rimatur. Eſt cum labore, ſed cum fructu. Nam per ardua quæque ſæpe & aſpera ad directionis finem cum magna animi induſtria nititur. Eius enim officium eſt, quouis induſtriæ labore, qualibet animi difficultate ardua quæque apprehendere, abſtruſa irrumpere, & circa vnum aliquid perſeueranter intendere, donec veritatem diu quæſitam inueniat. *Meditationis deſcriptio.*

Ex his facile eſt contemplationem à meditatione diſtinguere. Quod hæc, vel lento gradu procedat, vel procurrat aliquantulum, & feſtinet nonnunquam: Contemplatio, quaſi ſublimis per aera volitet. Sic cum *Meditatio* ſit *Diſcurſus*, pertinens ad tertiam operationẽ intellectus, qua ex re cognita, naturalis connexionis, ac illationis vi, venitur in alterius rei cognitionem: *Cogitatio* vero veluti *Tranſcurſus*, eo quod ab vna re vix percepta dilabatur in aliam, & ab hac rurſus in alias, donec vno momento omnes percurrerit: *Contemplatio* non male appellatur *volatus*. *Meditatio incedit Contemplatio volat.*

## TERTIA DISQVISITIO. Quomodo ſe habeat Contemplatio ad Cogitationem, Meditationem, Speculationem, ſenſu Myſticorum?

HOrum mentem denudat, arcanorum gnarus ſi quis alius inter Myſticos D. Bonauentura opuſculo de ſeptem itineribus æternitatis itinere III. diſtinctione 3. Vbi principio hunc ponit ordinem inter nominatos actus. *S. Bonau. opuſc. de itiner. ater.*

*Ordo actuũ.* Prima est cogitatio, quæ oritur ex Imaginatione, & transit, ac terminatur in Meditationem. Secunda est Meditatio quæ oritur ex ratione, ac transit & terminatur in speculationem. Tertia est speculatio, quæ partim oritur ex ratione, partim ex intelligentia: transit, & terminatur in contemplationem. Quarta est contemplatio, quæ oritur ex intelligentia: transit, & consummatur in intuitiuam cognitionem.

Deinde vero distinguit contemplationem à singulis actibus enumeratis, stabilita prius definitione contemplationis ex Richardo. CONTEMPLATIO est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa.

*Discrimen inter contemplationem, & cogitationem.* Differt igitur contemplatio à cogitatione. *Primo.* Quia Contemplatio est libera. Vnde Richardus lib. 1. de Arca Mystica cap. 3. *Contemplatio*, inquit, *libero volatu, quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur.* Cogitatio *autem per deuia quæque lento pede* sine respectu perueniontis passim huc illuc vagatur. *Secundo.* Quia cogitatio oritur ex Imaginatione: Contemplatio ex Intelligentia. Hinc, *Tertio.* Cogitatio minus libera est, quam contemplatio. Vnde & *Quarto.* Cogitatio rationi subiicitur, quæ est infra intelligentiam: & per eam regitur Contemplatio; si principium spectes, quod est intelligentia, est supra rationem.

*Cogitationes ancillæ.* Declarat hoc ipsum populariter Gregorius lib. 1. Moral. cap. 15. Cogitationes, inquiens, ad modum Ancillarum subiiciũtur. Quia si à domo mentis ad momentum Ratio discedat quasi absente Domina, Cogitationum se clamor, velut garrula Ancillarum turba multiplicat. Vt autem Ratio ad mentẽ redierit, mox se confusio tumultuosa compescit: & quasi Ancillæ ad iniunctum opus se tacite reprimunt: dum Cogitationes protinus se caussis propriis ad vtilitatem subdunt.

*Cogitatio fit Meditatio. Rich lib. 1. de contem. cap. 4.* Quod si Cogitatio, vt Richardus scribit, quandoque Ratione moueatur, vt ad cognoscendum aliquid ambiat: & ad hoc vehementer, & fortiter insistat; iam non est Cogitatio: sed modum cogitationis cogitando excedit: & Cogitatio in Meditationem transit.

*Discrimen inter contemplationem & meditationem. Apud Aug. tom. III.* At quomodo differt à Meditatione Contemplatio? Quia hæc est Mentis perspicacia. Perspicacia autem est actus Intelligentiæ. Intelligentia vero est vis animæ, quæ supponitur DEO immediate, qua de Diuinis, quantum possibile est homini, cognoscitur, vt dicit Auctor lib. de spiritu & Anima cap. XI. Ex hac itaque Intelligentia, vt vult Richardus lib. 1. de Arca Mystica cap. 3. oritur Contemplatio: ex Ratione autem Meditatio.

Hinc

Hinc addit Richardus, quod Meditatio transeat in Contemplationem: tanquam illud, quod perfectius est; nimirum, vt interpretatur Bonauentura, in aliquem gradum Contemplationis, qui dicitur *Speculatio*: & non est perfecta Contemplatio: quamuis hæc nomina sæpe confundantur. *Meditatio transit in contemplationem.*

Qua ratione igitur dissidet à speculatione contemplatio? Respondet Richardus lib. 5. de Arca Mystica cap. 14. *Licet* Contemplatio *&* speculatio *pro inuicem soleant poni: & in hoc sæpe Scripturæ sententiæ proprietatem obnubilent, & inuoluant: aptius tamen & expressius*, Speculationem *dicimus, quando* per Speculum cernimus: Contemplationem, quando veritatem sine aliquo inuolucro, vmbrarumque velamine in sui puritate videmus. Nimirum, vt scribit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 3. *Speculatio* dicitur, cum aliquid non in se sed per imaginem videtur, & in ænigmate: id est, obscure. *Differt contemplatio à speculatione.*

Vnde & Hugo in Septimum Angelicæ Hierarchiæ ita scribit. Dionysius vocat simplices fulgores, puras illuminationes deuenientes ad primas Contemplationes. Pura Illuminatio est, quando veritas per seipsam concipitur. Pura Contemplatio, quando veritas in seipsa non per subiectam imaginem videtur. Itaque Contemplatio clariorem aspectum habet, quam speculatio, & gustum sapidiorem. *Hug. in ca. 7. Ang. Hierarch.* *Pura Illuminatio.*

Huc accommodat Richardus illud Psalmi 113. sed sensu plane mystico: *Montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium.* Colles ad agnorum similitudinem exultant, quando immensa illa intimæ solennitatis tripudia eos vsque supra semet ipsos leuat, & cœlestium secretorum arcana saltem per speculum in ænigmate videre valeant; Montes vero ad instar arietum exultant, quando maiores in iucunditatis suæ excessibus in pura & simplici veritate vident, quæ minores per speculum in ænigmate videre valent. *Psal. 113. 4.*

Tandem. Quamuis Contemplatio sit intuitus quidam simplex sine discursu, distinguitur tamen à cognitione intuitiua. Quia Contemplatio est suspensa admiratione: quam suspensionem non habet intuitiua cognitio. Quid autem sit suspensio mystica suo loco dicetur. Istud ad hoc discrimen spectat quod ex Papa Gregorio refert Bonauentura. Anima in Contemplatione infirmitatis suæ pondere victa, lassatur, & tanto celerius labitur, quanto carnis claustra transgrediens supra semetipsum ire conatur. Sed anima intuitiue cognoscens DEVM, nunquam ad inferiora relabitur, sed sine intermissione, & fatigatione DEVM in æternum dulciter intuetur: quod in corpore corruptibili fieri non potest. *Contemplatio non est cognitio intuitiua.* *Greg. li. 10. Mor. ca. 11.* *Bona. itin. III. dist. 3.*

# EXERCITATIO III.

## CVIVS POTENTIÆ ACTVS SIT Contemplatio.

### PRIMA DISQVISITIO. An Contemplatio Philosophica pure ac formaliter sit actus intellectus?

RESPONDEO: Adfirmate. Declaro: contemplatio philosophica, est notitia, vel scientia actualis rei: hæc autem formaliter est operatio Intellectus. Idem constat ex vocis illius significatione apud Grammaticos vsurpata: apud quos, contemplor, idem est, quod perspicio, intueor animo, interno mentis oculo video: deriuato vocabulo, vt nonnulli existimant à templo: nempe à loco, quæ ab omni parte aspici potest: vel ex quo omnis pars potest videri, quē antiqui tēplum nominabant. Quocirca, vt videre exterius refertur ad oculum: ita contemplari ad intellectum. Quod eleganter expressit Cicer. Orat. pro Deiot. Vbi id, inquit, animo contemplare, quod oculis non potes.

### SECVNDA DISQVISITIO. An Contemplatio Mystica sit actus intellectus?

RESPONDEO: Adfirmate. Probatur. Contemplatio mystica essentialiter est sub genere cōtemplationis, vt quædam illius pars subiectiua saltem instar speciei, si non sit proprie dicta species. Ergo essentialiter participat naturam superioris. Quare si hoc est actus intellectus, erit etiam illud quod sub eo collocatur. Confirmatur. Cōtemplatio mystica est notitia, cognitio, intuitus DEI ac Diuinorum. Sed hæc omnia & eius generis plura dicunt actum intellectus.

Est hæc sententia inprimis Scholasticorum, quorum Princeps S. Thomas S. IIdæ Quæst 180. postquam enumerauit omnes actus intellectus & voluntatis, qui ad Contemplationem religiosam ac mysticam spectare posse videntur, eius essentiam statuit in actu intellectus, qui est intuitio veritatis diuinæ: seu inspectio intellectualis. Huc spectant definitiones Contemplationis exercitatione IIda pro-

S Thom. S. IIdæ q. 180 art 1. & 3.

prolatæ, probatæq; à Doctoribus Mysticis: illa maximeS. Bern. l. 2. de Cõsideratione. c. 2. *Contemplatio est verus certusque intuitus animi de quacumque re.* Siue *Apprehensio veri non dubia.* Quare in hoc non discrepant à Scholasticis Doctores multi Mystici: nominatim Dionysius Carthusianus commen. in Theologiam Mysticam Areopag.

## TERTIA DISQVISITIO. An ad Contemplationem Mysticam non cõcurrat actus voluntatis?

RESPONDEO: Adfirmate. Constat ex S. Thoma, cuius doctrinam probant Theologi communiter. Is igitur S. IIdæ Qu. 180. Art. 1. duplicem actum voluntatis adsignat. Prior est antecedens, quo mouetur & incitatur homo ad contemplationem; quem dicere possis, adfectum contemplandi. De hoc nulli potest esse dubium. Contemplatio enim, saltem ordinarie est actus voluntarius. Ergo debet imperari à voluntate, ab eaque suo modo procedere. Et quia spectat etiam ad cultum diuinum, prærequirit piam voluntatem seu adfectum erga DEVM, ac illius venerationem & cultum.

## QVARTA DISQVISITIO. Cuius rei amor sit adfectus, qui præcedit contemplationem, & ad illum impellit?

RESpondet S. Thomas: Vim appetitiuam ad aliquid inspiciendum mouere, vel propter amorem ipsius cognitionis, quamquis ex inspectione consequitur: vel propter amorem rei, quæ inspicitur: vbi enim est thesaurus alicuius ibi solet esse cor & oculus. Potest igitur moueri quis ad contemplationẽ, ex adfectu erga ipsam contẽplationẽ. Sic incitatur ad speculationem philosophi, dum alium finem non habent, quam scire & speculari. Ex hoc Adfectu, si procedat contemplatio mystica, necessarium est, vt contemplatio non consideretur nude, quatenus est simplex intuitus veritatis diuinæ, sed quatenus est vtile medium ad perfectionẽ vitæ Christianæ, & intimam cum DEO coniunctionem, aliosque fructus illius functionis pene innumeros. Sic enim actus ille partis appetitiuæ, est studiosus: & pertinere potest, vel ad Religionem, si spectetur contemplatio quatenus ad DEI gloriam refertur: & habet rationem cultus diuini: vel ad virtutem spei, quatenus est propensio quædam honesta in maximum suum commodum supernaturale, quo ad beatitudinis cõsequutionem promouetur.

Sed negari non poteſt hunc adfectum imperfectiorem eſſe quam ſit Amor rei viſæ, vel contemplatæ, quæ hic eſt DEVS. Itaque poteſt contemplatio prouenire ex amore DEI antecedente ipſam contemplationem, inquantum, vt inquit S. Thomas, aliquis ex dilectione inardeſcit, ad eius pulchritudinem conſpiciendã. Ita quoque amatur in patria DEI viſio cuius quædam participatio eſt viæ contemplatio, vt docet S. Auguſtinus li. 1. de Trinit. ca. 8. & 9. perfecta igitur Contemplatio procedit ex caritate ipſius DEI, vt idem S. Thomas pronunciat. Si

DISQVIRAS. Vnde-nam oriatur Amor præcedens Contemplationem? an ad illam neceſſe ſit præire aliam Contemplationem? quod ſi dicatur, ibitur in infinitum.

RESPONDEO. Amorem antecedentem prouenire poſſe ab alia cognitione, quam vel fides genuit, vel lectio generauit, vel auditio ſuſcitauit, vel ex ſimili aliqua ortum habuit. Ad eundem confert Cogitatio, Meditatio, Speculatio. Quæ omnia etiam adfectum contemplationis excitant.

## QVINTA DISQVISITIO. Qui ſint actus voluntatis conſequentes Contemplationem?

RESPONDEO. Præcipuum eſſe Amorem, ſeu Caritatem: quæ cum initium ſit Contemplationis, eſt etiam terminus. Nam mirum in modum augetur contemplatione Caritas. Et hic eſt ille Circulus quem in Theologia Myſtica conſiderant & deprædicant eius Magiſtri, vt dictum Comm. Exercit. 9. Certe, vt ex Viſione DEI, quæ beat hominem in patria oritur perfectiſſimus Amor, ratione ſubiecti, in quo illa reperitur: ita ex Contemplatione viæ, quæ eſt illius quædam imago, aut verius veſtigium, vel vmbra, reſultat amor intenſiſſimus, ſed viatori proportionatus. Hoc tamẽ diſcrimine. Quod in patria, initio ſtatim beatitudinis amor ſit exaggerate intenſus ab aula viſionis neceſſario, neceſſitate quadam naturali procedens, in via autem creſcit paulatim, quia liber eſt, & dum Contemplatio durat intenditur.

*Contemplatio cur tantopere commẽdetur.*

Ob hanc Caritatis perfectionem, quam cauſſat Contemplatio, exiſtimat Suarez tam illuſtria tribui Contemplationi encomia, vt videatur virtutibus reliquis præferri. Attende, quam de illa ſpecioſe ſcribat Auguſtinus: *Vna ſola Contemplatio* DEI eſt, *cui merito omnia iuſtificationum merita, & vniuerſa virtutum ſtudio poſtponuntur.* Similia paſſim occur-

*Suar. tom. 11. de relig lib. 11. ca. 9*
*Serm. 43. de temp.*

occurrunt apud alios Patres, & scripturæ Interpretes dum dilaudant Mariam Magdalenam sedulam illam ad Christi pedes Contemplatricem, & exponunt illud Lucæ 10. 42. *Maria optimam partem elegit.* Nam optimum vitæ mortalis est caritas, maxime si perfectionem quandam eximiam habeat, proxime ad patriæ amorem accedens: quod contingit in hac vita per Contemplationem. Nam vt vere dicit Gregorius Homil. 14. in Ezechiel. *Cum quis ipsum, quem amat, viderit, in amorem ipsius amplius ignescit.* Quo intuitu exclamat Bernardus. *Hæc est mũditia mea, hæc fiducia, hæc iustitia, Contemplatia bonitatis tuæ bone Domine.* *Bern. li. de Amor. Dei c. 1.*

## SEXTA DISQVISITIO. An, & Quomodo Amor consequens Contemplationem recte dicatur perfectio Contemplationis: cum Contemplatio sit actus intellectus.

RESP. Sumitur ea loquutio ex S. Thoma. qui S. IIdæ. Quæst. 180. Art. 7. ad 1. vbi sic habet. Vita contemplatiua licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in adfectu, in quantum videlicet aliquis ex caritate ad DEI contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio: inde est, quod etiam terminus & finis contemplatiuæ vitæ habetur in affectu; dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur: & ipsa delectatio rei visæ amplius excitat amorem. Et hæc est vltima perfectio contemplatiuæ vitæ; vt scilicet non solum diuina veritas videatur, sed etiam, vt ametur.

Obseruat autem bene Cajetanus, hoc intelligendum esse de perfectione extrinseca, quia intrinsece actus voluntatis non perficit operationem intellectus. Atque hoc intellectu se perfectionem nominare satis ipse S. Thomas ostendit eadem Quæst. Art. 2. docens virtutes morales partis appetitiuæ non pertinere essentialiter ad vitam Contemplatiuam, sed tantum vel dispositiue, vel consequenter. *Perfectio extrinseca.*

## SEPTIMA DISQVISITIO. An præter amorem alij sint actus voluntatis comitantes, & consequentes Contemplationem?

RESPONDEO: Adfirmate. Est imprimis Admiratio, quæ oritur ex intuitu tantæ Maiestatis Sapientiæ, Bonitatis, reliquarumque perfectio- *Admiratio.*

fectionum diuinarum. Admiratio autem est species quædam timoris, vt docet S. Ioannes Damascenus lib. II. de fide cap. 15. consequens apprehensionem alicuius rei excedentis nostram facultatem, vt loquitur S. Thomas S. IIdæ quæst. 80. artic. 111. ad 3. Ex quo infert, admirationem esse actum consequentem, sublimis veritatis contemplationem: contemplatio namque in affectu terminatur.

Est autem tam proprium contemplationi Mysticæ gignere admirationem, vt Bernardus lib. II. de consideratione ad calcem, scribat, primam, ac maximam contemplationem esse Admirationem Maiestatis: quasi contemplatio nihil aliud esset, quam ipsa admiratio. Et sane idem Doctor, primam speciem vel gradum contemplationis constituit admirationem. Quid quod Augustinus ipsam substantiam contemplationis videatur locare in admiratione? *Contemplatio*, inquit, *est perspicuæ veritatis iucunda admiratio.*

*Lib. de Sp. & Anima cap. 32.*

*Admiratio timor reuerentialis.*

*Tom. II. de Relig. libr. 2. cap. 9.*

Porro, quoniam admiratio est timor reuerentialis ex doctrina S. Ioannis Damasceni: ex hac reuerentia, vt animaduertit Suarez statim nascitur deuotio, per adfectum submittendi se Deo, & omnem cultũ ac honorem illi exhibendi. Quam ob causam dicit Bernardus, Nihil ita pertinere ad cultum Dei, sicut vacare & videre, quoniam ipse est Devs. Et cum contemplatio Mystica non tantum sit de bonitate, misericordia, & similibus attributis, verum etiam de Maiestate Dei illiusque sublimitate, non minus exstimulat ad religiosam deuotionem, quam amorem, qui in hac vita coniunctus esse debet cũ reuerentiali metu, vt cum timore & tremore salutem nostram operemur.

*Delectatio Mystica.*

Tandem contemplationi iuncta est delectatio quæ in perfectiori gradu illam etiam consequitur: de qua proprio *Tit.* agendum. Cum igitur Mystice contemplans habeat, *Primo*, adfectum ad contemplationem, quo ad illam incitatur, siue sit amor ipsius operationis, siue Dei per contemplationem singulari modo cognoscendi: *Secundo*, contemplationem ipsam, seu intuitum simplicem veritatis æternæ inuentæ iam & cognitæ: *Tertio*, admirationem supremæ Maiestatis, seu timorem reuerentialem Dei: *Quarto*, incredibilem quandam iucunditatem & delectationem, coniunctam cum quiete quadam singulari, & longe suauissima: *Quinto* caritatem intensissimam, multis partibus contemplatione auctam: est

Octa-

## OCTAVA DISQVISITIO. Quid substantialiter sit contemplari?

ANxiam de hac re, & contentiosam disceptationem reor esse superuacaneam. Litem solum esse de nomine existimat Suarez. Certum esse debet apud omnes contemplationem si vocem spectes, ad intellectum pertinere: & cum essentialiter sit intuitus, actus esse voluntatis. Nec dubium est inter actus illi adnexos primum dignitate locum obtinere caritatem, quam possis dicere fundamentum contemplationis, & culmen, & Paulina phrasi, *radicem:* iuxta illud ad Ephesios III. 18. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Notat autem Bernardus li. 5. de consid. cap. 13. dixisse Apostolum, *Comprehendere*, non *cognoscere, vt non curiositate contenti scientia tota cura fructui inhiemus. Non enim in cognitione est fructus sed in comprehensione.* Quid autem intelligat verbo comprehendere ipse ita exponit. *Sancti igitur comprehendunt. Quæris, quomodo? Si sanctus es, comprehendisti: si non es, esto: & tuo experimento scies. Sanctum facit adfectio sancta, & hac gemina: Timor Domini sanctus, & sanctus Amor. His perfecte adfecta anima, veluti duobus brachijs, suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, & ait: Tenui eum, nec dimittam.* Quid si brachia dicas, intellectum, ac voluntatem, vel vtriusq; actus, illius intuitionem, huius adfectionem. Hæ enim coniunctæ esse debent, vt stringant. Intuitus esse potest in hac vita sine adfectu consequente, vel amore, sed tunc speculationis nomen habere potest, non contemplationis Mysticæ, Philosophum faciet, non Mysticum Theologum. Quid si amor sit absque cognitione præcedente, eleuãte voluntatem Deo immediate. Si id fieri posset, de quo suo loco disputabitur, & Mystici quidam innuunt: magis mereretur nomen contemplationis solus amor, quam sola cognitio, inquit Franciscus Suarez, *Suar. tom.* ne quis hoc scitum Mysticorum tantummodo esse opinetur. Hinc *11. de relig.* facile expeditur *lib. 11. ca. 9.*

## NONA DISQVISITIO. An Contemplatio Mystica sit Practica, vel Speculatiua?

RESPONDEO Esse Speculatiuam, & Practicam: id est, non mere speculatiuam. *Ratio.* Quia finis illius non est sola cognitio, aut speculatio, sed DEI amor & cum illo singularis vnio. Quod maxime verum est si attendatur intentio contemplantis, qui nisi dirigat suam

contemplationem ad caritatem DEI & veram sanctimoniam, non meretur nomen Mystici.

*Sapientia est practica S. Tho. 2. IIda q. 45. art. 3.*

Est hæc non Scholasticorum minus, quam Mysticorum sententia S. Thomas imprimis P. IIdæ quæst. 45. vbi quærit, *vtrum sapientia*, quæ est donum Spiritus S. & est suo modo principium efficiens contemplationis, quod suo loco examinamus, sit speculatiua, an etiam Practica? Respondet: non solum esse speculatiuam, sed etiam practicam: idque probat ex S. Augustino, qui docet superiorem rationis partem Sapientiæ deputari, inferiorem scientiæ. Superior autem ratio, vt idem S. Pater animaduertit, intendit rationibus supernis, scilicet diuinis & conspiciendis, & consulendis: conspiciendis quidem, secundum quod diuina in se ipsis contemplatur: consulendis autem, secundum quod per diuina iudicat de humanis actibus, & per diuinas regulas dirigit actus humanos.

*S. Aug lib. 12. de Trin. cap. 14. Ibid. ca. 7.*

Addit S. Thomas in Responsi ad *Primum*. Quod, quanto aliqua virtus est altior, tanto ad plura se extendit, vt dicitur in Lib. de causis, propositione 10. quocirca ex eo, quod sapientia, quę est donũ, est excellentior, quam sapientia, quæ est virtus intellectualis, vtpote magis de propinquo DEVM attingens perquãdam spiritus vnionem animæ cũ ipso, habet, quod nõ solum dirigat in contemplatione, sed etiam in actione. Nimirum, quod ibi notat Caietanus, Practicum & Speculatiuum vniuntur in vno superioris ordinis, licet in inferiorbus disiuncta sint.

Quamuis autem sapientia, & contemplatio sint circa diuina, quæ sunt æterna ac necessaria; ideoque non operabilia: hoc tamen non impedit, quo minus sapientia & contemplatio sit practica: quia Diuina in se quidem sunt necessaria, nihil ominus sunt etiam regulæ contingentium, & actionum humanarum.

Nec te moueat, quod, vt dicit S. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 28. in contemplatione principium, quod est DEVS quæratur: in operatione autem sub graui necessitatis fasce laboretur. Ex quo quis colligat sapientiam, vel contemplationem opus minime spectare. Ad sapientiam namque pertinet diuinorum visio, non autem subfasce laborum depressio. Non enim habet amaritudinem conuersatio sapientiæ, nec tædium conuictus illius, vt est à Salomone dictum Sap entiæ 8. 16.

Huic obiectiunculæ occurrit S. Thomas: docetque cum prius sit considerare aliquid in se ipso, quam quatenus ad alterum refertur: ad sapientiam primo quidem pertinere contemplationem diuinorum, quæ est visio principij: deinde vero dirigere actus humanos secun-

cundum rationes diuinas: Ceterum in functionibus humanis ex directione sapientię non prouenire amaritudinem, aut laborem, sed potius hunc & illam mitigari: immo, amaritiem verti in dulcedinem: laborem in requiem.

Licet contemplationis hæc requies minime sit ociosa. Contemplantem referebat Abraham, de quo eleganter Ambrosius. *Ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie. Quando alii requiescebant, iste hospitum explorabat aduentus. Merito illi* DEVS *apparuit ad quercũ Mambre. quia fructum hospitalitatis studiosissime requirebat. Et respiciens*, inquit, *oculis vidit & ecce tres viri stabant super illum. Et cum vidisset illos, occurrit obuiam illis. Non ociosus sedet, qui longe aspicit: nec aspexisse contentus, cucurrit obuiam.* De longe aspicit Mysticus contẽplator. Sedet: sed non ociosus sedet: at explorat hospitis optati aduentũ, & DEVM quem contemplatur ad cordis hospitium inuitat. Illi festinat occurrere, quẽ animitus diligit, quia non satis est contemplari, nisi fructus contemplationis subsequatur. *Contemplationis requies haud ociosa. S. Ambros. lib. 1. de Abrah. cap. 5.*

Hunc DEVS postulat: sed illam non excludit, & quomodo arborem excipiat, qui poma inde decerpi iubet? Est illa suauis sponsi cælestis inuitatio *Vacate, & videte, quoniam ego sum* DEVS. Ad vacationem vocat, sed quæ actionem adiunctam habeat, non externam quidem semper, quamuis nec hanc spernat contemplans, sed nunquam non interiorem, quæ in amoris, pietatisque exercitatione consistit. *Psal. 45. 11.*

Quam Eugenio suo commendat Bernardus dum occupationibus pene obruto vacationem suadet hanc minime ociosam, cui considerationis nomen ipse indit. *Quoniam dies mali sunt*, ait pontificem alloquens, *sufficit admonitum esse non totum* TE, *nec semper dare actioni, sed* Considerationi *aliquid tui & cordis, & temporis sequestrare. Hoc autem dico necessitatem intuens, non æquitatem: quamquam* non sit præter æquum necessitati cedere. Nã si liceret, quod deceret, absolute per omnia, & in omnibus præferendã, & vel solã, vel maxime colendã, eam, quæ ad omnia valet, id est, Pietatem, prorsus irrefragabilis ratio mõstrat. Quid sit pietas, quæris? Vacare Considerationi. Dicas forsitan, in hoc dissentire me ab illo, qui Pietatem definiuit cultum DEI. Non est ita: si bene consideras, illius sensum meis expressi verbis etsi tamen ex parte. Quid tam pertinens ad cultum DEI quam quod ipse hortatur in Psalmo: Vacate, & videte, quoniam ego sum DEVS? Quod sane in partibus considerationis præcipuum est. Quod denique tam ad omnia valens, quam quæ ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo, & præordinando, quæ agenda sunt. *Lib. 1. de Consid. ca. 7.*

*Consideratio purificat mentem.*

Ac primum quidem, ipsum fontem suum: id est, mentem, de qua oritur purificat consideratio. Deinde regit adfectus: dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat. Postremo, diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta, & fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mẽte resideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit, quorum alterum Fortitudinis, alterum Prudentiæ est. Quæ omnia cum de contemplatione vere vsurpari possint, satis constat illam non in sola contemplationis theoria, aut mera speculatione consistere: sed ad praxim etiam extendi.

# EXERCITATIO IV.

## *DIVISIO CONTEMPLATIONIS.*

*Contemplatio Christianorum. Infidelium.*

PRIMA DIVISIO. CONTEMPLATIO ex subiectorum diuersitate, alia est fidelium vel Christianorum: alia infidelium vel Gentilium, quales fuere ex Philosophis antiquis, quos contemplationi diuinorum intentos fuisse liquet ex ipsorum scriptis, & historia. Omissa autem contemplatione infidelium, quæ huc non spectat.

*Infusa. Adquisita.*

SECVNDA DIVISIO. CONTEMPLATIO Christianorum, vel est ADQVISITA, vel INFVSA. Sumitur ex communi virtutum diuisione, qua aliæ dicuntur Infusæ, Adquisitæ aliæ. Vt autem virtus Infusa dicitur bona qualitas mentis, quam DEVS in nobis sine nobis operatur: ita Contemplatio Infusa ea nominari solet, quæ ab altiore, principio, quam humana industria dimanat: seu: Quæ ex sola gratia, siue inspiratione diuina ortum habet. Adquisita vero, quam exercitatio industriaque humana non absque diuinis præsidiis progignit. Huic adfinis vel potius eadem, est

*Procedens modo connaturali. Emanans modo supra naturam eleuato.*

TERTIA DIVISIO ex Modo operandi: CONTEMPLATIO alia procedit more, modoq; hominibus connaturali; alia modo præter, & supra naturã, eleuatiore. Quæ huius diuersitatis caussa? Principiorũ, seu caussarum efficientiũ varietas. Illa n. quæ à Donis Sancti-spiritus procedunt longe alium habent, quam quæ à potentiis naturalibus habitu aliquo instructis promanant tendentiæ modum.

Obseruat hoc S. Thomas, à quo non dissentiunt Doctores alij. Is in lib. III. sent. Distinct. 34. quæst. 1. art. 2. In his, ait, quæ *supra rationem*

*nem sunt, perficit Fides, quæ est inspectio Diuinorum in speculo, & in ænigmate: Connaturalis enim modus est naturæ humanæ, vt DEVM, non nisi per speculum creaturarum, & per ænigmata similitudinum percipiat. Quod autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur supra humanum modum est, & hoc facit Donum-Intellectus.*

Quare, cum genus quoddam Contemplationis à Spiritu-sancto procedat, per Donum ipsius, quo intelligentia illustratur, & mens impellitur, hoc, emanandi modo longe diuersum est ab illo, quod per discursum rationis, quamuis adiuuante gratia, & virtutibus supernaturalibus comitantibus, aut etiam opitulantibus habetur. Ideoque illud simpliciter supernaturale, & Infusum: Hoc, licet transnaturale aliquod adiutorium postulet non item: sed Adquisitum industria; vel humanitus procuratum dicitur.

*Contemplatio ex doctrina aliena.*

Addit aliud genus Richardus Victorinus: quod ad posterius illud facile reuocatur: nempe quod habetur ex Doctrina aliena. Producit autem ad illarum specierum explicatum tres nominatissimos Arcæ Testamenti vel artifices, vel Contēplatores; Mosen, Beseleel, & Aaronem. Quorum primus Arcam in monte & nube sine vllo industriæ labore ex sola Domini demonstratione vidit. Alter, quam DEO reuelante videre potuisset, proprio tamen labore formauit. Tertius formatam ab aliis contemplatus est.

*Contemplationum Modi ex Principio efficiente, tres. Richar. lib. 5. de Cons. ca. 1.*

Hos Contemplationum *Modos* appellat Richardus, alius *Species* diceret, aut *Genera*. Plurimum autem confert singulorum explicatio ad percipiendum discrimen, quod est inter Contemplationem Infusam, & Adquisitā. Sic igitur ille philosophatur. Modis trib. in gratia Cōtēplationis proficimus. Aliquando ex sola gratia: aliquādo ex adiuncta industria: aliquando ex aliena doctrina. Horum trium in tribus, Mose videlicet, Beseleel, & Aaron, typum, vel exemplum habemus, si eorum gesta consulimus. Moses primo Arcam in monte & nube sine vllo industriæ labore ex sola Domini reuelatione vidit: Beseleel, quam videre potuisset, proprio labore formauit: Aaron autem Arcam aliena iam operatione formatam videre consueuit.

In morem Mosis, Arcam Domini sine aliqua humana industria videmus, cum ex sola Domini reuelatione radium Contemplationis accipimus. Sed tunc quasi iuxta Beseleel exemplum, in id ipsum, ex proprio opere proficimus, cum in eandem gratiam nostro studio, & labore artem comparamus. Tunc autem, vt Arcam Domini videre possimus, quasi ex aliena operatione accipimus, quando ex aliena traditione ad eiusmodi gratiæ vsum assuescimus.

*Gratia cooperatio*

*Sed quod de industria operatione dicimus, non sic accipi volumus, quasi sine*

semper necessaria. *sine gratia cooperatione aliquid omnino possimus, cum qualibet nostra industria non sit nisi ex gratia. Sed aliud est Contemplationis gratiam diuinitus percipere:* (& tunc dicitur Contemplatio Infusa) *atque aliud est, eiusmodi donum Dei quidem cooperatione, proprio exercitio comparare.* (& tunc vocatur Adquisita.) *Modis itaque tribus Contemplationis gratiam obtinemus: & modo quidem ex diuina* Inspiratione: *modo ex propria* Exercitatione: *modo autem ex aliena* Traditione.

Inspiratio. Exercitatio. Traditio.

Est igitur hæc partitio Contemplationis, ex Modo illam adquirendi, quem consequitur diuersus modus operandi. Est autem huic pene gemina.

Qualitas Contemplationis. Mens Contempl. trifariam afficitur. Dilatatio. Sublenatione. Alienatione.

QVARTA DIVISIO: quam dicere possis esse secundum qualitatem Contemplationis, vel ex modo afficiendi mentem contemplantis. Vt enim docet idem Richardus lib. 5. cap. 2. Trifariam Mens contemplantis adficitur. Nam si procedat contemplatio ex industria humana, perficitur mẽtis *dilatatione.* Si ex vtriusque permixtione: humanæ videlicet industriæ, & gratiæ diuinæ, exercetur mentis *subleuatione.* Si ex sola gratia diuina contingat, fit mentis *alienatione.*

Dilatatio. Subleuatio.

Tribus modis, inquit Richardus, contemplationis qualitas variatur. Modo enim agitur Mentis dilatatione: modo mẽtis subleuatione: aliquando autem mentis alienatione. Mentis Dilatatio est, quãdo animi acies latius expanditur, & vehementius acuitur: modum autem humanæ industriæ nullatenus supergreditur. Mentis subleuatio est, quando Intelligentiæ viuacitas diuinitus irradiata humanæ industriæ metas transcendit: nec tamẽ in mentis alienationem transit: ita vt & supra se sit, quod videat, & tamen ab assuetis penitus nõ recedat. Mentis alienatio est, quando præsentium memoria menti excidit; & in peregrinum quendam & humanæ industriæ inuium animi statum diuinæ operationis transfiguratione transit.

Hos tres contemplationis modos experiuntur, qui vsque ad summam eiusmodi gratiæ arcem subleuari merentur. Primus surgit ex industria humana: Tertius ex sola gratia diuina: Medius ex vtriusque permixtione; humanæ videlicet industriæ, & gratiæ diuinæ. In primo gradu quasi Arcam nostro labore fabricamus: quando contemplandi artem nostro studio, & industria comparamus. In secundo gradu arca supportantium humeris subleuatur: & quasi præcedẽtis nubis vestigia sequitur, cum industria satagente, & reuelationis gratia cooperante, & quasi præeunte, contemplationis radius dilatatur. In tertio gradu, arca in sancta-sanctorum infertur, & quasi intra velũ collocatur, quando contemplantis acumen ad intimũ mentis sinum colligitur: & ab exteriorum memoria obliuionis, & alienationis

tionis velo secluditur. Primus itaque gradus pertinet ad arcæ fabricationem: Secundus ad arcæ euectionem: Tertius, ad eiusdem inductionem, velique obductionem.

His itaq; tribus modis omnis contemplatio solet contingere, quorum certa indicia reperiuntur in Sacra-scriptura. Leua in circuitu oculos tuos & vide. Ecce de illo contemplationis genere, qui fit meris dilatatione. Qui sunt isti, qui vt nubes volant: Ecce de mentis subleuatione. Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax. Ecce de mentis alienatione.

In singulis his contemplationis speciebus, vt proficiatur, tres gradus adsignat, per quos ad culmen peruenia tur. In contemplatione per dilatationem fit progressus arte, exercitatione, attentione. Contemplatio per mentis subleuationem tribus aliis gradibus perficitur. Intelligentia namque humana diuinitus inspirata, & illo cœlesti lumine irradiata aliquando subleuatur supra scientiam: aliquando etiam supra industriam: aliquando autem etiam supra naturam. Tribus etiam de causis in mentis alienationem abducimur. Nam modo præ magnitudine deuotionis: modo præ magnitudine admirationis: modo vero, præ magnitudine exultationis fit, vt semetipsum mens omnino non capiat: & supra semetipsum eleuata in abalienationem transeat. Quos omnes modos Richardus fusius tum exemplis, tum Sacræ-scripturæ testimoniis mystice explicatis illustrat. Nobis alio properandum est.

QVINTA DIVISIO. Contemplatio alia est ratiocinatiua: alia experimētatiua. Simili denominatione Theologiam Mysticam superius discreuimus. Sunt nonnulli, qui artem contemplandi habent, eiusque norunt regulas, experientia destituti. Sunt alii artis imperiti experientia excellentes. Hanc diuersitatem proponit Richardus Victorinus exemplo Aaronis & Beseelelis. *Richard. lib. 5. de Contempl. cap. 1.*

Notandum, inquit, quod quidam ad gratiam contemplationis propria industria, & sine alicuius doctrinæ magisterio promouentur: qui tamen in suis contemplationibus vsque ad mentis excessum nullo modo rapiuntur. Quidam autem ad eandem gratiam ex aliena traditione magis, quam proprio mentis acumine proficiunt: qui tamen in suis contemplationibus sæpe vsque ad mentis excessum adsurgunt. Hinc est, quod Beseleel arcam quidem fabricasse, non tamen ad illam intrasse legitur (Vt illi qui Artem Contemplandi præclare callent, sed nullum, vel rarum, aut exiguum illius habent vsum) Aaron vero ad Arcam aliena iam operatione fabricatam, & intra velum collocatam ex more intrasse non dubitatur. Addit de se:

Artis

Artis Contemplandi Magister. Ecce nos in hoc opere quasi Beseleel officium suscepimus, qui te ad contemplationis studium instructiorem reddere, & quasi in arcæ operatione desudare curauimus. Longe tamen me ipsum in hac gratia præcedis, si ex his, quæ audis, adiutus intrare præualeas, vsque ad interiora velaminis. Si illud, quod quasi in propatulo laboramus, & iuxta communem vsum comprehendimus, & adsignamus, tu præualueris per mentis excessum perspicere, & quasi intra velum videre.

Sexta Divisio. Contemplatio vel est Pura quæ sic vocatur à Mysticis Theologis, quando sine phantasmatum interuentu exercetur: vel Permixta, quando operatio intellectus ab vsu phantasmatum dependet, & Phantasia cooperante functionem suam peragit.

## EXERCITATIO V.

### *VTRVM SOLA CONTEMPLATIO spectet ad Theologiam Mysticam.*

Dispvtat S. Thomas hac verborum formula. Verum ad vitam contemplatiuam pertineant diuersi actus? Videtur autem ad illam pertinere, *Primo*, Cogitatio: *Secundo*, Meditatio: *Tertio*, Contemplatio: *Quarto*, Speculatio. Vt enim dicit Apostolus I I ad Corinth. III. 18. Nos reuelata facie, gloriam domini speculantes transformamur in eandem claritatem: hoc autem proprie est vitæ contemplatiuæ: *Quinto*, Admiratio. Siquidem Bernardi iudicio, prima & maxima contemplatio est admiratio Maiestatis. Sed admiratio secundum Damascenum est species Timoris. *Sexto*, Oratio: *Septimo*, Lectio. *Octauo*, Auditio. Nam de Maria, per quam vita contemplatiua significatur, dicitur: quod sedens secus pedes Domini, audiebat verba illius.

*Ber. li. 5. de consid.* *Damasc. li. II. cap. 15.*

Respondeo I. Propriam functionem Theologiæ Mysticæ esse Contemplationem, quatenus hæc ab aliis eiusdem generis actibus distinguitur. Patet: quia Theologia Mystica actualis non est aliud quam certa quædam notitia contemplatiua Dei, ac Divinorvm. Ergo Theologiæ Mysticæ habitualis functio maxime propria est contemplatio. Antecedens constat ex superius probatis. Consequentia est euidens: quia actus proprius scientiæ habitualis & scientia actualis sunt idem.

*Propria functio Theol. Mysticæ, contemplatio.*

RESPONDEO II. Alios actus pertinere ad Theologiam-Mysticam, quatenus conducunt, tanquam dispositiones ad notitiam contemplatiuam. Recte S. Thomas homo quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. Quamobrem, licet vita contemplatiua vnum actum habeat, in quo finaliter perficitur: nempe contemplationem veritatis, à qua habet vnitatem. Ad hunc tamen actum, vt perueniat, multis aliis iuuatur: quorum aliqui pertinent ad acceptionem principiorum, è quibus Theologus procedit ad contemplationem veritatis: alii vero ad deductionem conclusionis ex principiis cognitis. Quocirca S. Thomas Contemplationem appellat *actum completiuum* vitæ contemplatiuæ: nos dicimus esse *actum elicitum* à Theologia-Mystica. Illam vero vel præcedunt, vel cōsequuntur ac ornant actus superius nominati.

Et quidem Meditatio quærit operose magna cum industria veritatem diuinorum: Contemplatio absq; labore penetrat inuentam, ac iucundissime degustat. Meditatio veritatem attingit. Contemplatio in illam irretorto lumine oculum perspicacem defigit. Meditatio consistit in veritatis limine. Contemplatio adyta ingreditur. Quamobrem Meditatio dici potest contemplationis exordiū, vel ad illam præparatio: imo suo more parēs, ac genitrix. Docet id S. Bonauentura opusc. de 7. itineribus æternit. Tertium ex illis itineribus vocat limpidam æternorum Contemplationem; quod iter est immediate post iter meditationis. Quare? quia cum meditatio æternorum, inquit, sit quædam inuestigatio & inquisitio cum magna animi industria veritatis æternorum, nec ab inquisitione desistat, donec, quod quærit inueniat quantum potest, planum est quod Spiritus humanus per ipsam meditationem in æternis non figitur, nec quietatur, donec per contemplationem ei ostendatur, quod per meditationem quærebatur. *Meditatio antecedit contemplationem.*

Sed quam cito quæsitum inuenitur, & spiritus illi quasi adquiescendo cum admiratione inhærere cæperit, tam cito meditatio esse desinit & in contemplationem transit, inquit Richardus. Per meditationem diu quæsitam veritatem, tandemque inuentam mens solet cum auiditate suscipere, mirari cum exultatione, eiusdem quoque admirationi diutius inhærere. Et hoc est iam meditationem meditando excedere & per meditationem in contemplationem transire. Proprium est enim cōtemplationi, iucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere. Meditationi vero proprium est sua promotione semper in vlteriora tendere.

Est igitur contemplatio veluti terminus meditationis, meta

longi & laboriosi itineris: portus nauseabundæ nauigationis: partus gementis sæpius, & longæ parturitionis tædio se torquentis matris.

*Beniamin contemplatio. Ioseph meditatio.*

Ad quæ explicanda ingeniose Richardus vtitur exemplo Iosephi & Beniamini lib. de præparat. ad contemplat. cap. 87. Quid est, inquit, quod Ioseph & Beniamin conueniunt & oscula iungunt, nisi quod meditatio & contemplatio sæpe inuicem sibi cum rationis attestatione occurrunt. Sicut enim per Beniamin gratia contemplationis; sic per Ioseph intelligi valet gratia meditationis. Totius ergo Ioseph super collum Beniamin ruit, quoties meditatio in contemplationem desinit. Tunc Beniamin fratrem suum super se ruentem excipit, quando ex studio meditationis animus in contemplationem surgit. Tunc Beniamin & Ioseph oscula iungunt, quando diuina reuelatio & humana ratiocinatio in vna veritatis attestatione consentiunt. Ita Richardus.

*Sui meditatio gignit contemplationem Dei.*

Ante quem S. Basilius eadem vsus doctrina, Homil. ad verba Mosis: *Attende tibi:* demonstrat, attentam, accuratamq; sui ipsius meditationem gignere eximiam DEI contemplationem. *Si enim attenderis Tibi ipsi,* inquit, *omnium quæ sunt nullo apparatu opus fuerit, quo adiutus, velut per vestigia agnoscas tuum conditorem. In te ipso etenim, tanquam mundo quodam, distincte adornato quamuis exiguo, contemplari licebit eximiam conditoris tui, & incomparabilem sapientiam.*

*Quomodo perueniatur ad contemplationem Dei.*

Modum deinde præscribit, quo pedetentim ad contemplationem DEI perueniatur. *Contemplatione tua tibi inexistentis Animæ incorporeæ, mihi cogita* DEVM *incorporeum.* DEVM inquam, *intellige nullo circumscriptum loco, quando nec tua mens præcisam habet in loco commensurationem, aut conuersationem: etiamsi in loco sit per colligationem ad corpus. Nihil est quod dubites credere* DEVM *esse* inuisibilem, *mox vt tuam ipsius cognoris animam, cum ne ipsa quidem possit corporis apprehendi oculis. Nullo enim picturata est colore, nullo tecta schemate: nullo comprehensa est corporeo charactere: tantum ex suismet actionibus internoscitur. Itaque de* DEO *nullam per oculos aucuperis cognitionem: sed vni mentis iudicio, fide præmissa sensu tantum spirituali ipsum apprehendito.*

Hunc admirare artificem, quo is modo efficacem vim animæ tuæ veluti compage quadam *adstrinxerit: sic vt ad externas vsque particulas eius permeans, vimque suam dispertiens membra ipsa plurimum licet à se dissita in vnam adducat concordem, & sociam conspirationem.* Quibus efficere conatur Basilius, exactam suiipsius meditationem esse methodum, vt loquitur ipse, seu viam præstruere sufficientem prorsus, & idoneam ad DEI contemplationem.

*Contemplatio pro-*

ITA est profecto. Nam licet contemplatio, si accipiatur eo rigore,

gore, quo à mysticis solet, sit actus simplex absque discursu: tamen, quod docet S. Thomas, supponit discursum, seu meditationem: vtrum omnis postea disquiretur. Supponit igitur & cogitationem, imo & speculationem, quatenus hæc ad meditationem pertinet. *pria actus simplex. S. Thom. q. 180. art. 3. & 6.*

Quapropter bene monet Calaguritanus in canonibus pro Theologiæ Mysticæ intellectu canone 15. Sæpe solere mysticos appellare contemplationem, quæ proprie meditatio est, petito, vt conjicit, nomine à termino meditationis, quæ propria solet contemplatione concludi. *Ioa. Iesu Maria in Theol. myst.*

Et quoniam homo ad cognitionem veritatis peruenit bifariam. Vno modo per illa, quæ ipsi cōmunicantur ab alio: ita quoad illa quæ accipit cælitus à DEO necessaria est *Oratio*: vt dicere possint donati veritatis notitia, quod Sapiēs: Inuocaui & venit in me Spiritus sapientiæ. Quantum vero ad ea, quæ accipit ab homine, necessaria est *Auditio*, quatenus illi communicatur quidpiam voce dicentis: & *Lectio*, quatenus è scripto haurit quod ignorabat. *Admiratio* autem vt superius est declaratum, consequitur contemplationem sublimis alicuius veritatis. Est enim species Timoris consequens apprehensionem rei alicuius excedentis nostram facultatem.

# COMMENTATIO IX.

# CONTEMPLATIO ADQVISITA MYSTICORVM.

## EXERCITATIO I.

### *STABILITVR DISTINCTIO CONtemplationis Adquisitæ & Infusæ.*

### PRIMA DISQVISITIO. An recte diuidatur Contemplatio Mysticorum in Adquisitam & Infusam.

RESPONDEO: Adfirmate. Habet eam partitionem Dionysius Carthusianus, & approbant communiter tam Scholastici, quam Mystici.

ftici. Nec indiget ad probationem, nisi explicatione modi contemplandi, à quo sumitur ea partitio. Constat autem Contemplationem duobus modis exerceri. Primo per vsum ratiocinationis sicut contingit in aliis quibuscumque cognitionibus & discursibus, & tunc vocatur Contemplatio RATIONALIS, aut ADQVISITA. Postquam enim vario ratiocinationum ambitu inueneris, quod Contemplationi obiicitur, simplici intuitu rem ipsam cernis quodammodo, quod est contemplari: frequenti autem exercitatione facilitatem consequeris, atque ita firmatur ADQVISITA CONTEMPLATIO.

Alter modus est sublimior, Spiritu-sancto immediate mentem tangente & afflante. Tunc enim admirabili facilitate animus ad superna tendit, & intelligentia diuinitus illustrata absq; labore, & longo discursuum intuitu cælestia quodammodo intuetur: sicque Angelico pene modo se habet ob simplicem veritatis apprehensionem & vniformem ac cæliformem, vt Mystici loquuntur, conspectum.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quibus exemplis ob oculos poni possit Contemplationis Adquisitæ, ac Infusæ diuersitas.

RESPOND. Duobus potissimum vti Mysticos. Vnum est à re nauicularia desumptum: alterum à re hortensi. Nautam respice. Is aliquando expansis ad vehementem sibique fauentem ventum velis, sine vllo suo labore, aut defatigationis periculo, placidissime in naui confidens nauigat. Aliquando vero dum vel est malatia, vel contrarius ventorum impetus vix multo & suo, & remigum conatu onerariam impellit, & promouet. Prior illa Nauigatio est imago Contemplationis Infusæ: posterior Adquisitæ. His adde, Nauigationem, quæ velis remisque in vnum conspirantibus, & mutuam quasi operam præstantibus peragitur. Talis est Contemplatio, Mixta ex ea, quæ tota est diuinæ gratiæ licet non sine cooperatione humana, & ex illa, quæ nostræ industriæ & exercitio nititur non exclusa diuinæ gratiæ adiutorio.

Hortulanus vero quanto sæpe labore, & contentione nititur aquam è fonte in areolas suas deducere, nec multum proficit. At interdum non cogitanti, certe, non laboranti matutina ac serotina pluuia abundantissime totum hortum humectat: quo punctulo pene temporis plus proficitur, quam integri diei defatigatione.

Manducantes. Aduocari potest ad idem explicandum exemplum Manducantis,

tis,potantis,& se inebriantis. Quod placuit D.Bernardo,qui in Contemplatione diuinorum distinguit tres gradus. Primum comparat comestioni: alterū potationi, quæ majori & facilitate, & suauitate fit, quā manducatio. neque enim vllum potus habet in masticando laborem: Tertium inebriationi: additque alia ad rem hanc explicandam valde opportuna. *Potatio. Inebriatio.*

Sermone L II. ex paruis & variis explicans illud Canticor. I. *Osculetur me osculo oris sui*, vbi distinguit imprimis tria oscula. Primū pedū, qui sunt, Misericordia, & Veritas: secūdū, Manuū, quæ designāt operum principium: tertium, Oris. Et primum quidem vocat osculum Propitiatorium quod fit in remissione peccatorum: secundum Muneratorium, & fit in donis virtutum, tertium in contemplatione cœlestium, & vocatur contemplatorium. Sciendum est autem, inquit, esse duo genera contemplationis. Quidam n. sunt, qui ascendunt, & cadunt: alij vero qui rapiuntur, & descendunt. Ascendunt, sicut illi de quibus scriptū est. Cū cognouissent DEVM, non sicut DEVM glorificauerūt, aut gratias egerūt. Gratias nō egerunt, quia virib. suis, & ingenio tribuerunt, quod DEVS reuelauit illis. Ideo sequitur casus eorum: Et euanuerunt in cogitationibus suis. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Electi vero rapiuntur sicut Paulus, & sui similes: sed & descendunt: vt ea quæ per excessum mentis viderint loquantur paruulis eo sane modo, quo capiantur ab ipsis. Rapitur Paulus cum dicit: siue mente excedimus DEO. Descendit, cum dicit: siue sobrij sumus vobis. Hoc posteriori genere contemplationis rapi desiderat anima perfecta in castissimos amplexus sponsi sui dicens: *Osculetur me osculo oris sui*: ac si diceret, Ego non viribus meis, non industria, non meritis ad contemplanda gaudia Domini mei adsurgere valeo: sed ipse me osculetur osculo oris sui: id est, eius gratia fiat: non per doctrinam, per naturam, sed per gratiam suam osculetur me osculo oris sui. Miro autem modo gratiam operantis, & opus & modum operis eleganter expressit. Cum enim dixit *Osculetur*: operantis gratia monstratur. Cum autem supponit osculo: ipsum opus, id est, contemplatio designatur. Cum vero adiungit: oris sui; modum operis, scilicet, quo fiat Contemplatio euidenter expressit. Per os quippe verbum intelligitur. Fit autem Contemplatio ex condescensione verbi DEI ad humanam naturam per gratiam, & exaltationem humanæ naturæ ad ipsum verbum per diuinum amorem. *Tria oscula.* *Rom. 1.* *II. Corin. 5.*

Confert post hæc contemplationem infusam cum incarnatione Verbi. Ad incarnationem enim præcessit Gratia. Aue gratia plena. Cuius nam? sequitur: Dominus tecum. Opus deinde eiusdem

gratiæ subinfertur, cum dicitur, Benedictus fructus ventris tui: Fructus namque ventris tui Incarnatio est verbi. Modus vero tanti operis edocetur vbi dicitur: Spiritus-sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. In quibus operibus verbi manifeste constat, & istam scilicet Incarnationē ex sola vbertate diuinæ gratiæ esse factam: nec illam: id est, Contemplationem quandoque humana voluntate sed diuino tantum munere prouenire posse.

Tandem constituit tres modos Contemplationis pro diuerso statu temporum. Et primo quidem vocatur Cibus: secundo, Potus: tertio, Ebrietas. Vnde & in consequentibus electi quoque voce Spōsi inuitantur dicentis: comedite amici, & bibite, inebriamini carissimi. Prius comedunt, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Postmodum vero corpore exuti, & in cælum translati iam bibere dicuntur eadem, quæ prius comederant: quia iam per speciem contemplantur sine labore: qui prius per fidem crediderant dum in corpore positi peregrinarentur à Domino: & in sudore vultus sui vescerentur pane suo. Sicut & nos facilius sumimus ea, quæ bibimus, quam illa, quæ mandimus: quia in illis nonnullus labor: in his leuis est transitus. In hoc ergo statu positi sancti bibere quidem possunt: sed inebriari non possunt, quoniam à perfectissima Contemplatione Diuinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine seculi præstolantur. Qua facta ita corpus menti, & Deo mens inhærebit, vt iam deinceps nihil sit quo ab interna ebrietate Contemplationis reuocari possit. Prima itaque inuitatione, quia comedunt, vocantur amici, id est, chari: in secunda, quia bibunt, chariores: in tertia, quia inebriantur, carissimi. Probantur hæc exempla recentioribus, qui populariter ijs vtuntur: nominatim Alfonsus Rodericius in Exercitio Perfectionis Tract. 5. cap. 4. & Thomas à Iesu lib. 1. de Contemplatione diuina cap. 2.

Cant. 5.

## TERTIA DISQVISITIO. An Contemplatio, quæ humano more modoque exercetur, & adquiritur cum labore, possit modo supernaturali ac diuinitus peragi: atque è conuerso.

RESPONDENT Mystici adfirmate: & vniuerse asserunt: Nullam esse Contemplationem humana industria adquisitam, quæ non etiam diuino, & supernaturali modo possit contingere, & è contrario. Disputat de hac re Richardus Victorinus lib. 4. de contempl. cap. 22. do-

22. docens in omni contemplationis genere contingere contemplantem mente excedere. Postquam enim in anterioribus capitibus distribuisset omnes contemplationis tam adquisitæ, quam infusæ species in sex gradus, subiungit: Quamuis familiare sit, & quasi propriũ videatur quibusdam contemplationum generibus, per mentis excessum videre: id est, diuini spiritus adflatu, & per gratiam eleuantem contingere. E contrario autem aliis quasi domesticum sit, ac pene singulare sine vlla animi alienatione in contemplationem adsurgere: dum nimirum contemplans, more humano operatur, & communi ordinarioque. possunt tamen omnia ac solent modo vtroque contingere.

Quod enim omnia sex contemplationum genera possint per ecstasim cerni mystico Mosis exemplo tenemus. Quod vero sine vllo mentis excessu possint in contemplationem adduci ex typico Beseleel opere habemus. Vt enim Moses Arcam, & vtrumque Cherubin ex diuina reuelatione videre potuisset, montem ascendit, nebulam subintrauit. Vt autem Beseleel mysticum istud opus operaretur, & intueretur nec montem, nec nebulam quæsisse, vel subiisse legitur. Quid est autem montem subire, nisi secundum propheticam sententiam ad cor altum ascendere. Eiusmodi vero montem nubes tunc tegit, quando exteriorum omnium memoria menti excidit. In hoc monte Moses sex diebus moratur: & in septimo de medio nubis ad Domini colloquium vocatur.

Sex diebus, vt notum est, opera nostra peragimus, & in septimo requiescimus. Quasi sex ergo dies transigimus in hoc monte, quando cum multo labore, magnaque animi industria in eiusmodi sublimitatis statu assuescimus diutius permanere. Tunc autem quasi ad septimum diem venitur, quando tanta mentis subleuatione enti in oblectamentum vertitur, & sine vllo labore subitur. Quasi ad septimum iam diem pertingitur, quando in illo sublimitatis statu tandem aliquando ad summam animus tranquillitatem componitur, vt non solum omnem curam, & solicitudinem deponat: imo, vniuersas pene humanæ passibilitatis metas excedat. Ad colloquium Domini, Domino vocante, admittitur, quando ex diuina inspiratione & reuelatione, in illam diuinorum iudiciorũ abyssum intromittitur. In medium nebulæ Moses ingreditur, quando humana mens ab illa diuini luminis immẽsitate absorpta summa sui obliuione sopitur: ita, vt mirari valeas, & iuste mirari debeas, quomodo concordet ibi nubes cum igne, & ignis cum nube: nubes ignorantiæ cum igne illuminante intelligentiæ.

Hoc ipsum cum pluribus explicasset tandem sic concludit. Hoc est, quod superius iam dixi: quia ad quodlibet Contemplationum genus pertinentia possunt, Domino reuelante, per mentis excessum videri. Sed ex Beseleel opere nihilominus potest perpendi: quia quælibet horum, absq; vllo mentis excessu possunt, & solent in Contemplationem adduci. Quid enim est quæso Arcam fabricare, auro vestire, coronaque cingere, propitiatorio tegere, chorum adiungere, nisi gradatim quidem in dicta Contemplationum genera artem comparare: & multo studio atque labore alia post alia addiscere, & in vsum adducere: & tandem aliquando opus consummare, & ad vltimum, in omnibus perfectum esse.

Sed, vt de Arca taceam: quid vel de ipsis Cherubin dicam? Nunquid, vt eos formaret, vel formatos videret, legitur, vel montem ascendisse, vel nubem intrasse? vnde & manifeste datur intelligi, quia & illa Contemplationum genera, quibus, quasi proprium esse videtur per mentis excessum exerceri, solent tamen quandoque infra humanæ comprehensibilitatis metas cohiberi. Omnia Contemplationum genera possunt modo vtroque fieri: & modo per mentis excessum, modo sine aliquo mentis excessu solent exerceri.

---

# EXERCITATIO II.

## *Quæ sint propria Contemplationis Adquisita.*

HAbet Contemplatio Adquisita communia multa, cum Contemplatione Infusa: à qua, cum tanquam species distinguatur, propria etiam nõnulla habeat oportet in quibus diuersitas consistit. Horum radix est differentia, quam definitio designat. Est igitur

### PRIMA DISQVISITIO. An & quomodo sit definienda contemplatio adquisita?

RESP. Posse si non summa accuratione definiri, describi saltem hunc in modum. EST NOTITIA INTVITIVA DEI, AC DIVINORVM ADFECTVOSA LABORE HVMANO, AC INDVSTRIA PROCVRATA. Genus est, *notitia intuitiua*, quod contemplationi omni, quatenus à meditatione, & aliis orationis speciebus, vel partibus distinguitur, conuenit. Differentiam designat, laboris, & industriæ procura-

curatio,quæ in superioribus satis est declarata. Ad obiectum spectat DEVS,ac DIVINA,sed diuerso modo,vt constabit,quando de obiecto Theologiæ Mysticæ disputabo. *Adfectuosa* dicitur,quia contemplatio Christiana,vt superius est demonstratum,ab affectu incipit,& desinit in adfectum. Amor Dei contemplaturum incitat: & in amore terminatur contemplatio: atque in ea magis, quam in meditatione exardescit ignis. Nam quum quis quem amat viderit,inquit Gregorius Papa,in amorem ipsius amplius ignescit. *Hom. 14. in Ezech.*

## SECVNDA DISQVISITIO. Quomodo contemplatio industria humana comparetur.

RESP. Quoniam meditationem consequitur cõtemplatio, quemadmodum assiduo intellectus ac voluntatis conatu ad facilitatem meditationis peruenitur, ita per hanc, contemplandi facultas paulatim adquiritur, augescit, ac perficitur. Quam esse communem persuasionem Theologorum, non Mysticorum tantum verum & Scholasticorum, satis liquet ex ipsorum verbis recitatis comment. superiore exercitat. 5. quibus docuimus illorum sensu, meditationem transire in contemplationem. Quod etiam adserit ex recentioribus Thomas à IESV lib. I. de contempl. diuina cap. II. vbi addit: Infructuosam debere existimari eam meditationem, quæ in contemplationem, quam pro fine habere debet, non transit. Erit enim tunc, ait, sicut via sine termino, nauigatio sine portu, corpus sine anima. Quare, qui desiderio contemplationis flagrat, piis & continuis instat meditationibus, quibus mediis ad contemplationis montem facile perueniat.

## TERTIA DISQVISITIO. An nemo adsequatur Contemplationem absque Meditationis exercitio.

RESPONDET Ioannes Gerson opusculo de meditatione cordis, consideratione VII. dum recogito quod absque Meditationis exercitio nullus secluso miraculo DEI speciali, ad perfectionem contemplationis dirigitur, aut peruenit: nullus ad perfectissimam Christianæ religionis normam pertingit: imo vix se componit, audeo zelans sanctæ meditationis studium suadere. Adprobant hoc alii Mystici: sed per miraculum speciale intelligunt, peculiarem DEI gra-

tiam, & infusionem: tunc autem id verissimum est. nam omnis contemplatio vel habetur labore proprio, aut industria humana quæ ratiocinationibus vtitur, vt ad intuitum pertingat, vel adflatu diuini Spiritus, & gratiosa infusione: sed tunc non est adquisita. Hæc igitur absque meditationis subsidio non comparatur.

QVARTA DISQVISITIO. Quomodo conseruetur contemplandi facultas? seu adquisita contemplatio?

RESP. Cùm, quibus res gignitur, iisdem optime conseruetur: nam eadem sunt principia conseruantia, quæ producentia: contemplationem adquisitam, quam meditationibus comparari diximus, earundem assiduitate conseruari, augerique certum est. Docet hoc consensu mysticorum Ioannes Gerson opusc. de Theolog. Mystica consider. 24. vbi simul rationem reddit, quare in aliquibus facilis sit, quæ à quibusdam tanta difficultate peragitur, contemplatio.

Siquidem contemplatio, inquit, facilitatem habet, tum exhabitibus per meditationem adquisitis: tum propter abstractionem, & separationem intelligentiæ à sensibilibus: tum sæpius propter diuinæ gratiæ collustrationem in diuina spectacula subleuantem. Meditatio nimirum si debite fiat transit in contemplationem, sicut cogitatio in meditationem. Facta enim sedula inquisitione veritatis, denudatis insuper per vehemens studium rerum quidditatibus ab accidentalib. circumstantiis generatur habitus ex frequentatione: depuratur lumen intelligentiæ, fitq; lucidius, quanto est tenebrositati sensualis cogitationis impermixtius. Ita ibi Parisiensis cancellarius.

# COMMENTATIO X. CONTEMPLATIO INFVSA MYSTICORVM.

## EXERCITATIO I. *QVID SIT CONTEMPLATIO Infusa?*

PRI-

## Prima Disqvisitio. Quænam Contemplationis infusæ definitio?

Resp. Contemplatio Infvsa Est Notitia Intvitiva Dei Ac Divinorvm Vel à Dono Aliqvo Spiritvs S. Vel à Dei Avxilio Provenienʃ. Quæ postremæ particulæ discrimen continent huius contemplationis ab adquisita. Et duplex innuunt genus illius. Nempe quod vel proxime elicitur Deo auxiliante, nullo intermedio dono habituali, aut permanēte: vel cōtingit donis, aut habitibus adminiculantibus. Quod autem donum, seu habitus sit principium contemplationis mysticæ suo loco aperiam, vbi de habitu theologiæ mysticæ disputabo.

## Secvnda Disqvisitio. In quibus conueniat contemplatio infusa cum adquisita.

Respond. Conuenire *Primo* in obiecto, seu materia: quæ in vtraq; est Devs, ac Divina. *Secundo*, in causa impulsiua, quæ est adfectus erga Devm, vt enim Amore incitatur, qui ad contemplationem adquirendam conatum adhibet: ita, & multo magis, quem Devs adflatu suo interius ad contemplationem erudit. *Tertio*: in fine vtriusq; enim terminus est amoris diuini incrementum.

## Tertia Disqvisitio. Quibus potissimum differat infusa contemplatio & adquisita.

Resp. Differre *Primo* causa efficiente proxima potentiam intellectiuam, & adfectiuam adiuuante. Infusa enim vt dictum est donum aliquod Spiritus-sancti respicit, vel auxilium Dei supernaturale, quo facultas humana confortatur & eleuatur, vt ad contemplationem adsurgat: Adquisita, præter habitum fidei, quo donati sunt Christiani omnes, & concursum Dei ordinariū ad illius actus, nihil admodum requirit, vt expedite exerceatur.

*Secundo*: Modus in vtraque diuersus est. Infusa sine labore præuio, & longis meditationum ambagibus ac præparamentis facile, prompte ac velocissimo impulsu vel potius volatu ad Devm & diuina peruenit: eaque rimatur, ac nullo pene negocio penetrat: atque ita contemplantem admiranda, iucundissimaque suauitate perfundit adquisita pedetentim progreditur, & per difficultates plurimas

eluctatur, nec tam liquidæ voluptatis est fons. Quod mystici nonnulli significant, qui contemplationem infusam, volunt esse singulari modo *promptam, perspicacem, & claram cognitionem*, quæ non ita perfecte reperiuntur in adquisita. Hinc *Tertio*: Effectuum est dissimilitudo. Siquidem infusa, vt ab altiore est principio, ita plus lucis desiderat: magisque deinde illuminat: quare amplius quoddam & eminentius lumen illius est effectus. Eadem differentia est in amore, ac suauitate, ceterisque contemplationem sequi solitis.

Quamobrem nonnulli è mysticis adquisitam contemplationem meditationis voce designant: infusam vero simpliciter contemplationem nuncupant atque ita hæc discrimina proponunt. Quod facit egregie Hugo Victorinus, qui ignis imagine quanta sit inter vtramque contemplationem diuersitas declarat homilia I. in Ecclesiastem. Audi, quæso te, mysticum Doctorem populariter mystica, altissimaque mysteria elucidantem.

Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes. Vbi autem putatis mens erat huius hominis cum hæc diceret? Homo erat, sed supra hominem erat: quia nisi hominem excederet, omnem hominem mendacem esse non videret. Propterea de consideratione huius, consideratio prius nobis habenda est: & distinguenda sunt genera speculationum spiritualium.

*Tres visiones animæ.* *Cogitatio.* Tres sunt animæ rationalis visiones, cogitatio, meditatio, contemplatio. Cogitatio est, cum mens notione rerum transitorie tangitur: cum ipsa res sua imagine animo subito præsentatur: vel per *Meditatio.* sensum ingrediens, vel à memoria exsurgens. Meditatio est assidua & sagax retractatio cogitationis, aliquid, vel inuolutum *Contemplatio.* explicare nitens: vel scrutans penetrare occultum. Contemplatio est perspicax, & liber animi contuitus in res perspiciendas vsquequaque diffusus.

*Harum discrimina.* Inter meditationem & contemplationem hoc interesse videtur: quod meditatio semper est de rebus ab intelligẽtia nostra occultis. contemplatio vero de rebus, vel secundum suam naturam, vel secundum capacitatem nostram manifestis(. Quod discrimen proprium est ab Hugone excogitatum, sed non admittunt alii): Et quod meditatio semper circa vnũ aliquid rimandũ occupatur: cõtemplatio ad multa, vel etiam ad vniuersa comprehendenda diffundatur. Meditatio itaque est quædam vis mentis curiosa, & sagax nitens obscura inuestigare, & perplexa euoluere. Contemplatio est viuacitas illa intelligentiæ, quæ cuncta in palam habens, manifesta visione com-

comprehendit. Et ita quodammodo id, quod meditatio quærit: contemplatio possidet.

Contemplationis autem duo sunt genera. Vnum, quod & prius est, & incipientium: in creaturarum consideratione: alterum, quod posterius & perfectorum est, in contemplatione Creatoris. In prouerbiis Salomon quasi meditando incessit. In Ecclesiaste ad primum gradũ cõtemplationis ascendit. In canticis canticorum ad suprem ũ se transtulit. In meditatione, quasi quædã lucta est ignorãtiæ cũ sciẽtia: & lumen veritatis quodãmodo in media caligine erroris emicat. *Contemplationis genus duplex.*

Velut ignis in ligno viridi primo quidem difficile apprehendit: sed cum flatu vehementiori excitatus fuerit, & acrius in subiectam materiam exardescere cœperit, tunc magnos quosdam fumosæ caliginis globos exsurgere, & ipsam adhuc modicæ scintillationis flammam rarius interlucentem obuoluere videmus, donec tandem paullatim crescente incendio, vapore omni exhausto, & caligine disiecta splẽdor serenus appareat. Tunc victrix flamma in omnem crepitantis rogi congeriem discurrẽs, libere dominatur: subiectamq; materiã circumvolitans, ac molli attactu perstringens lambendo exurit, ac penetrat: nec priusquiescit, quam intima penetrando succedens, totum quodammodo traxerit in se, quod inuenit præter se.

Postquam autem incendio id, quod exurendum est concrematum à suo quodammodo natura totum in ignis similitudinem proprietatemque transierit: tunc omnis fragor decidit, & strepitus sopitur: atque illa flammarum spicula è medio sublata tolluntur: sæuusq; ille & vorax ignis cunctis sibi subiectis, & amica quadam similitudine concorporatis in alta se pace, silentioque componit: quia iam non inuenit, nec diuersum aliquid præter se, nec aduersum contra se.

Primum ergo visus est ignis cum flamma & fumo: deinde ignis cum flamma sine fumo: postremo, ignis purus sine flamma & fumo. Sic nimirum carnale cor quasi lignum viride, & necdum ab humore carnalis concupiscentiæ exsiccatum, si quando aliquam diuini timoris, seu dilectionis scintillam conceperit; primum quidem prauis desideriis reluctantibus, passionum & perturbationum fumus exoritur: deinde roborata mente cum flamma amoris & validius ardere, & clarius splendere cœperit, mox omnis perturbationum caligo euanescit, & iam pura mente animus ad contemplationem veritatis se diffundit. Nouissime autem postquam assidua veritatis contemplatione cor penetratum fuerit, & ad ipsum summæ veritatis fontem medullitus toto animæ adfectu intrauerit: tunc in idipsum dulcedi-

nis quasi totum ignitum,& in ignem amoris conuersum ab omni strepitu,& perturbatione pacatissimum requiescit.

Primum ergo,quia inter pericula tentationum consilium quæritur,quasi in Meditatione fumus cum flamma est. Secundo : quia mente pura cor ad Contemplationem veritatis diffunditur, quasi in principio Contemplationis flamma sine fumo est. Tertio : quia iam inuenta veritate,& perfecta caritate,nihil vltra id,quod vnicum est, quæritur:in solo Amoris igne summa tranquillitate,& felicitate suauiter repausatur. Tunc corde toto in ignem amoris conuerso , vere DEVS omnia in omnibus esse sentitur, cum tam intima dilectione percipitur, vt præter illum etiam de semetipso cordi nihil relinquatur.

Vt igitur tria hæc propriis vocabulis distinguamus: Prima est, Meditatio:Secunda,Speculatio:Tertia,Contemplatio. In Meditatione mentem pia deuotione succensam perturbatio passionum carnalium importune exsurgens obnubilat. In Speculatione nouitas insolitæ visionis in admirationem subleuat. In Contemplatione,miræ dulcedinis gustus totam in gaudium,& iucunditatem commutat. Igitur in Meditatione est sollicitudo. In speculatione,Admiratio. In Contemplatione,Dulcedo. Solet tamen etiam speculatio spiritalis magna animum iucunditate reficere , dum post luctam tentationum,& caliginem erroris,subito insperata pace componit, & insolida claritate perfundit.

Similia habet S. Bonauentura libello de septem itineribus æternitatis,itinere tertio, Dist. 3. vtens nomine speculationis ad indicandam Contemplationem Adquisitam: qua dum illustratur mens Contemplantis,iaciuntur quodammodo radij à Patre luminum non immediate in ipsam animam:sed mediante speculo in quod prius incurrunt,antequam mentem afficiant. Speculum autem est,vel Scriptura sacra, vel doctrina aliunde hausta,vel creatura aliqua meditationibus identidem obuersans animo. Quo fit vt veritas non tam pure conspiciatur, quam si nullo inuolucro tecta in oculos incurreret: aut si radij immediate in potentiam visiuam vibrarentur. Quod contingit in Contemplatione Infusa: tunc enim diuini luminis radij sine speculi interpositu à fonte luminis in mentem Contemplantis deriuantur.

QVAR-

## QVARTA DISQVISITIO. An Contemplationem Infusam æque ac adquisitam consequatur Admiratio.

E Veteribus Mysticis nõnulli adeo propriam Cõtẽplationi Admirationem existimarunt, vt hanc in definitione illius locarint. Celebris est illa apud S. Bonauenturam Contemplationis supernaturalis descriptio *Actus intellectus non impediti, gratia sanati, in æterna spectacula directi, cum Admiratione suspensi.* Verum, vt obseruat Hugo, Admiratio potius speculationis, id est, Adquisitæ Contemplationis, quam Infusæ est terminus. Nam in illa nouitas Admirationem parit. Itaque nouitate euanescente, desinit quoque Admiratio. Quamobrem nec in continuatione Contemplationis Adquisitæ perseuerat diu Admiratio. Quod si detur aliqua Contemplatio supernaturalis absque phantasmatum vsu, quam maxime celebrant Mystici, cum in ea mens Contemplantis plane sit absorpta, & pene consopita, ac emortua, Admirationis omnis eam esse expertem est necesse. Vt assuetudo tollit Admirationem, quia nouitatem adimit: ita & insolens abstractio, quia sensum vel ligat, vel obstupefacit. S. Bonau. Itin 3. Æter. Dist. 2.

---

## EXERCITATIO II.

### *Partitio Contemplationis Infusæ.*

VArie diuidũt Mystici Contemplationem Infusam: sed artem ipsi negligunt, & profundũt tumultuarie, quæ difficile est in certas classes distribuere: nos quæ sparsim vagantur, cogamus in ordinem. Est igitur

PRIMO. Contemplatio Infusa per se: quo pacto eam appellamus, quæ siue in substantia, siue quoad proprietates ac conditiones quasdam est talis, vt non nisi peculiari munere infundentis DEI gratuito haberi possit: quippe, omni ea superior, quæ humani intellectus & voluntatis conatu adquiri potest.

SECVNDO. Contemplatio Infusa per accidens: quæ licet à DEO gratiose alicui infundatur: tamen, tum in claritate, perspicacitate aliisque perfectionibus, tum in modo attingendi obiectum nihil habet eximium, ab ea, quæ vi virtuteque potentiarum intellectiuarum cum DEI præsidio haberi potest, ac solet.

TER-

TERTIO: Contemplatio Immediata. Quomodo illam voco, quæ immediate DEVM tanquam Principium adiuuans respicit. Seu, quæ proxime, per auxilium actuale DEI mentem adflantis, illuminantis, mouentis procedit, vocatur à nonnullis Mysticorum, supereminens.

QVARTO: Contemplatio Mediata: quæ medio aliquo Dono Spiritus Sancti, vel habitu supernaturali animæ ad id infuso promanat.

QVINTO: Contemplatio Pura, quæ ab aliquibus etiam Modinescia nuncupatur: nimirum, quæ ad eam puritatem conscendit, vt absque omni phantasmatum admixtione, vel saltem imperceptibili in DEVM ac Diuina fertur, & illa intuetur.

SEXTO: Contemplatio Impura, quæ imaginationis cooperationem, impuritatemque phantasmatum admittit.

SEPTIMO: Contemplatio in Caligine: seu Caliginosa: quà mens Deo illam irradiante, intuetur quodammodo supremum illud Numen veluti in tenebris & obscurissima caligine.

OCTAVO: Contemplatio Diuinissima, seu Eminentissima, quæ peculiari modo MYSTICA, qua Mens absorpta, nec sui compos admirando, neque vnquam satis explicando impetu in DEVM fertur illique arctissimo quodam Amoris vnitiui nexu copulatur. Hac nulla est in hac vita sublimior, proxime ad DEI visionem claram accedens.

NONO: Contemplatio Positionis, seu Adfirmationis. Qua DEVM apprehendit, ac contemplatur Mysticus, tribuendo illi per modum adfirmationis perfectiones, quas in creaturis deprehendit, & non ignorat esse participationes diuinarum perfectionum.

DECIMO: Contemplatio Ablationis, seu Negationis. Qua DEVS per remotionem, seu negationem omnium, quæ cernimus, aut imaginamur à Contemplante consideratur.

Ad has Contemplationum species reuocantur omnes aliæ; quarum quidem aliquæ noua explicatione non indigent, nonnullæ propriis commentationibus paullo fusius sunt declarandæ.

COM-

# COMMENTATIO.
# CONTEMPLATIO PER ADFIRMATIONEM ET NEGATIONEM.

QVAMVIS Consideratio DEI per adfirmandi & negandi methodum communis esse possit Contemplationi tam Adquisitæ quam Infusæ, Mystici tamen eam Infusæ attribuunt: quod huius sit veluti fundamentum: aut quod summa & maxime expetita à Mysticis Contemplatio supernaturalis in Apprehensione, ac Intuitu, per ablationes formato præcipue consistat.

## EXERCITATIO I.

### *QVÆ, QVALIS-VE SIT CONTEMplatio per Adfirmationem & Negationem.*

#### PRIMA DISQVISITIO. Quid ex Scriptura-sacra de his Contemplationis speciebus habeatur?

RESPOND. Origo vtriusque Contemplationis est in diuinis Litteris, in quibus bifariam DEVS exprimitur, quasi duplex sit, quem de DEO formare debeant conceptum, qui in eius Contemplatione versantur. Alter enunciatur per Adfirmantia: alter per Negantia: illa quidpiam ponunt, ideoque pertinent ad membrum quod per modum positionis progreditur: hæc remouent: & sic deseruiunt Contemplationi, per modum Ablationis.

Prioris generis sunt, quæ perfectionem aliquam positiuam formaliter indicant: siue sint transcendentia, vt Ens, Res, Aliquid, Verum, Bonum: & quę his respondent, Essentia, Existentia, Bonitas, Veritas: & secundum quosdam, subsistentia communis & absoluta: siue sint perfectionum minus generalium vocabula. Et hæc vel ad Durationem spectant: vel ad præsentiam in loco aut vero, aut à nobis ex-

cogitato ac definito: vel ad intellectum: in quo est scientia, sapientia, prudētia, ars, intellectio, conceptus mētis, idea: & in his propria claritas, certitudo, veritas: vel ad voluntatem in qua considerantur eius virtutes & actus, caritas, iustitia, misericordia, liberalitas, amor, propositum, velle, intentio, electio, prouidentia, prædestinatio: ac similes: vel denique ad potentiam: in qua consideratur omnipotentia. Itaque dicitur passim DEVS in scriptura sacra, sapiens, bonus, omnipotens, iustus, misericors, vita, fons vitæ. Quæ constat significare perfectiones, quas DEO tribuimus, ac de illo adfirmamus.

Posterioris generis sunt ista fere: increatus, incorporeus, infinitus, immensus, immutabilis, incomprehensibilis, inuisibilis, ineffabilis. Nec facile aliud præter hæc, aut in diuinis paginis, aut in Patrum libris reperies, quod formaliter & expresse negationem significet. Dubiæ significationis censentur in scholis hæc tria simplex, vnus, æternus, quoniam in significandi modo expressam negationem non dicunt. Dum igitur DEVS vocatur, incomprehensibilis, ineffabilis, infinitus, quia hęc negationes sonāt, per modum remotionis DEVM manifestare dicuntur.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quis Patrum antiquorum de duplici contemplationis methodo sensus?

ADprobant duplicem hanc DEVM contemplandi viam veterum plerique, quibus facem prætulit, sed ex sacra-scriptura acceptam Dionysius Areopagita Mysticorum Doctor. Is imprimis cap. II. de Hierarch. Cœlest. in quo docet, res diuinas atque cœlestes apte dissimilibus signis exprimi: vt demonstret, non male spiritus & ipsum DEVM symbolis quibusdam & imaginibus rerum inferiorum repræsentari contranitentibus sic occurrit.

*Duplex sacro-sanctæ expressionis genus*

Si quis similacrorum dissimiles descriptiones, atque picturas improbet, quod pudore prohiberi se dicat, tam deformes figuras naturis, quæ & Diuinitatem imitentur, & sint sanctissimæ, adfingere: ad eum hæc satis erit oratio. Duplex esse sacro-sanctæ expressionis genus. Vnum sicut est consentaneum, quod ex similibus sacre fictis imaginibus progreditur: Alterum, quod ex dissimilibus formarum lineamentis, ad aliud omnino dissentaneum, & dissimile effingitur. Itaque venerandam Diuinitatis principii quod omnem naturam vincit, beatitatem, enunciatiuæ scripturæ, traditiones mysticæ, & arcanæ, in-

næ,interdum, vt verbum, mentem, & essentiam laudibus efferunt: Ioan.1.
eoque ipso Deo dignam eius rationem,sapientiamque declarant:e- Psal.135.
andemque vere subsistentiam, & omnium naturarum subsistentiæ Ioan.8.
causam veram, & vt lumen effingunt,vitamque appellant. Quæ qui- Ioan.1.
dem sacræ huiusmodi imagines,etsi honestiores sunt, formasq; materiæ compotes quodammodo superare videntur: tamen hac etiam ex parte absunt à veritate similitudinis diuinitatem nostram auspicantis.

Omnem enim essentiam ac vitam longe, multumque superat, cum nec vllum lumen eius speciem exprimat, & ratio, atque mens
omnis, infinitis partibus ab ea similitudine vincatur. Nonnunquam 1. Timoth.
vero dissimilibus interpretationibus,quę negant ab eisdem scripturis 6.
laudibus modo supra captum humanum ornatur, vt cum eam inui- Psal.148. Roman.11.
sibilem dicunt,immensam,atque incomprehensibilem:& ea ex quibus non quid sit:sed quid non sit, significatur.

Idem præclare docet Dionysius cap. 7. de nominibus diuinis, vbi præmittit, Dei notitiam superare omnem nostram intelligentiam,nec à nobis,dum hac mortalitatis sarcina grauamur conceptum Dei posse formari ex eius natura, sed necessario inspiciendas esse perfectiones rerum creatarum, indeque formandam notionem aliquam. Hoc autem melius fieri inficiatione, quā adfirmatione. Quærendū est,inquit, quomodo nos Dei notitiam habeamus, cū nec animo cernatur,nec sub sensum cadat,nec sit quicquā penitus eorū,quæ sunt. Vere fortassis hoc dicetur:Dei nos habere notitiā,non ex ipsius natura (est enim incognita, omnemq; rationem,mentemq; superat) sed ex rerum omniū descriptione;vt quæ ab eo prolata sit in lucem, & imagines quasdam similitudinesque diuinorum eius exemplarium in se contineat,ad id,quod omnia superat via & ordine pro virili parte Omnium Detractione, & Præstantia omniumque Causa ascendimus. Itaque in omnibus Deus noscitur, & sine omnibus:scientiaque Deus cognoscitur,& Ignoratione. Estque eius & notitia, & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & visio, & nomen, & cetera omnia: & neque intelligitur, neque nominatur. Non etiam est aliquid eorum, quæ sunt:nec in quoquam eorum, quæ sunt noscitur. Et in omnibus est omnia: atque nihil in quoquam: omnibusque ex omnibus cognoscitur, & ex vlla re nemini. Hæc enim etiam rectè de Deo dicimus. Atque iis quæ sunt omnibus laudatur,omnium,quorum Auctor est proportione.

Est rursus diuina Dei scientia & notitia,quæ ignoratione hauritur, per coniunctionem,quæ mentem omnem superat: quando

M 2 mens

mens ipsa à rebus omnibus abducta primum; deinde etiam se ipsam deserens cum splendidissimis radiis coniungitur, atque illinc & ibi inuestigabili Sapientiæ profundo illustratur.

cap. 1. theol. Myst. Ad hanc contemplandi rationem vt assuescat Timotheus, quem erudiendum sibi proponit in Theologia Mystica, monet Areopagita pulcherrimis verbis, infra referendis, ac ponderandis, monens, vt cooperetur diuino radio: derelinquat sensus, & sensibilia, imo & intelligibilia, ac existentia, sicque forti mentis conatu consurgat ignote (ita loquitur summus Doctor latine expressus) & superintellectualiter, ac supersubstantialiter ad cognitionem ac vnitionem DEI.

Partitionem hanc contemplationis per modos adfirmationis & negationis magno consensu receperunt patres. Et imprimis Basilius subtilissime disputans contra Eunomium ex voce ingenitus argutantem docet, vtriusque conspiratione ad DEI notitiam perueniri. lib. 1. contra Eunomi.

Eorũ, inquit, quæ de DEO dicuntur nomina, hæc quidẽ quæ insunt: illa v. quæ non insunt DEO significãt. Nã ex his duob. negatione videl. eorum, quæ absunt, & eorum quæ insunt confessione quasi quidam character DEI nobis imprimitur. Vt puta, cum incorruptibilem nuncupamus, nobis ipsis vel audientibus dicere videmur, corruptioni DEVM subjacere non posse. Et cum inuisibilem quod non suspiceris oculorum ipsum sensu comprehendi: quando vero immortalem; quod non putes mortem vnquam posse DEO accidere. Simili ergo modo cum etiam ingenitum: quod à nulla causa, à nullaque origine esse DEI dependere arbitreris.

Propius ad Dionysij phrasim accedit eius interpres Joannes Cyparissiotus Decade IIa capit. 1. Vbi idcirco duplicem statuit Theologiam demonstratiuam: vnam, quæ adfirmanter, & ex effectis inducitur: alteram, quæ neganter & priuatiue: spectat nimirum à Dionysio doctus duplicem cognoscendi DEVM viam. De quibus etiam Augustinus, Cyprianus, Ioannes Damascenus, quorum verba postea excutiemus.

## TERTIA DISQVISITIO. Scholasticorum de duplici Contemplationis modo iudicium.

NOn vno loco S. Thomas de hoc agit, & nunquam non commendat, suamque inde doctrinam stabilit. P. P. quæst. 13. art. 2. disquirens: vtrum aliquod nomen dicatur de DEO substantialiter, duplicis generis nomina producit. Alia enim dicuntur de Deo negatiue, & hæc

hæc significant remotionem alicuius ab ipso: alia adfirmatiue, quæ diuinam substantiam significant, vel aliquam illius perfectionem à substantia tamen non diuersam, quamuis à nobis per modum accidentis concipiatur. Legendus eadem quæst. art. 12. & 11. Sdæ. quæ. 8. art. 7. in 3. Dist. 34. q. 1. art. 4. in corp. & Dist. 35. quæst. 11. art. 11. q. 2.

FVSIVS S. Bonauentura opusculo de paruo bono parte III. circa finem vbi ita disputat. Nota, quod aspectus veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia, & hæc sunt Mysteria summæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea: & hoc dupliciter: vel per positionem, vel per ablationem. Primum ponit Augustinus secundum Dionysium. Per positionem primo intelligimus in diuinis esse quædam vt communia: quædam vt propria: quædam vt appropriata: quædam sunt media inter hæc & illa.

Intellige ergo & contemplare si potes circa DEVM communia: & vide, quoniam DEVS est essentia prima, natura perfecta, vita beata: quæ necessariam habent consequentiam. Iterum intende, & vide, si potes; quoniam DEVS est æternitas præsens, simplicitas replens, stabilitas mouens: quæ similiter consequentiam habent, & connexionem naturalem. Postremo, attende & vide, quoniam DEVS est lux inaccessibilis, mens inuariabilis, pax incomprehensibilis. Quæ non tantum essentiæ vnitatem: sed etiam includunt perfectissimam Trinitatem, quæ sunt propria diuinarum personarum.

Deinde, paucis interiectis. Sunt in diuinis appropriata secundum triplicem differentiam. Prima appropriata sunt, vnitas, veritas, bonitas. Attribuitur Vnitas patri, quia origo: Veritas filio, quia imago: Bonitas Spiritui sancto, quia connexio. Secunda appropriata sunt potestas, sapientia & voluntas. Attribuitur potestas patri, quia est principium: sapientia, filio: quia est verbum: voluntas Spiritui sancto, quia est donum. Tertia appropriata sunt, altitudo, pulchritudo, & dulcedo.

Hæc est erectio, inquit Bonauentura, per viam adfirmationis: subiungit deinde alteram per viam negationis, qua DEVS cognoscitur, vt supersensibilis, superimaginabilis, superintelligibilis.

Ex hoc duplici contemplationis modo distinguunt Theologi duplicia Dei attributa seu Prædicata, quorum alia sunt positiua, seu adfirmatiua: alia negatiua. Quam partitionem explicant passim S. Thomæ Interpretes P. P. ad quæstion. III. & Francisc. Suarez libr. 1. de DEO cap. 9.

## QVARTA DISQVISITIO. Quod sit fundamentum duplicis huiusmodi DEVM contemplandi ex parte nostra?

RESPONDEO. In hominibus esse imperfectionem intelligendi. Quia enim dum adhuc in via agimus, essentiam diuinam clare & intuitiue absque medio non videmus: neque illius conceptum proprium absque relatione aliqua ad creaturas formare possumus: fit, vt cum DEVM contemplamur illum instar entis alicuius perfecti, sed nobis noti, ideoq; creati concipiamus. Sed quia creatis perfectionibus omnibus adhęret imperfectio aliqua, dum hanc, & omnes alias remouemus, vt DEO pura puta tribuatur perfectio, per negationes, & remotiones in Dei notitiam adsurgimus.

## QVINTA DISQVISITIO. Quod sit ex parte Dei fundamentum duplicis huius contemplationis?

RESPOND. Esse infinitatem. Siquidem, cum DEVS ex omni parte, absque vlla limitatione sit infinitus, continet in se, quicquid perfectionis esse, vel cogitari potest: eas quidem quæ nullam imperfectionem in suo conceptu inuoluunt, *Formaliter*: eas vero quæ ab imperfectione præscindi non possunt, eminenter. Hinc consequitur, vt omnia de DEO adfirmentur: & omnia, certo quodammodo de eodem negentur. Prior modus contemplationi per positionem deseruit: posterior ad alterum genus per remotionem pertinet.

Est hæc doctrina Dionysij Areopagitæ, á quo illam acceperunt Mystici. Insumitur fere adhoc declarandum totum caput primum de diuinis nominibus: in quo inter cetera sunt ista digna consideratione. Siqua in re sapientissimæ, verissimæque Theologiæ fides habenda est, profecto diuina, pro cuiusque mentis captu & enunciantur, & videntur: dum diuina bonitas ab iis quorum mensura definita est, iustitia seruatrice immensitatem, vt quæ capi non possit, quemadmodum DEO dignum est secernit. Vt enim neque ea, quæ ratione intelliguntur, ab iis, quæ sub sensum cadunt, comprehendi cernique possunt: nec ab iis, quæ ficta, figurataque sunt simplicia, & non figurata: nec ab ijs, quæ corporeis figuris efficta sunt, eorum, quæ corpore vacant, formæ vacuitas, quę nec tractari, nec figurari potest. Sic & essentias vincit, ac superat, quæ termino caret, immensitas: & mentes, quæ mente superior est vnitas: & vnum, quod cogitationem

nem superat, incogitationem nullam cadere: & bonum, quod orationem vincit, nulla ratione exprimi potest. Vnitas vnitatis omnis effectrix: Essentia essentiâ superior: & mens, quæ mente concipi nequit: & verbum, quod exprimi non potest: verbi, intelligentiæ, nominisque vacuitas, & priuatio, quæ nullo modo est, quo ea quæ sunt. Causa quidem est, cur sint omnia; sed ipsa non est, cum essentia omni sit superior, atque vt ipsa de se proprie, ac scienter enunciauerit.

Mox docet per adfirmationem Deo tribui, quicquid fere in rebus creatis cernitur, aut intelligitur: idque in scripturis-sanctis. Nam dicunt, Devm esse Causam omnium, Principium, Essentiam, ac vitam. Et eorum quidẽ, qui à se decidunt, reuocationem, atq; restitutionem: eorum autem, qui in id, quod diuinæ similitudinis corrumpendæ vim habet, delapsi sunt, renouationem, & reformationem: eorum vero, quæ immundo, impuroque aliquo motu fluctuant, sacram confirmationem: eorum, qui stant, securitatem: eorum, qui ad se contendunt, deductionem extenta manu. Eorum, qui illustrantur, lumen. Eorum, qui perficiuntur, perficiendi principium. Eorum, qui Diuinitatis fiunt participes, Diuinitatis principium. Eorum, qui simplices fiunt, simplicitatem. Eorum, qui coniunguntur, vnumque fiunt, coniunctionem, & vnitatem. Omnis principij singulari ratione principio superius principium: occulti, quatenus licet, boni communicatricem. Denique, eorum, qui viuunt, vitam: eorum, qui sunt, essentiam: vitæ omnis, essentiæque & principium & caussam. *Adfirmationes de Deo.*

Pluribus id deinde exequitur. tandemque monet cum Diuinitas nullo nomine satis explicari appellariue possit, veniendum tandem eo, vt Angelorum imitatione, quo ad eius fieri potest, diuinæ mentes (ita vocat Mystica Contemplationi deditos) post mentalis omnis actionis cessationem, summam lucem maxime propriis laudibus afficiant, Omnivm, quæ sunt Detractione. Sciunt etenim Lucem illam diuinam Caussam quidem esse eorum, quæ sunt, omnium: eorum autem nihil esse, vt quæ singulari ratione secreta sit ab omnibus. Quod cum intelligerent Theologi, inquit Dionysius, eam & vt nomine vacantem laudant: & ex omni nomine.

Vt vacantem quidem nomine, velut, cum aiunt Diuinitatem ipsam in vna Mysticarum Symbolicæ diuinæ demonstrationis visionum obiurgasse eum, qui interrogabat: Quo appellaris nomine? & quasi eum ab omni Dei nominis cognitione abducentem dixisse: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile. An non nomen hoc vere, planeque mirabile est, quod omne nomen superat? quod va- *Devs nomine vacans.* *Genes. 32. 29.*

car

cat nomine, quod super omne nomen, quod nominatur: siue in hoc seculo, siue in futuro, tanquam fundamento collocatum eminet?

Deum multinomium. Rursus vero, vt multis nominibus appellatam laudant scripturæ: vt cum inducunt dicentem. Ego sum, qui sum: IEHOVA, ADONAI, Vita, Lux, DEVS, veritas. Et cum Theologi omnium Caussam, & Auctorem multis nominibus ex effectibus omnibus laudant: vt Bonum, vt Pulcrum, vt Sapientem, vt Diligendum, vt DEVM-DEORVM, vt Dominum-Dominorum, vt Sanctum-Sanctorum, vt Æternum, vt eum, qui est, vt Auctorem seculorum, vt Largitorem vitæ, vt Sapientiam, vt Mentem, vt Verbum, vt Cognitorem, vt qui eminenter habet thesauros vniuersæ scientiæ: vt Vim, vt Potentem, vt Regē-Regnantiū: vt Antiquū dierū: vt, Qui in senectutē compelli non potest, quippe Immutabilē: vt salutē, iustitiā, sanctificationē, redemptionem: vt eum, Qui omnibus magnitudine antecellit: vt in aura tenui, Quin etiam in mentibus eum inesse dicunt, & in animis, atq; in corporibus: & in cælo esse, atque in terra, ac simul in seipso. Eundem in mundo esse, circum mundum, supramundum, supra cælum, superiorem essentia. Solem, Stellam, Ignem, Aquam, Spiritum, Rorem, Nebulam, Lapidem, Petram. Denique, omnia esse quæ sunt: & nihil eorum, quæ sunt. Sic ergo Causæ omnium, & quæ omnia superat, tum nomen nullum conueniet: tum omnia eorum, quæ sunt, nomina.

Tractat idem argumentum Dionysius cap. XIII. de diuinis nominibus, demonstrans, ex omnimoda DEI perfectione oriri, vt omnia quadantenus de illo adfirmentur, vicissimque remoueantur. *Perfectus enim est, non solum, quod per se perfectus sit* (inquit) *& à se vno modo, æqualiterque definiatur, ac totus per omnia sit perfectissimus.* (Quæ affirmationis est causa) *verum etiam, quod perfectionem superet, vt qui omnibus antecellat, ac omnem infinitatem determinet, & vltra omnem terminum explicatus sit: nec ab vllo capiatur, aut comprehendatur: sed ad omnia, & vltra omnia pertineat perpetuis progressionibus, interminatisque actionib.* (Quod negationis, remotionisue est fundamentum) Idem insinuat S. Dionysius lib. de Mystica Theolog. cap. 4. & 5. ex eoque Patres alii, quos postea nominabimus.

SEXTA

## SEXTA DISQVISITIO. Quomodo se habeat contemplans per adfirmationem: Quomodo is, qui per negationem.

RESP. Mystici vt diuersum hunc contemplandi modum oculis subiiciant vtuntur symbolo duplicis artificis, dispari modo effigiem aliquam formantis. Pictorem illi, & Sculptorem nominant. Vtriq; propositum est Imperatorem repræsentare, statua Sculptor: imagine Pictor. Hic autem artificiose faciem, ac totius lineamenta corporis exprimit additione. Nimirum, in ligno, lapide, aut tela colores coloribus tam diu, ac morose copulat, & adiungit donec imaginem perfecerit. Contrarium facit Sculptor, qui malleo, scalpro aliisq; instrumentis paullatim demit hinc inde quidpiam donec tandem omnibus perfectum partibus simulacrum prodeat.

Hoc fere modo, qui contemplatur, & ad DEVM conscendere nititur affirmationis itinere, pingit assidue, conceptum in animo efformans veluti icona, è rerum creatarum perfectionibus variis, tanquam coloribus. Concipit igitur, & concipiendo adfirmat DEVM sapientem, iustum, bonum, misericordem, simplicem, beatum: denique talem, quo maius & melius excogitari nihil potest. Alter vero Sculptorem agit: Cum enim non ignoret DEVM nec perfectione vlla creata, nec omnium aggregatione satis repræsentari posse: & infinito quodam interuallo vniuersis esse superiorem, remouet ab eo quicquid in creatis cernitur, vt sic tandem sublimiorem cunctis sensibilibus, intelligibilibusque formam effingat. Atque ita sano sensu negat DEVM esse ens, vitam, sapientiam, potentiam, bonitatem, aut quidpiam aliorum, quæ in oculos incurrunt, vel sensu aliquo percipiunt. Nam reuera non est DEVS horum aliquid eo, quo à nobis modo concipitur. Habet hoc de Sculptore exemplum Areopagita ca. II. de Theologia Mystica: & ex eo Ioan. Gerson opusculo de ead. Theologia: Dionysius Carthusianus commentario in Areopagitam: Iacobus Aluarez de Paz tom. III. li. 5. par. 1. apparatu III. cap. 3. Thomas de IESV lib. 5. de contemplatione diuina capit. 8. Ludouicus de Ponte in parte posteriore Ducis spiritualis tractatu III. cap. 4.

## Septima Disqvisitio. An omnis contemplationis varietas ad duplicem positionis & remotionis reuocari possit?

Resp. Si vniuersè consideretur positio & remotio cum se habeāt, vel vt primo contraria vel vt contradictoria, nullum esse contemplandi modum, qui sub alterutro non comprehendatur. Nam qui Devm concipit, cum nonnisi per scalas rerum creatarum ad eū possit conscendere, aut per analogiam ad creaturas illum concipere, necesse est, vt vel adfirmet de illo quidpiam, quod in creatis agnoscit, vel neget. Porro vt varia sunt quæ adfirmantur, vel negantur: ita multiplex esse potest contemplationis subdiuisio.

## Octava Disqvisitio. An binis contemplationum generibus addi debeat, *contemplatio ex causa*, & contemplatio *per excessum*, siue *eminentiam?*

S. Thomas exponens caput 7. Dionysii de diuinis nominibus ex verbis Areopagitæ deducit tres modos Devm cognoscendi, siue contemplandi. *Primus* est secundum rationem causæ. Quando nimirum, quæcumque in rerum natura conspiciuntur, tanquam effectus Dei, ceu primæ causæ considerantur. *Secundus*, per *excessum*, siue *præstantiam*, quem indicant vocabula ex præpositione *super*, & nomine substantiuo, vel adiectiuo composita: quæ apud Mysticos sunt vsitatissima: quibus perquam familiare est Devm vocare *super-sapientem, super-omnipotentem, super-substantialem*. Iuxta quem contemplandi modum Boetius libr. de Trinitate, dicit, Devm non esse substantiam: sed super-substantiam. *Tertius* est per negationem seu ablationem rerum, quas cernimus, aut intelligimus. Continentur sane hi tres modi verbis Dionysii, quibus ita sententiam suam effert: *Id, quod omnia superat via & ordine, pro virili parte, omnium detractione, & præstantia, omniumque causa ascendimus. Itaque in omnibus* Devs *noscitur, & sine omnibus: Scientiaque* Devs *noscitur, & ignoratione*. Verum, satis constat, contemplationem secundum rationem causæ, ad eam, quæ fit per adfirmationem: contemplationem autem, per excessum, seu præstantiam ad alterum membrum: quod per negationem, & ablationem conficitur, reduci.

Nona

NONA DISQVISITIO. An modus contemplandi per adfirmationem, ſit contrarius modo contemplandi per negationem?

VIderi id poſſet, cum diuiſio illa deſumatur ex oppoſitione membrorum, ideoque ſit adæquata. At enim, licet adfirmatio & negatio eiuſdem de eodem, ſecundum eandem rationem, ſint oppoſita: tamen ſi ſecundum diuerſas formalitates conſiderentur, contrarietatem non includunt, ſed belle conueniunt, vt hic accidit. Quod monet Dionyſius, aſſerens, tam adfirmatione, quam negatione, eandem de DEO perfectionem prædicari. Nam Exemp. C. cum DEO ſapientiam ineſſe dicimus, & ſapientem eum pronunciamus, perfectionem illi tribuimus, qua ſe & omnia alia altiſſimo quodam modo cognoſcit. Quando autem ab eodem, ſapientiam, negando, remouemus, limitationem quandam, & modum minus nobilem & excellentem, quam ſummo Enti conueniat, tollimus: atque ita eandem perfectionem per excellentiam eidem adſcribimus.

## EXERCITATIO II.

## QVOMODO SIT FORMANDA CONtemplatio Myſtica per Adfirmationem.

PRIMA DISQVISITIO. Quæ-nam in Contemplatione Myſtica de DEO adfirmentur?

RESPOND. Omnia quæ à Theologis dicuntur eſſe in DEO Formaliter, vel eminenter. Sunt autem Formaliter in DEO, quæ ita dicunt perfectionem, vt nullam includant in ſe imperfectionem: nec excludant ab eo, in quo ſunt aliam perfectionem; quæ idcirco à Scholaſticis nominantur Perfectiones ſimpliciter ſimplices. Sic in abſtracto dicitur DEVS Sapientia, Potentia, Bonitas, Veritas, Lux, Sanctitas, Iuſtitia, Miſericordia, Vita, Perfectio, Pulchritudo. E quibus plurima per modum definitionis de DEO enunciat S. Bernardus lib. 5. de Conſideratione multis capitibus.

Capite 11. Quid eſt DEVS? Quod ad vniuerſum ſpectat, Finis. Quod ad electionem, ſalus. Quod ad ſe, ipſe nouit. Quid eſt DEVS?

Voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, Lumen æternum, incommutabilis Ratio, summa Beatitudo: creans mentes ad se participandum, viuificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum: accendens ad zelum: fæcundans ad fructum: dirigens ad æquitatem: formans ad beneuolentiam: moderans ad sapientiam: roborans ad virtutem: visitans ad consolationem: illuminans ad cognitionem: perpetuans ad immortalitatem: implens ad felicitatem: circumdans ad securitatẽ.

Cap. 5. Sicut Anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus gustat, tangit in toto reliquo corpore. Sic DEVS diuersa in diuersis spiritibus operatur. In aliis amantẽ se exhibens, in aliis agnoscentem, in aliis alia facientem, sicut vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Et DEVS amat vt Caritas, nouit, vt Veritas, sedet vt Æquitas, dominatur vt Maiestas, regit vt Principiũ, tuetur vt Salus, operatur, vt Virtus, reuelat vt Lux, assistit, vt Pietas.

Iterat cap. 6. Quid est DEVS? & Respondet: sine quo nihil est. Tam enim nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodãmodo solus est ipse, qui sui ipsius est & omnium esse. Quid est DEVS? Principium. Multa in rebus dicuntur Principia, sed respectu posteriorum: alioquin si aliquid præcedens respicias, ipsum potius Principium dabis. Principium sine principio DEVS est. A quo vniuersum cæpit, ipsum profecto minime cæpit: nec ab vllo cæpit. Quid est DEVS? Cui secula non accesserunt, nec decesserunt, nec coæterna tamen. Quid est DEVS? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium auctorem, atque alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco: sed quasi in virtute. Ex quo omnia tanquam vno principio, auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur Principium Artifex. In quo omnia, ne tertium inducatur. Locus. Pluribus id illustrat Bernardus.

Tandemque repetit cap. 7. Quid est DEVS? Quo nihil melius cogitari potest. Ideoque Purus, Simplex, Integer, Perfectus, Constans sibi: nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se: nihil ex se deponens in eis: non habens, quod ad numerum diuidat, non quæ colligat ad vnũ. Vnũ quippe est, non vnitum: non partibus cõstat vt corpus: nõ adfectibus distat, vt anima: non formis substat, vt omne quod factũ est: Sed neque formæ. Ipse sibi forma, ipsa sibi essentia est. Non est formatus DEVS: forma est. Non est adfectus DEVS, adfectio est. Non est compositus DEVS: merum simplex est.

Pergit Mysticus Contemplator. Forte substomacharis, si porro quæra-

quæramus, Quid est DEVS? tum quia toties iam quæsitum est, tum quia diffidis inuentum iri. Verum, dico tibi: solus est DEVS, qui frustra nunquam quæri potest, nec cum inueniri non potest. Experto crede, qui suauiter cantillabat: Bonus es Domine sperantibus in te: animæ quærenti Te. *Cap. 11.* *Thren. 3.*

Quid ergo est DEVS? Non minus pœna peruersorum, quam humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio inconuertibilis, atque indeclinabilis, quippe attingens vbique cui illisa omnis prauitas conturbetur necesse est. Est & turpium pœna DEVS. Lux est enim. Et quid tam inuisum obscænis flagitiosisque mentibus? *Cap. 12.*

Quid est DEVS? Longitudo, Latitudo, Sublimitas, & Profundum. Quid DEVS? Longitudo. Quid ipsa? Æternitas: hæc tam longa, vt non habeat terminum, non magis loci, quam temporis. Est & latitudo: & ipsa quid? charitas. Quibus & ista terminis angustetur in DEO, qui nihil odit eorum, quæ fecerit. DEVS æternitas. DEVS charitas est: longitudo sine protensione: latitudo sine distensione. Quid item DEVS? sublimitas & profundum: in altero supra omnia: in altero infra omnia. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! O Sapientia potens attingens vtique fortiter! O Potentia sapiens disponens omnia suauiter! Res vna & affectus multiplex, operationesque diuersæ. Et illa vna res est longitudo propter æternitatem: latitudo propter caritatem: sublimitas propter maiestatem: profunditas propter sapientiam.

Quod de his nominibus, & rerum conceptibus dicitur, de alijs æque adfirmari potest; nisi sint aliqua, quæ ob intrinsecam & in ipsa significatione inuolutam imperfectionem DEO decore adscribi non possunt. Hoc certum est, rerum omnium genera, species ac indiuidua in DEO esse secundum rationes æternas, seminales ac ideales: ideoque DEVM esse quodammodo omnia ac singula, eminenter saltem ac superessentialiter: Vt vere eleganterque Nazianzenus DEVM appellet: Πέλαγος οὐσίας ἄπειρόν τε καὶ ἀόριστον, *Pelagus essentiæ infinitum, ac interminatum.* Atque ob eandem rationem dictus fuisse putatur τὸ πᾶν *Vniuersum*: vt demonstrat Eugubinus lib. 111. Philosophiæ perennis: quoniam vniuersa quæ aliquod esse habent, amplissimo quasi diuinitatis sinu continet. An idcirco fortasse in oraculo *Magnus Pan mortuus est*: quod legis apud Plutarchum lib. de Oraculor. defectu, CHRISTVS est vocatus *Magnus Pan?* nempe, Dominus omnium & perfectionum cunctarum fons & conceptaculum; qua DEVS. *Nazianz. Orat. in Natalitia.*

Voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, Lumen æternum, incommutabilis Ratio, summa Beatitudo: creans mentes ad se participandum, viuificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum: accendens ad zelum: fæcundans ad fructum: dirigens ad æquitatem: formans ad beneuolentiam: moderans ad sapientiam: roborans ad virtutem: visitans ad consolationem: illuminans ad cognitionem: perpetuans ad immortalitatem: implens ad felicitatem: circumdans ad securitatē.

Cap. 5. Sicut Anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in natibus, in faucibus gustat, tangit in toto reliquo corpore. Sic DEVS diuersa in diuersis spiritibus operatur. In aliis amantē se exhibens, in aliis agnoscentem, in aliis alia facientem, sicut vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Et DEVS amat vt Caritas, nouit, vt Veritas, sedet vt Æquitas, dominatur vt Maiestas, regit vt Principiū, tuetur vt Salus, operatur, vt Virtus, reuelat vt Lux, assistit, vt Pietas.

Iterat cap. 6. Quid est DEVS? & Respondet: sine quo nihil est. Tam enim nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodāmodo solus est ipse, qui sui ipsius est & omnium esse. Quid est DEVS? Principium. Multa in rebus dicunrur Principia, sed respectu posteriorum: alioquin si aliquid præcedens respicias, ipsum potius Principium dabis. Principium sine principio DEVS est. A quo vniuersum cæpit, ipsum profecto minime cæpit: nec ab vllo cæpit. Quid est DEVS? Cui secula non accesserunt, nec decesserunt, nec coæterna tamen. Quid est DEVS? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium auctorem, atque alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco: sed quasi in virtute. Ex quo omnia tanquam vno principio, auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur Principium Artifex. In quo omnia, ne tertium inducatur. Locus. Pluribus id illustrat Bernardus.

Tandemque repetit cap. 7. Quid est DEVS? Quo nihil melius cogitari potest. Ideoque Purus, Simplex, Integer, Perfectus, Constans sibi: nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se: nihil ex se deponens in eis: non habens, quod ad numerum diuidat, non quæ colligat ad vnū. Vnū quippe est, non vnitum: non partibus cōstat vt corpus: nō adfectibus distat, vt anima: non formis substat, vt omne quod factū est: Sed neque formæ. Ipse sibi forma, ipsa sibi essentia est. Non est formatus DEVS: forma est. Non est adfectus DEVS, adfectio est. Non est compositus DEVS: merum simplex est.

Pergit Mysticus Contemplator. Forte substomacharis, si porro

quæra-

quæramus, Quid est DEVS? tum quia toties iam quæsitum est, tum *Cap. 11.* quia diffidis inuentum iri. Verum, dico tibi: solus est DEVS, qui frustra nunquam quæri potest, nec cum inueniri non potest. Experto crede, qui suauiter cantillabat: Bonus es Domine sperantibus in te: animæ quærenti Te. *Thren. 3.*

Quid ergo est DEVS? Non minus pœna peruersorum, quam *Cap. 12.* humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio inconuertibilis, atque indeclinabilis, quippe attingens vbique cui illisa omnis prauitas conturbetur necesse est. Est & turpium pœna DEVS. Lux est enim. Et quid tam inuisum obscænis flagitiosisque mentibus?

Quid est DEVS? Longitudo, Latitudo, Sublimitas, & Profundum. Quid DEVS? Longitudo. Quid ipsa? Æternitas: hæc tam longa, vt non habeat terminum, non magis loci, quam temporis. Est & latitudo: & ipsa quid? charitas. Quibus & ista terminis angustetur in DEO, qui nihil odit eorum, quæ fecerit. DEVS æternitas. DEVS charitas est: longitudo sine protensione: latitudo sine distensione. Quid item DEVS? sublimitas & profundum: in altero supra omnia: in altero infra omnia. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! O Sapientia potens attingens vtrique fortiter! O Potentia sapiens disponens omnia suauiter! Res vna & affectus multiplex, operationesque diuersæ. Et illa vna res est longitudo propter æternitatem: latitudo propter caritatem: sublimitas propter maiestatem: profunditas propter sapientiam.

Quod de his nominibus, & rerum conceptibus dicitur, de alijs æque adfirmari potest; nisi sint aliqua, quæ ob intrinsecam & in ipsa significatione inuolutam imperfectionem DEO decore adscribi non possunt. Hoc certum est, rerum omnium genera, species ac indiuidua in DEO esse secundum rationes æternas, seminales ac ideales: ideoque DEVM esse quodammodo omnia ac singula, eminenter saltem ac superessentialiter: Vt vere eleganterque Nazianzenus DEVM appellet: Πέλαγος οὐσίας ἄπειρόν τε καὶ ἀόριστον, *Pelagus essentiæ infinitum, ac interminatum.* Atque ob eandem rationem dictus fuisse putatur τὸ πᾶν *Vniuersum:* vt demonstrat Eugubinus lib. 1 ? 1. Philosophiæ perennis: quoniam vniuersa quæ aliquod esse habent, amplissimo quasi diuinitatis sinu continet. An idcirco fortasse in oraculo *Magnus Pan mortuus est*: quod legis apud Plutarchum lib. de Oraculor. defectu, CHRISTVS est vocatus *Magnus Pan?* nempe, Dominus omnium & perfectionum cunctarum fons & conceptaculum; qua DEVS. *Nazianz. Orat. in Natalitia.*

## SECVNDA DISQVISITIO. An omnia, quæ in Contemplatione Mystica per modum Positionis, de DEO adfirmantur, proprie de eo prædicentur?

RESPOND. Nequaquam. Multa enim eo contemplationis genere DEO tribuuntur, quæ nonnisi figurate ac metaphorice de eo enunciari possunt. Talia imprimis sunt omnia quæ symbolice DEO accommodantur. De quib. Dionysius Areopagita in Theologia, quæ in signis versatur se egisse scribit cap. III. de Theologia mystica. *In ea*, inquit, *exposuimus, quæ sint, ab ijs quæ subsensum cadunt ad diuina nominum traductiones: quæ diuinæ formæ: quæ figuræ diuinæ: partes, instrumenta: quæ diuina loca, qui ornatus: qui furores, quæ tristitiæ, iræ: quæ ebrietates, crapulæ: quod iusiurandum: quæ maledictiones: qui somni, quæ vigiliæ: omnesque aliæ efficta formæ, quæ ad diuinam figurationem, significandi causa comparatam pertinent.*

Vniuerse, dum contemplans apprehendit DEVM sub forma alicuius rei creatæ, imperfectæ, diminutæ; vel mentaliter de eo enunciat quidpiam, quod in suo conceptu imperfectionem inuoluit, vt est Pœnitentia, dolor, furor: lapis, rupes, leo & similia sexcenta, nihil quod proprie DEO conueniat, adscribit. Horũ longissimũ catalogum texuimus in volumine de Theologia mystica: & ingrammatico profano commentatione XVII. & XVIII. vbi de SS<sup></sup>tæ Metaphoris. Legendus Augustinus Epist. CXI. & lib. de essentia diuinitatis cap. XIV. & XV. Damascenus lib. I. de fide.

## TERTIA DISQVISITIO. An nihil eorum, quæ in Contemplatione Mystica per modum Positionis de DEO adfirmantur, proprie de eo prædicetur?

OBseruo ex Caietano I. P. quæst. XIII. Art. 3. voculam, *Propriè* sumi posse dupliciter: vno modo, quatenus distinguitur contra *communiter*. Atque ita animal non dicitur proprie de homine, quia dicitur etiam de alijs. Altero modo, quatenus opponitur aduerbio *Metaphorice*, & sic *Animal* dicitur proprie de homine: florere autem non. Proprie enim dici est significatum nominis reperiri in eo de quo dicitur, secundum se, seu secundum definitionem aut significati cõceptum, quem sapientis menti ingerit: Metaphorice est significatum nomi-

nominis inueniri in eo, de quo dicitur secundum suam similitudinem tantum. Disquisitio igitur nostra est de particula *Proprie* vt opponitur *Metaphorice*.

RESPONDEO. In contemplatione per viam positionis multa de DEO proprie enunciari. Quis neget DEVM concipi, & dici proprie sapientem, bonum, omnipotentem? Verum non secundum omnem modum nominis, aut conceptus, est proprietas. Quapropter recte animadvertit S. Thomas P. P. qu. XIII. Art. 3. In nominibus quæ DEO tribuuntur, esse duo: perfectionem significatam, & modum significandi. Cum enim perfectiones procedentes in creaturas à DEO sint eminentiori modo in DEO, quam in creaturis, necessario habent in se perfectionem ipsam, & modum proprium essendi. Itaque conceptus, quos de DEO formamus, proportionaliter duo continent: nimirum, rem conceptam ac modum concipiendi. Ex quo consequitur, nomina DEO attribui solita, duo etiam designare: nempe, rem significatam, & modũ significandi. Est enim omnino in confesso: quod DEVS ab hominibus cognoscatur per illas perfectiones non quomodolibet, sed quatenus sunt in creaturis: ita vt modus essendi effectus, siue perfectionis deriuetur ad modum concipiendi nostrum secundum proportionem. Quo fit vt conceptus de DEO in duo distinguatur: nimirum, in rem conceptam, & modum, non rei conceptæ, sed ipsius conceptus. quod vtrumque nomen exprimens perfectionem indicat.

Si igitur spectetur id quod significatur conceptibus, ac nominibus DEVM exprimentibus proprie competunt DEO, ac magis proprie, quã creaturis: atq; adeo, prius dicũtur de DEO, quã de creaturis. Sic namq; perfectio sapientiæ, bonitatis, vitæ formaliter est in DEO. Si verò attendatur modus significandi, proprie DEO nequaquam conueniunt, quia habent modum significandi proprium creaturarum. In concreto enim significant per modum compositionis, quæ in DEO non reperitur. In abstracto, per modum formæ, quæ imperfectionem inuoluit. Quod si animadvertatur, facile satis fit obiectionibus, quæ contrarium videntur conuincere.

Illud enim quosdam mouere potest. Quod quicquid DEO in Contemplatione per modum adfirmationis tribuitur, accipiatur à creaturis, ac proinde illi respondet nomen significans aliquam perfectionem creaturarum. Nomina autem creaturarum metaphorice dicuntur de DEO, vt cum dicitur, DEVS est lapis, Leo, Oceanus.

Huic obiectioni satis fit distinctiuncula, quæ est huiusmodi. Nomina quædam perfectionem creatam significantia, ita illam ex-

primunt,

primunt, vt etiam in significato suo formali inuoluant modum participandi illam perfectionem, valde imperfectum, ita lapis V. C. ita significat participatam perfectionem, vt materialitatem quoque necessario includat. Hæc vero non nisi metaphorice de Deo adfirmantur: Alia significant perfectiones absolute absque eo, quod modus participandi includatur in eorum significatione. V. C. Sapientia, quę licet sit qualitas quatenus est in creaturis: tamen illam non significat nisi ratione materiæ: ex formali enim & quasi proprio significato nec qualitatem, nec habitum, nec quidpiam simile insinuat: sed tantum rationem ordinandi, iudicandi, regendi: quæ tam potest esse substantia, quam accidens, tam actus, quam habitus. Istiusmodi autem nomina & conceptus ijs respondentes de Deo dicuntur proprie. Quia simpliciter nomen proprium dicitur ex re quam significat, non ex modo significandi adiuncto materialiter.

Eodem modo, nomina corporum, vel rerum corporalium, si includant conditiones corporales in ipso nominis significato, non nisi metaphore adfirmantur de Deo: si vero tantum quo ad modum significandi proprie possunt Deo tribui. Ex quibus constat in Contemplatione per viam positionis nonnulla de Deo proprie adfirmari. Vt enim bene scribit Ambrosius: Sunt quædam nomina, quæ euidenter proprietatem Diuinitatis ostendunt, & quædam, quæ perspicuam diuinæ maiestatis exprimunt veritatem: alia vero sunt, quæ translatiue per similitudinem de Deo dicuntur.

Ambros. lib. 2. de Fide.

## QVARTA DISQVISITIO. An, quæ in Contemplatione per adfirmationem de Deo dicuntur improprie, alias perfectiones significent, quam quæ proprie de eodem adfirmantur.

RESPONDEO. Negatiue. Nam eędem perfectiones per diuersa licet signa significantur. Cum enim significata vocum tropicarum in Deo non sint, si quidem res secundum se considerentur: neque sub ea ratione voces Deo tribuantur, sed sub ratione metaphorica, per quam transferuntur ad significandum, quod in Deo proprie reperitur: non possunt sane aliam perfectionem significare, quam quæ per nomina propria exprimitur.

QVIN-

## QVINTA DISQVISITIO. An, quæ in Contemplatione per viam Positionis concipiuntur in DEO potius ab illo quidpiam remoueant, quam illi tribuant?

FVit olim quorundam opinio: nomina & attributa quæ videntur dici affirmatiue de DEO, magis esse ad aliquid remouendum à DEO, quam ad aliquid ponendum in ipso. Ita docuisse Rabbi Mosen refert S. Thomas 1. P. quæst. 13. art. 2. & in 1. Dist. 11. quæst. 1. art. 3. vbi etiam nominat Auicennam. lib. de Intell. ca. 1. Existimabant isti: cum DEVS apprehenditur, aut dicitur viuere, ac vita, tantum significari non ita se habere sicut res inanimes: cum vocatur substantia, indicari, quod non sit sicut accidens. Addunt aliqui. Perfectiones istas conuenire DEO Negatiue bifariam. *Primo*: ad remouendum priuationem, seu defectum oppositum. Deus est sapiens: id est; in eo non est malum insipientiæ. *Secundo* prout ex negatione relinquitur, seu consequitur aliquid, vt ex hoc quod quis dicitur immaterialis, relinquitur, quod quis sit intelligens.

Hoc falsum esse constat. Siquidem ex eo sequeretur, quod æque proprie dici posset corpus, ac substantia: nimirum, ad significandum non esse ens in potentia, quale est materia prima. Imo apprehendi posset, vt materia prima, & hæc de eo adfirmari ad significandum, non esse omnino nihil. Quod si concedatur, inducetur nominum rerumque admiranda confusio, & tolletur loquutionum omnis proprietas. Itaque alij existimarunt, quæ de DEO adfirmantur, tribui illi secundum caussalitatem, per habitudinem ad creata: vt, cum dicimus, DEVS est bonus: sensus sit; DEVS est caussa bonitatis in rebus. DEVS est sapiens, quia caussat sapientiam: idem est de ceteris iudicium. Modum etiam Caussalitatis dupliciter exponunt aliqui. *Primo*: quia DEVS caussat perfectiones eiusdem denominationis in Creaturis. *Secundo*: quia ad modũ creaturæ se habet. Vt cum dicitur volens, & pius: idem sit, quod instar volentis ac pij se habet. Quo intellectu etiam dicimus iratum, furentem, crapulatum. Male & erronee. Nam *Primo*, hac ratione non posset adsignari ratio, quare quædam nomina magis de DEO enunciarentur, quam alia: sic enim DEVS est caussa corporum, sicut est caussa bonorum, vel sapientiæ: itaque poterit dici DEVS corpus, sicut sapiens. *Secundo*: Cum de DEO adfirmatur, quod amet homines, quod sciat omnia, quod eligat certos ad gloriam: certe aliud quid significatur, quã DEVM esse au-

ctorem amoris, scientiæ, electionis in creaturis. *Tertio:* ex eo consequeretur in DEO non esse proprie verbum, Amorem, processionem intellectus, ac voluntatis, quæ sunt omnino erronea. *Quarto*, vt argumentatur S. Thomas, ex eo liceret inferre: omnia quæ de DEO adfirmantur prius conuenire creaturæ ac de illa dici. Omne enim nomen prius dicitur de eo, de quo dicitur formaliter, quā de quo caussaliter vel alio quolibet modo. Sic animal dicitur prius sanum, quā medicina, quæ est caussa sanitatis. *Quinto*: modus ille explicandi conceptiones adfirmatiuas de DEO peruertit intentionem sacræ scripturæ, & auctorum de DEO loquentiū: qui dum asserunt DEVM viuere, aliud omnino diuersum significare volunt, quam illum esse causam vitæ nostræ: vel differre à corporibus inanimatis.

RESPONDEO igitur Contemplationis adfirmatiuæ conceptus non remouere à DEO alia, sed rē significatā DEO vere tribuere. Dum .n. DEVS apprehenditur vt bonus, vel bonitas, non remouetur à DEO formaliter malitia, nec datur illi ratio causæ respectu bonitatis creatæ: sed id q. primario nomine bonitatis significatur DEO adseritur.

## SEXTA DISQVISITIO. An quæcumque in Contemplatione per viam adfirmationis DEO tribuuntur, substantiam Diuinitatis designent & significent.

RESPONDEO: Adfirmate. Docet id S. Thomas 1. P. quæst. 13. art. 2. de nominibus perfectiones & attributa DEI proprie exprimentibus. Huiusmodi, inquit, nomina significant substantiam diuinam, & prædicantur de DEO substantialiter, licet deficiant à repræsentatione illius. Quod patet: quia nomina significant DEVM, secundum quod intellectus noster ipsum cognoscit. Intellectus autem noster cum cognoscat DEVM ex creaturis, sic cognoscit prout creaturæ ipsum repræsentant. Quælibet autem creatura eatenus DEVM repræsentat, & est illi similis, quatenus habet participatam quandam perfectionem Dei tanquam principij excellentissimi, à cuius forma effectus deficiunt, licet aliquam similitudinem habeant. Quo pacto formæ inferiorum corporum repræsentant virtutem solarem. Nomina igitur & conceptus omnes nostri substantiam quidem Dei significant, imperfecte tamen, sicut creaturæ imperfecte repræsentant. Nullum equidem est nomen, nulla conceptio, quæ DEVM perfecte prout in seipso est possit exprimere.

Quod de significatione substantiæ diximus expresse docuit S. Augusti-

Augustinus lib.7.de Trinit. cap.1. & lib.6.cap.4. DEO, inquit, *hoc est esse, quod fortem esse, vel sapientem esse, & si quid de illa simplicitate dixeris, qua eius substantia significatur.* Et lib.6. cap.7. DEVS *multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quicquid aliud non indigne dici videtur. Sed eadem magnitudo eius est, qua sapientia (non enim mole magnus, sed virtute) & eadem bonitas, qua sapientia & magnitudo: & eadem veritas, qua illa omnia, & non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Sæpe autem eadem alibi S. Augustinus inculcat.

Versatur in eodem argumento S. Anselmus libro, quem inscribit Monologium: vbi cap.15. ostendit, quæcumque diuinitati tribuuntur, non significare qualitatem vel modum: sed substantiam & quidditatem: illam vero esse omnia ea quæ diuersis prædicationibus enunciantur. Quicquid eorum, ait, de illa dicatur, non qualis, vel quanta: sed magis, quid sit monstratur. Sed palam est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulcritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa vnitas.

Ne quis autem diuersitatem in DEO constituat, quia, dum contemplatur, diuersis apprehensionibus DEI perfectiones concipit, monet capit. 16. DEVM esse ista omnia per simplicissimam quandam rationem & considerationem obiectiuam. *Cum* enim *illa natura* (verba sunt Anselmi) *nullo modo composita sit, & tamen omnimodo tot illa bona sit, necesse est, vt omnia illa non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula: vt cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula.* In quo magnum est discrimen inter creata & diuina. Nam vt subiungit Anselmus, *secundum aliud homo est corpus, & secundum aliud est rationale: & singulum horum non est totum, quod homo. Illa ergo summa essentia, nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut considerationem non sit: quia quicquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est.*

Hæc, vbi de simplicitate DEI agunt, rationibus confirmant Scholastici illi, qui nullam, præter rationis distinctionem agnoscunt inter attributa & essentiam diuinam: nec concedunt diuersas rationes formales attributorum ex parte rei distinctas: sed diserte pronunciant: DEVM per idem formaliter esse sapientiam, per quod est bonitas: per idem iustitiam, per quod est misericordia: & quodlibet ho-

O 2 rum

ctotem amoris, scientiæ, electionis in creaturis. *Tertio:* ex eo consequeretur in DEO non esse proprie verbum, Amorem, processionem intellectus, ac voluntatis, quæ sunt omnino erronea. *Quarto*, vt argumentatur S. Thomas, ex eo liceret inferre: omnia quæ de DEO adfirmantur prius conuenire creaturæ ac de illa dici. Omne enim nomen prius dicitur de eo, de quo dicitur formaliter, quā de quo caussaliter vel alio quolibet modo. Sic animal dicitur prius sanum, quā medicina, quæ est caussa sanitatis. *Quinto:* modus ille explicandi conceptiones adfirmatiuas de DEO peruertit intentionem sacræ scripturæ, & auctorum de DEO loquentiū: qui dum asserunt DEVM viuere, aliud omnino diuersum significare volunt, quam illum esse causam vitæ nostræ: vel differre à corporibus inanimatis.

RESPONDEO igitur Contemplationis adfirmatiuæ conceptus non remouere à DEO alia, sed rē significatā DEO vere tribuere. Dum .n. DEVS apprehenditur vt bonus, vel bonitas, non remouetur à DEO formaliter malitia, nec datur illi ratio causæ respectu bonitatis creatæ: sed id q̃ primario nomine bonitatis significatur DEO adseritur.

## SEXTA DISQVISITIO. An quæcumque in Contemplatione per viam adfirmationis DEO tribuuntur, substantiam Diuinitatis designent & significent.

RESPONDEO: Adfirmate. Docet id S. Thomas 1. P. quæst. 13. art. 2. de nominibus perfectiones & attributa DEI proprie exprimentibus. Huiusmodi, inquit, nomina significanr substantiam diuinam, & prædicantur de DEO substantialiter, licet deficiant à repræsentatione illius. Quod patet: quia nomina significant DEVM, secundum quod intellectus noster ipsum cognoscit. Intellectus autem noster cum cognoscat DEVM ex creaturis, sic cognoscit prout creaturæ ipsum repræsentant. Quælibet autem creatura eatenus DEVM repræsentat, & est illi similis, quatenus habet participatam quandam perfectionem Dei tanquam principij excellentissimi, à cuius forma effectus deficiunt, licet aliquam similitudinem habeant. Quo pacto formæ inferiorum corporum repræsentant virtutem solarem. Nomina igitur & conceptus omnes nostri substantiam quidem Dei significant, imperfecte tamen, sicut creaturæ imperfecte repræsentant. Nullum equidem est nomen, nulla conceptio, quæ DEVM perfecte prout in seipso est possit exprimere.

Quod de significatione substantiæ diximus expresse docuit S. Augusti-

Augustinus lib.7.de Trinit. cap.1. & lib.6.cap.4. DEO, inquit, *hoc est esse, quod fortem esse, vel sapientem esse, & si quid de illa simplicitate dixeris, qua eius substantia significatur.* Et lib.6. cap.7. DEVS *multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quicquid aliud non indigne dici videtur. Sed eadem magnitudo eius est, qua sapientia (non enim mole magnus, sed virtute) & eadem bonitas, qua sapientia & magnitudo: & eadem veritas, quæ illa omnia, & non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Sæpe autem eadem alibi S. Augustinus inculcat.

Versatur in eodem argumento S. Anselmus libro, quem inscribit Monologium: vbi cap.15. ostendit, quæcumque diuinitati tribuuntur, non significare qualitatem vel modum: sed substantiam & quidditatem: illam vero esse omnia ea quæ diuersis prædicationibus enunciantur. Quicquid eorum, ait, de illa dicatur, non qualis, vel quanta: sed magis, quid sit monstratur. Sed palam est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulcritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa vnitas.

Ne quis autem diuersitatem in DEO constituat, quia, dum contemplatur, diuersis apprehensionibus DEI perfectiones concipit, monet capit. 16. DEVM esse ista omnia per simplicissimam quandam rationem & considerationem obiectiuam. *Cum* enim *illa natura* (verba sunt Anselmi) *nullo modo composita sit, & tamen omnimodo tot illa bona sit, necesse est, vt omnia illa non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula: vt cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula.* In quo magnum est discrimen inter creata & diuina. Nam vt subiungit Anselmus, *secundum aliud homo est corpus, & secundum aliud est rationale: & singulum horum non est totum, quod homo. Illa ergo summa essentia, nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut considerationem non sit: quia quicquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est.*

Hæc, vbi de simplicitate DEI agunt, rationibus confirmant Scholastici illi, qui nullam, præter rationis distinctionem agnoscunt inter attributa & essentiam diuinam: nec concedunt diuersas rationes formales attributorum ex parte rei distinctas: sed certe pronunciant: DEVM per idem formaliter esse sapientiam, per quod est bonitas: per idem iustitiam, per quod est misericordia: & quodlibet ho-

rum essentialiter esse totum, quod est DEITAS, & omnia quæ DEITAS.

Quod frequenter vrget contra Porretani profanitatem Bernardus. Sed illustris est locus sermone 80. in Cantica. Vnde paucula de multis trāscribo. *Sola summa & increata natura, quæ est Trinitas DEVS, hanc sibi vendicat meram, singularemque sua essentia simplicitatem; vt non aliud & aliud: non alibi & alibi: Sed ne modo quidem & modo inueniatur in ea, nempe in semet manens, quod habet, est: & quod est, semper & vno modo est. In ea & multa in vnum, & diuersa in idem rediguntur: vt nec numerositate rerum sumat pluralitatem: nec alterationem de variatione sentiat.*

*At ne quem multitudo prædicatorum turbet, addit: Iam de magnitudine, bonitate, iustitia, sapientiaque idem per omnia, quod de diuinitate sentimus, vnum in DEO sunt, & cum DEO: nec enim aliunde bonus, quam vnde magnus: nec aliunde iustus, aut sapiens, quam vnde magnus & bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia est, quam vnde DEVS, & hoc quoque non nisi seipso.*

## SEPTIMA DISQVISITIO. An, quæ in contemplatione per adfirmationem DEO tribuuntur à mysticis conueniunt DEO secundum eandem rationem, qua reperiuntur in creaturis?

RESPOND. I. Certum est, quod perfectio quam in DEO concipimus contemplando non sit eiusdem rationis specificæ, cum perfectione, quæ eadem voce exprimitur in creaturis. Est enim alterius rationis DEI sapientia, iustitia, misericordia, quam hominum, vel angelorum: vna enim est substantia, altera accidens: vna increata, altera creata: vna per se, altera participata: vna limitata, altera absque terminis. Excellentior igitur multo, & quidem essentialiter, est DEI perfectio quam vlla creaturæ eiusdem denominationis.

RESP. II. Non esse tā disparatas & contrarias perfectiones DEI & creaturarū quæ iisdem vocib. exprimuntur, vt nullā conuenientiam formalem inter se habeant. Conuenit enim V. C. sapientia Dei cū sapientia hominum, quod vtraq; sit ratio cognoscēdi practice, & ordinandi, ac regēdi. Itaq; ab vtraq; potest conceptus aliquis cōmunis abstrahi, quia analogice saltē vtriq; conueniat. Quod in Metaphysicis demonstratur: vbi id Franciscus Suarez docte exponit disputat. 28. Quare non est probandum, quod habet Albertus scribens in theologiam mysticam. DEVS non habet aliquid commune, quod sit in ipso

ipso &creaturis, neque vt species, neque vt genus, neq; vt Analogiæ principium : sed est ibi tantum imitationis communitas, qua creata imitantur creatorem, vt queunt : & hæc non est vera communitas. Propter quod etiam non est aliqua apud nos prædicatio vera de DEO. Ita Albertus. Quæ verba, vt loquitur Dionysius Carthusianus comment. in Areopagitæ mysticam inepte sonare censentur: nisi forsitan sumat prædicationem veram, pro prædicatione proprie dicta.

RESPOND. III. Cum nonnisi analogice conueniant in vno conceptu Perfectiones DEI & creaturarum, præcipuum analogatum haud dubie est perfectio diuina, cuius participationes sunt creatæ. In DEO enim sunt ipsa increata essentia, & velut in fonte, ac eminentissimo principio omnia continente. In creaturis sunt secundum participationem, ac essentialem dependentiam. Ob quam causam patres nonnulli aliquando insinuant improprie DEO tribui istiusmodi perfectiones: nimirum, secundum modum loquendi nostrum, qui concipiendi modo est accommodatus: & ob excellentem illam analogiæ rationem, quam in diuinis perfectionibus animaduertimus.

Ad contemplationis huius vsum conducunt omnia quæ adferuntur à Patribus, de libro Creaturarum vt vocant, in quo docetur DEI notitia ex creaturarum consideratione. Quam materiam fuse tractant qui scalas construxerunt ex creaturis, quæ se habeant tanquam gradus per quos ad perfectionem diuinarũ cognitionẽ sublimiorem conscenditur. Inter quos eminet ex Mysticis Doctoribus Richardus, & Hugo Victorini, ac Bonauentura. Quorum vestigia premit ex recentioribus Robertus Bellarminus Opusculo de hac ipsa re.

Et ex instituto Iacobus Aluarez. de Paz. Tom. III. lib. v. Parte I. Apparatu III. vbi capite IV. agit de cognitione DEI per opera naturæ, in quarum speculatione initio versari solet Mysticus. Tradit autem diuersos modos, eosque facillimos ex creaturarum contemplatione ad DEI cognitionem deueniendi. *Primus* est considerando in singulis, id quod forma dicitur, à qua omne esse, & operationum energia, quæ eleuat mentem ad supremum essendi ac operandi principium inquirendum & contemplandum. *Secundus*, considerando perfectiones singulares creaturarum & eas absque limitatione in DEVM refundendo. *Tertius*: examinando rationem causæ & effectus: ex perfectione enim effectus cognoscitur perfectio causæ; cum omnis causa habeat perfectionem suorum effectuum. *Quartus*: inuestigando officia DEI erga creaturas, ex iis enim plurimæ perfectiones innotescent. Est enim idem DEVS Creator, Conseruator, Guberna-

tor, Prouisor, Prædestinator, Magister, Medicus, Restaurator, Saluator, Glorificator. *Quintus*: quo ex operibus Creaturarum ad Creatoris notitiam contemplator adsurgit. Sic enim cognoscitur DEVM omnia multo verius, ac perfectius, quam creaturas operari.

Ad idem adhibet contemplator opera gratiæ & gloriæ. Et hic modus est multiplex, quem declarat Aluarez cap. 5. *Primus* proponit Christum, inter opera gratię sine controuersia primum. Per eius autem humanitatem breuissime & compendiosissime ascenditur ad eiusdem diuinitatem contemplandam. Nam verbum diuinum, vt inquit Leo Papa in assumptione naturæ nostræ nobis factus est gradus, quoad ipsum possimus ascendere. *Secundus* continet Deiparam, opus secundum Christum excellentissimum altissimi. *Tertius* habet Angelos. *Quartus* Sanctos alios Cœlites. *Quintus* Ecclesiam, eiusque admiranda, quæ quis enumeret?

*Leo Serm. 5. de Natal.*

Valet etiam ad hoc contemplationis genus per adfirmationem, qua DEO omnium perfectiones tribuimus scriptura-sacra, in qua & voluntatem nobis suam DEVS aperuit & essentiæ vnitatem, ac personarum Trinitatem, quæq; nostra scire interest, attributa Maiestatis suæ patefecit. Est autem certa scripturam meditandi ratio, vt ea contemplationi Mysticæ deseruiat: de qua suo loco, & eam exponit Aluarez capit. 6. vbi hoc initio prudenter præmittit: Scripturam esse quasi epistolam DEI ad Ecclesiam missam, in qua de se credenda, & contemplanda scribit, facienda ad suum cultum, & ad fœlicitatem æternam adsequendam præscribit; vitanda & fugienda proponit. Eandem esse velut magnum speculum, in quo se ipsum & sua opera & nosmetipsos oculis interioribus obiicit, vt eum cognoscentes diligamus, iudicia eius veneremur, nos ipsos despiciamus, & secundum quod ipse docet, vitam nostram instituamus.

Consule, præter nominatos, Ludouicum de Ponte, parte posteriore ducis spiritualis tract. III. capit. 4. quod est de modis DEVM per adfirmationes cognoscendi. Præmiserat autem tritissimam esse viam proficiendi in dicto contemplationis genere per Creaturas & officia quæ DEVS erga illas præstat, idque indicasse Apostolum vocula speculantes II. ad Corinth. III. 18. *Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Videtur igitur DEVS in creaturis, seu operibus suis tanquam in speculis.

Et quemadmodum qui ante se habet speculum, pone vero hominem cuius vultum videt, quamuis ipsum in se non videat: tamen hoc sat est, vt intra se veram illius imaginem formet: ita, vt quando dein-

deinde illi occurrit, dicere possit: hic vir, hic est, quem in speculo vidi. Haud sequus, licet DEVS stet post parietem nostrum, vt est Canticorum secundo : per parietem corpus intellige ; & prospiciat per Cancellos: videlicet, creaturas. Quia tamen illæ-met specula sunt, in quibus diuinitatis radii repræsentantur, illarum adminiculo possumus conceptum aliquem magnitudinis formare, transformantes nos in eius gloriæ imaginem.

Itaque monet idem vt Contemplator, in hoc exercendi modo formet quandam diuinitatis imaginem eomodo quo Pictores, ponendo in DEO quicquid perfectionis in creaturis cernitur, aut potest concipi, vt ipse sit omnino perfectus, adeo, vt nulla bonitas, aut perfectio illi desit ex omnibus, quas in creaturis cælestibus aut terrenis videmus, & quas vidimus, legimus, vel audiuimus à viris sapientibus, potentibus & Sanctis, & ab ipsomet Christo quatenus est homo ea tamen cautione, vt perfectio quæcumque DEO adscribenda illius sit conditionis, vt infinitæ, & increatæ naturæ diuinæ non repugnet.

---

# EXERCITATIO III.

## *DE CONTEMPLATIONE MYSTICA per Negationem.*

### PRIMA DISQVISITIO. An in Contemplatione per Negationem remoueantur omnia, quæ sub sensum cadunt?

RESPONDEO: Adfirmate. Ita docet Areopagita lib. de Mystica Theologia cap. IV. Dicimus enim inquit causam omnium, & quæ omnia superat, nec essentia, nec vita carere, nec rationis & mentis expertem esse. Nec corpus esse, nec figuram, nec formam: nec qualitatem, nec quantitatem, nec magnitudine esse præditam: nec in loco esse: nec cerni: nec sensum tangendi habere: nec sentire: nec sub sensũ cadere: nec ordinis vacuitatem habere: nec perturbationẽ à perturbationibus corporeis agitatam: nec imbecillam esse, opportunam incommodis, quæ accipiuntur sensibus: nec egere luce: nec mutationẽ, aut interitum, aut diuisionem, aut priuationem aut fluxum, nec quicquam aliud eorum, quæ sub sensum cadunt, vel esse vel habere.

Vnde

*Nihil sensibilium est is, qui est omnis rei sensibilis causa.*

Vnde recte colligit, quod capitulo illi præscribitur: Nihil esse eorum, quæ sub sensum cadunt Auctorem omnium quæ percipiuntur sensib. Verum, ne quis inde error oriatur in rudiū mentibus, præmittit: nequaquam Devm carere essentia & vita, cum sit sua ipse essentia ac vita purissima: neq; cogitandū, illum irrationalem esse aut non intelligentem, cum sit Auctor rationis ac fons totius intelligentiæ & mentis. Sed negari de illo debere omne corporeum, vel omnia corpora, & quicquid sensibus corporeis subjacet, figuram, formam, quantitatē, qualitatem, pondus, locabilitatem, visibilitatem, sensuum tangibilitatem: actiuam & passiuam in ordinationem carnalis concupiscentiæ, aut completionem turbulentam passionis materialis. Item, inualetudinem subiectam casib. sensibilibus: indigentiam luminis, generationem, corruptionem: diuisionem, passibilitatem, fluxum temporalem & eiusdem generis alia omnia.

## Secvnda Disqvisitio. An in Contemplatione negatiua remoueri à Deo possint intelligibilia omnia.

*Nihil intelligibilium est omnium intelligibilis auctor.*

Respondeo: Adfirmate. Assertio est Dionysij Areopagitæ, qui cap. IV de Theologia Mystica docet: Nihil esse eorum, quæ ratione intelliguntur Auctorem omnium, quæ animo cernuntur. *Ascendentes*, inquit, nempe à particularioribus ad vniuersaliora, & à causatis ad omnium causam, *profitemur*, Devm *nec Animum esse nec Mentem*: id est, vt aliqui exponunt, neque animam rationalem, neque Angelum: ita Carthusianus: sed magis generatim potest accipi: *neque Phantasiam*, seu visionem: *neque opinionem: vel rationem, vel mentis notionem habere: nec rationem esse, nec mentis perceptionem: nec dici, nec intelligi*: nempe, vt in se est, & quatenus in sua substantia subsistit: *nec numerum esse*: eodem nimirum sensu, quamuis Trinitas personarum in illo sit: *nec ordinem*, siue temporis, siue causalitatis: *nec magnitudinem, nec paruitatem: nec æqualitatem, nec similitudinem, nec dissimilitudinem*.

Quamuis enim hæc & pleraque alia tribuantur Deo in propositionibus adfirmatiuis: recte tamen in contemplatione negatiua amouentur, quia nō competunt ei, quatenus ab hominibus viatoribus concipiūtur, sed longe eminentius. Eodem pacto profitemur Deum, *nec stare, nec moueri* (situaliter, siue localiter) *nec quiescere: nec vim habere: nec vim esse: nec lucem esse, nec vitam* (quæ vniuoce cum creatis conueniat) *nec essentiam esse, nec æternitatem* (quatenus quid distinctum ab habente, & durante concipiuntur) *nec Tempus*, quod inter sensibilia compu-

computatur. *Nec eius esse aut tactionem*, etiam *quæ mente fiat*: nam nec spiritualiter tangi potest modo nobis comprehensibili. *Nec scientiam, nec veritatem esse, nec regnum, nec sapientiam: neque vnum, neque vnitatem, neque diuinitatem, neque bonitatem: neque spiritum, quatenus nos comprehendimus.*

Quid, quod *nec filij, nec Patris rationem habeat* ( eo nimirum modo quo à nobis ruditer istiusmodi apprehenduntur) *nec aliquid eorum, quæ nobis aut cuiquam natura sunt cognita. Nec quicquam esse eorum, quæ nō sunt: nec aliquid eorum quæ sunt* ( tanquam in ordine vel genere non existentium aut existentium comprehensum ) *Nec ea quæ sunt illum noscere, quatenus est: neq; eum cognoscere ea, quæ sunt: quæ ex parte sunt neque eius rationem esse: neque nomen, neque scientiam. Neque eum Tenebras esse, nec lucem, nec errorem , nec veritatem. Nec esse eius adfirmationem omnino, nec negationem: sed eorum, quæ illum sequuntur Adfirmationes, Negationesq; facientes, eum nec dicimus esse nec negamus.* Sensus est:

Adfirmatio vel negatio deitati non conuenit, quia nihil est in deitate distinctum ab ipsa deitate. Porro ea quæ sunt citra deitatem de ea negamus simpliciter, & adfirmamus per modum causæ & eminentiæ: sic autem neque quicquam aliud in DEO ponimus neque ab eo quidpiam auferimus. *Quippe cum & omnem adfirmationem superet perfecta illa & singularis causa omnium , & omni negatione superior sit præstantia eius, qui & ab omnibus omnino secretus est, & vniuersa multum superat.* Est enim deitas prima causa , summitas omnium: vertex superexaltatissimus, vt loquuntur Mystici vniuersorum, & perfectionis omnis conceptibilis apex.

## TERTIA DISQVISITIO. An in Contemplatione per Negationes deueniendum sit ad purum nihil.

ITa insinuat Areopagita loco citato: vult enim concipi, id quod in ea Contemplatione menti obuersatur, vt non aliquid eorum, quæ sunt: cui æquiualet NIHIL. Quod clarissime effert Gregorius Nazianzenus in carmine, coniungens Adfirmationem cum negatione: Positionem cum Remotione,

Σοὶ ἐνὶ πάντα μένει, σοὶ δ᾽ ἀθρόα πάντα θοάζει
Σὺ πάντων τέλος ἐσσί: καὶ εἷς, καὶ πάντα, καὶ οὐδείς,
οὐχ ἓν ἐὼν, οὐ πάντα. πανώνυμε τί σε καλέσσω
Τὸν μόνον ἀκλήϊστον.

In TE omnia permanent, ad TE confertim festinant omnia;
TV omnium finis. TV vnus, & omnia, & NIHIL rerum
Cum neque vnum sis: neque omnia. Quem te appellem
Qui solus innominabilis, & omni-nomius.

Quæ si recte intelligantur nemo vel Scholasticus reprehendet. Vt enim DEVS dicitur OMNIA, quia omnia in ipso per vnam simplicissimam rationem Deitatis continentur: quo fit, vt sit omnia vel formaliter vel eminenter: ita dici potest NIHIL RERVM, quia est vltra omnia. Ob similem rationem DEVS est ἀνώνυμος, καὶ πανώνυμος innominabilis, & omninomius. Quia quamuis vt animaduertit Dionysius Carthusianus, nulla res tot nominibus nominetur, exprimatur, & describatur vt DEVS: nec aliqua res ex tot repræsentatiuis, & similitudinibus, effectibus & exemplis, ex tot rationibus, argumẽtis, & mediis, ex tot vestigiis & doctrinis agnoscatur vt ipse: tamen nulla est vox, nullum vocabulum quod supremum illud numen satis possit exprimere. Quam earum denominationum rationem etiam dat Leonardus Lessius lib. 1. de perfectionibus diuinis cap. 1. Num. 5.

*Carthus. in cap. 5. Theol. Myst.*

## QVARTA DISQVISITIO. Quare in contemplatione per Negationem auspicatur Mysticus à remotione magis vilium & abiectarum rerum: cum in ea quæ exercetur per adfirmationem sumat exordium à positione magis excellentium & nobilissimarum.

HOc esse inter has Contemplationes discrimen docet Dionysius Areopagita cap. 3. Theologiæ Mysticæ, addens se diuersitatem hanc obseruasse in explicatione Theologiæ adfirmatiuæ, quam declarat in libro de Diuinis nominibus, & traditione Negatiuæ, quam docet Opusculo de Theologia Mystica. *Ibi enim*, inquit, *à summo ad extremum delabens oratio, pro modo descensus ad latitudinem ei respondentem porrigebatur*: hoc est, à pertractione & consideratione nominum digniorum ad materialia, quæ transumptiue de DEO dicuntur, sermo factus est extensior, magisque diffusus iuxta quantitatem materiæ: diffunduntur enim materialia, cum diuisionem ex subiecti ratione patiantur. *Nunc autem ab infimis ad summa ascendens pro modo & ratione ascensus contrahitur*: Nimirum, dum à vilissimis ad nobilissima gradum facimus, quia magis ad vnitatẽ tendimus, sermo coarctatur, vt in

vt in pyramide. *Atque post omnem ascensum vnita erit : & coniungetur cum eo, qui verbis exprimi non potest.*

At enim, *cur à primo positis diuinis adfirmationibus : ab vltimis incipimus Diuinas adimere, & negare?* hoc est: quare in adfirmationibus ordimur à præstantioribus: in negationibus à vilissimis?

RESPONDET. *Quia, cum posuimus, & asseruimus id, quod omnem adfirmationem superat, ab eo, quod ei cognatius erat, adfirmatio qua esse ponitur, ponenda fuit:* Hoc est, vt ego quidem existimo, si illi, qui omnem adfirmationem transcendit, est tribuendum aliquid, ratio ipsa postulat, vt à cognatis, & magis proximis ducatur initium: hoc enim magis congruit nobilitati naturæ illius, quæ rerum omnium perfectiones superat: cui idcirco sublimiora sunt viciniora. *Cum autem id detrahimus, quod omni detractione, ac negatione superius est, ab ijs, quæ ab illo remotiora sunt, detrahi oportuit.* Ablatio igitur est inchoanda, ab his, quæ magis sunt dissita, ac deformia. An-non enim magis DEVS est vita, & bonitas; quam aer ac lapis? magis-que non crapulatur, & non irascitur: quam non dicitur, aut non intelligitur?

## QVINTA DISQVISITIO. An recte, & Quare Mystici in Contemplatione per negationem efferant remotiones per particulam super.

RESPONDEO. Cum ideo ad notitiam DEI enitamur per remotionem, dicamusque illum esse Nihil rerum visibilium, vel intelligibilium, quia est longissimo quodam interuallo supra omnia quæ videntur, aut intelliguntur, non potest hoc aptius significari, quam præpositione superlationis, qua DEI eminentia exprimitur, simulque indicatur, quicquid de Deo prædicatur esse in illo κατ' ἐξοχὴν, καὶ ὑπεροχικῶς vt frequenter Areopagita monet: præsertim cap. 1. 11. & 5. de Nominibus Diuinis vbi inter reliqua : DEVS non quouis modo, est Ens: sed ἁπλῶς, καὶ ἀπεριορίστως totum esse in se pariter complexus, & anticipans (προειληφὼς: nempe prius in DEO sunt & vitam habent, quam in se ipsis: in ipso vita erant, antequam essent) ex quo colligit esse supra omne ens. Et capite 3. *Vnum dicitur, quia est omnia vnice* (simplicissimo modo, absque vlla diuisione) *secundum excellentiam vnius vnitatis:* qua, vt omnia vnita entia omnia excellit. Plena ponderis sunt, quæ sequuntur Ἐν ᾗ πάντα ἑνικῶς συνῆπται, καὶ ὑπερήνωται, καὶ προέστιν ὑπερουσίως: *in qua,* nimirum vnitate, *omnia vnice sunt coniuncta, superunita, & praexistentia* SVPER-ESSENTIALITER. Sunt autem hæ loquendi

 formu-

formulæ apud Mysticos frequentissimæ: vt ex ijs quæ in sequentibus proferemus constabit. Clarissime autem pronuntiat Boetius lib. de Trinitate: DEVM non esse vere substantiam, sed vltra substantiam.

## SEXTA DISQVISITIO. An notitia DEI quæ habetur in Contemplatione per negationem, sit perfectior, illa quæ hauritur per adfirmationem?

RESPONDEO: Adfirmate. Est communis Mysticorum assertio, quam non semel docet Dionysius sæpe admonens, omnium detractione, & ipsa ignoratione, quibus verbis contemplationem negantem describit, DEVM melius, quam vlla adfirmatione, vel positione cognosci. Clarissimis verbis idem enunciat Ioannes Damascenus lib. 1. de fide cap. 4. vbi: *in* DEO, inquit, *impossibile est, quid-nam essentia sua, ac natura ipse sit dicere: aptiusq; est ex omnium rerum sublatione, atque inficiatione operationem habere: neq; enim eorum, quæ sunt quidquam est. Quod quidem non ita accipere te velim, quasi non sit: sed quia supra omnia, quæ sunt, ipse sit: atque adeo supra ipsum esse. Si enim eorum quæ sunt, cognitio est quod omnem superat cognitionem, & ipsum quoque super substantiam erit. Et id recurrit: quod super substantiam est, & id quoque super cognitionem erit.*

Postquam autem dixit: quomodo, quæ per Theologiam adfirmatiuam de DEO enunciantur, significent; subdit: *Sunt nonnulla, quæ tametsi per adfirmationem* de DEO *dicantur, præcellentis tamem negationis vim habent. Verbi gratia: cum de* DEO *verba facientes,* Tenebras *nominamus non caliginem animo proponimus, sed, quod lux non sit: verum lumine sublimior.* Hic igitur modus DEVM cognoscendi negat omnia, quæ de DEO dicuntur non propter imperfectionem: sed quia ipse omnia illa superioti quadam ratione antecellat.

Quo loco Damasceni Scholiastes, Notat: trifariam de DEO posse sermonem institui. *Primo,* per adfirmationem eorum, quæ perfectionem includunt. *Secundo*, quando negamus illi ea, quæ ipsi non cōueniunt, vt qui est incorporeus, inuisibilis, immēsus, immutabilis, incomprehensibilis. *Tertio:* cum de DEO enunciatur quidpiam per omnium negationem: quæ etiam primo ac secundo modo illi tribuuntur. Nam diuina illa Maiestas excedit omnem substantiam, vitamque transcendit: nulla hanc exprimit lux: nulla bonitas, nulla pulcritudo. Et hic est perfectissimus DEVM cognoscendi modus.

Quibus assonat S. Cyprianus, Prologo ad librum de Cardinal.

Christi

Christi operibus. *Adfirmatio quippe*, vt ipse differit *de* DEI *essentia in promptu haberi non potest: neque enim diffinibilis est Diuinitas, sed verius, sinceriusque remotio indicat negando quid non sit, quam adserendo quid sit: quoniã, quicquid sensui subiacet, illud esse non potest, quod omnẽ superat intellectũ.*

Copiosius, & plane ad sensum Mysticorum Bonauentura. Post- *Lib. de paruo Bono Par. 3.* quam enim descripsit modum Contemplandi per adfirmationem verbis supra recitatis Exercit. I. Dis Q. 3. subnectit. Hæc est erectio per viam adfirmationis: sed alia est eminentior per viam negationis. Quoniam, vt dicit Dionysius, Adfirmationes incompactæ sunt: Negationes vero, licet videantur nihil dicere, plus tamen dicunt. Et hic modus erectionis est per abnegationem trium: quod in negationibus illis fit ordo, incipiendo ab inferioribus vsque ad superiora. Est etiam supereminentis positionis inclusio, vt cum dicitur: DEVS non est quid sensibile, sed super-sensibile: nec imaginabile; sed super-imaginabile: nec Intelligibile, sed super-intelligibile: nec existens hoc vel hoc: sed super omne ens. Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem: & altius eleuatur, & profundius egreditur, pro eo quod excedit se & omne creatum.

Et hic est nobilissimus eleuationis modus. Sed tamen ad hoc, quod sit perfectus præexigit alium: sicut perfectio illuminationem: & sicut negatio adfirmationem.

Exercebat se in illo Augustinus, & vt aliis facilis esset exercitatio modum præscribebat Enarratione in Psalmum 85. exponens illa: Non est similis tibi in Diis Domine. Quodlibet aliud co[illegible]et homo, non est simile, quod factum est, illi, qui fecit. Excepto Deo, quicquid aliud est in natura rerum, factum est à Deo. Quantum interest, inter eum, qui fecit, & illud quod factum est, quis digne cogitet? Iste ergo dixit: Non est similis tibi in Dijs Domine, Quantum autem est dissimilis Deus? non dixit quia dici non potest.

Intendat, Caritas vestra, Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas, Non est hoc Deus. Mare cogitas, non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in terra, homines & animalia. Non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in mari: quæ volant per aerem. Non est hoc Deus. Ipsum Cœlum. Nõ est hoc Deus. Angelos cogita, Virtutes, Potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes. Non est hoc Deus. Et quid est hoc? Solum potui dicere, Quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris, vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit? *1. Cor. 2.*

Hinc monent Mystici vt DEVM per negationes, remotionesq;

contemplator intueatur, oportere relicta terra, transcenso aere & igne, si quis alius sub lunæ concauo rutilat, Cælos ipsos & Angelos transilire. Quod fecisse putat Gregorius Nyssenus ardentissime ad dilecti amplexus aspirantem sponsam: indicasseque hanc suam mysticam disquisitionem, & post illam, sponsi delitias Canticorum III. vbi voces habentur sibi congratulantis. In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum per contemplationem adfirmatiuam, ambulans viam positiuam creaturarum, & non inueni. Interrogaui singulas: Numquid non tu DEVS meus? Num saltem, quem diligit anima mea vidistis? paululum cum pertransissem eas, inueni, quem diligit anima mea.

*Nyss. hom. 6* Interrogauit illa inquit Nissenus: Numquid vos, quem diligit anima mea vidistis? Cum autem tacuissent ad eam interrogationem, & silentio indicassent, illis quoq; esse incomprehensibile id quod apud eas quæritur (Angelicas mentes cogita) postquam nimis curioso studio cogitationis egressa est illam supermundanam ciuitatem: tunc relicto vniuerso, quod inueniebatur, ita cognouit id, quod quærebatur, cuius omne signum, ac indicium cõprehendens, fit impedimentum ijs qui quærunt ad eius inuentionem. Propterea dicit: quamprimum parum ab eis transiui, relicta omni materia, & prætermisso vniuerso, quod intelligitur in creatura: & dimissa omni via, & ratione comprehendendi, inueni eum, qui diligitur.

Cum igitur tam alte conscendendũ sit vt in hac contemplatione Deum apprehendamus perfectissimam oportet ex ea progigni Dei notitiam. In quo cum Mysticis sentiunt Scholastici. Certe Franciscus Suarez lib. I. de essentia Dei, ob hanc causam clarum esse putat prædicata negatiua propriissime de Deo dici. Cum enim Deus perfectissimus sit, nihil verius de eo concipimus & loquimur siue lingua, siue mente, quam cum ab eo imperfectionem remouemus. Vt acute dixerit Damascenus loco superius indicato: *Cum Deus nobis incomprehensibilis sit: hoc solum de eo comprehendimus, quod incomprehensibilis sit.* Sic quoq; Iacobus Aluarez hanc notitiam appellat *perfectissimam.* Et Thomas à IESV inter adfirmatiuos & negatiuos de Deo conceptus idem in perfectione discrimen obseruat.

*Aluarez. Tom. 3. lib. 5. Par. 2 A; par. 3. cap. 7. Tho lib. 5. de Contem. cap. 8.*

RATIO est. Nam per negationem remouemus à Deo imperfectionem certam, quod propriissime fit, cum illam non habeat: per omnes negationes abstrahimus omnem aliam imperfectionem. At vero, dum aliquid adfirmamus de Deo, cum illud distincte, & adæquate non cognoscamus: sed confuse & velut in communi cum id

Deo

Deo adſcribimus,inuoluitur in conceptu reſpondente vocabulo quidpiam quod ita in DEO non reperitur. V.G. Apprehendis Deum vt bonum: quod dum facis, non concipis bonitatem Dei ſecundum propriam & adæquatam rationem qua in ipſo reperitur: ſed concipis perfectionem aliquam quæ proportione reſpondeat illi, quam in creatura appellamus eodem nomine: à quibus perfectionibus ſi abſtrahas conceptum communem, is non erit, niſi analogus ad perfectionem Dei & creaturæ.

## SEPTIMA DISQVISITIO. An ſola notitia Dei ex contemplatione per negationem ſit propria, illa vero quæ habetur per adfirmationem impropria?

MYſtici ita extollunt hoc contemplationis genus,vt ex omni alio improprium gigni conceptum aſſerant. Quod deinde deriuant ad prædicata,quæ formantur ex nominibus negantibus, & adfirmantibus,vt illa ſolum ſint propria: hæc neutiquam. Et videntur id inſinuare antiquiores: maxime,Dionyſius Areopagita,tum cap. II. de Theologia Myſtica vbi idcirco detractiones, ſiue negationes contra, ac affirmationes laudandas dicit: tum cap. 7. de diuinis nominibus,vbi fuſe probat, cum Deus omnia ſuperet, omnium detractione illum hominibus propriiſſime innoteſcere. Idem innuit Auguſtinus in libris de Trinitate.lib. 5. cap. I. vbi poſtquam dixit, intelligendum Deum, ſi poſſumus, quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia Creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mutabilia faciētem, nihilque patientem; ſubdit: Quiſquis Deum ita cogitat, etſi nondū poteſt omnino inuenire Quid ſit: *pie tamen cauet, quantum poteſt, aliquid de eo ſentire, quod non ſit.* Similia habet libro 6. cap. 4. & 6. & libr. 7. cap. 5. quib. conſentanea ſcribunt Iuſtinus Apologia I. Clemens Alexandrinus lib. I. ſtromat. Baſilius epiſt. 80. iterumque Auguſtinus ſermone I. de ver. Apoſtol. Tamen in nullo adhuc reperi, quod quidam dicunt eos ſcribere: Modum cognoſcendi per negationem eſſe proprium; per adfirmationem, improprium: Nec id dici debet: nam vt eſt demonſtratum exercitat. II. diſquiſit. 3. non omnia, quæ adfirmantur de Deo improprie de illo dicuntur.

OCTA-

## OCTAVA DISQVISITIO. An, formetur conceptus in contemplatione per ablationes puras?

RESPONDEO: Adfirmate. RATIO. Quia in qualibet intellectione formatur conceptus de re, quæ intelligitur. Sed Contemplatio DEI, est aliqua eius intellectio. Maior constat, quia quælibet intellectio cum sit quædam actio vitalis habet terminum. Terminus autem intellectionis est conceptus, qui ab ipsa intellectione non distinguitur, saltem, reapse, & separabiliter. Eodem pacto probatur: in qualibet intellectione esse verbum mentis.

## NONA DISQVISITIO. An in Contemplatione per negationem Mysticus concipiat DEVM & cognoscat obiectiue, & immediate?

IMmediate intelligo in ratione obiecti, non autem in ratione medii: nam necessario intercedit species intelligibilis, & verbum mentis. RESPONDET itaque Carthusianus in Epilogatione Theologiæ Mysticæ Dionysii. In contemplatione DEI in vita præsenti, per adfirmatiua de ipso proprie non metaphorice dicta, cognosci Deum Quia est: attamen obiectiue, & immediate: ita vt non sit medium per quod in ratione obiecti: quamuis sit medium per quod in ratione speciei intelligibilis: quia per formas similitudinesque creatas, & non clare in se ipso cognoscitur. In Contemplatione autem, seu visione Mysticæ Theologiæ, qua DEVS per omnium ablationem & abnegationem cognoscitur, clarius & sublimius cognosci, ac videri, quam in contemplatione per adfirmantia, ideo & obiectiue, non tamen quid est, sed quia est per grandem tamen appropinquationem ad notitiam quidditatis.

RESPONDEO In Contemplatione per negationem concipi immediate DEVM in ratione obiecti. Probatur. In ea contemplatione DEVS immediate intelligitur. Ergo de illo immediate formatur conceptus. Consequentia est euidens. Antecedens probatur, quia, quod intelligitur per eam contemplationem est illud, quo ablatis perfectionibus creatis remanet: sed quod est supra omnes perfectiones creatas. Illud autem non est aliud quam DEVS. Constabit hoc magis ex sequentibus: est enim hic

DECI-

## DECIMA DISQVISITIO. Qualis conceptus formetur in Contemplatione per negationes meras.

RESPONDEO. Formari conceptum positiuum, & absolutum DEI. Itaque sublatis per negationes perfectionibus creatis relinquitur in anima pulcherrima species, forma, notio (idolum dicere: aut simulacrum de recto) est tamen effigies venustissima, ac instar statuæ quidpiam: quicquid tandem sit, certe non corporeum quid aut materiale, quod mens attentissime ac suauissime contemplatur seu in quo sistit, & quiescit, ac quiescendo, & contemplando incredibili dulcedinis suauitudine perfunditur.

Ita Mystici sentiunt, qui exactius mysteria artis considerarunt & ad Scholasticæ regulas exigunt. Præclare Ioannes Gerson opusculo de simplicificatione cordis, vbi *notula 6.* monet posse contẽplantem figere intellectum in recognitione boni non huius vel illius figurati, corpulenti, vel colorati: & consequenter ferri voluntatem in dilectionem absolutam primi, & veri boni, quod non est bonum per participationem. Eodemque modo versari posse intellectum circa potentiam, sapientiam, iustitiam, & Deitatem. *Quod si quæsieris,* inquit, *an conceptus huiusmodi sint absoluti, & proprii Deo? Visum est hactenus mihi quod ita, saltem de possibili: hoc est; Quod in via meditans, & abstractiuus intellectus possit formare sibi conceptus absolutos, & proprios conuenientes soli Deo: qui dent notitiam propriam & absolutam de eo, licet non intuitiuam.*

Deinde notula 7. hinc ait intelligi posse Mysticam Theologiam, quatenus distinguitur à Symbolica. Quod hæc per similitudines repertas in rebus attribuat Deo quicquid perfectionis videtur esse in rebus creatis. Quo pacto dixit D. Bartholomæus, vt Areopagita refert Euangelium esse latissimum: Mystica autem procedat per abstractionem, modo opposito præcedenti. Nam ille quicquid est, adfirmat de Deo: iste prorsus negat de Deo omnia: & ita breuissimũ est, vt idem Bartholomæus aiebat Euangelium. Subiungit Gerson notula 8. quo probatur, quod respondimus.

Exemplum palpabile dat Dionysius Areopagita pro manuductione huius Theologiæ Mysticæ. Considera fabricatorem statuarum. Nonne hic format imaginem vel statuam, non addens quicquã, sed rescindens, & remouens? Ex hac autem subtractione remanet agalma (id est, simulacrum) pulcherrimum, imago pulchra figurata, vel sculpta. Sic agit suo modo meditantis animus: dum ab hoc con-

*Nihil sensibilium est is, qui est omnis rei sensibilis causa.*

Vnde recte colligit, quod capitulo illi præscribitur: Nihil esse eorum, quæ sub sensum cadunt Auctorem omnium quæ percipiuntur sensib. Verum, ne quis inde error oriatur in rudiũ mentibus, præmittit: nequaquam DEVM carere essentia & vita, cum sit sua ipse essentia ac vita purissima: neq; cogitandũ, illum irrationalem esse aut non intelligentem, cum sit Auctor rationis ac fons totius intelligentiæ & mentis. Sed negari de illo debere omne corporeum, vel omnia corpora, & quicquid sensibus corporeis subjacet, figuram, formam, quantitatẽ, qualitatem, pondus, locabilitatem, visibilitatem, sensuum tangibilitatem: actiuam & passiuam in ordinationem carnalis concupiscentiæ, aut completionem turbulentam passionis materialis. Item, inualetudinem subiectam casib. sensibilibus: indigentiam luminis, generationem, corruptionem: diuisionem, passibilitatem, fluxum temporalem & eiusdem generis alia omnia.

## SECVNDA DISQVISITIO. An in Contemplatione negatiua remoueri à DEO possint intelligibilia omnia.

*Nihil intelligibilium est omnu intelligibilis auctor.*

RESPONDEO: Adfirmate. Assertio est Dionysij Areopagitæ, qui cap. IV de Theologia Mystica docet: Nihil esse eorum, quæ ratione intelliguntur Auctorem omnium, quæ animo cernuntur. *Ascendentes*, inquit, nempe à particularioribus ad vniuersaliora, & à causatis ad omnium causam, *profitemur*, DEVM *nec Animum esse nec Mentem*: id est, vt aliqui exponunt, neque animam rationalem, neque Angelum: ita Carthusianus: sed magis generatim potest accipi: *neque Phantasiam*, seu visionem: *neque opinionem: vel rationem, vel mentis notionem habere: nec rationem esse, nec mentis perceptionem: nec dici, nec intelligi*: nempe, vt in se est, & quatenus in sua substantia subsistit: *nec numerum esse*: eodem nimirum sensu, quamuis Trinitas personarum in illo sit: *nec ordinem*, siue temporis, siue causalitatis: *nec magnitudinem, nec paruitatem: nec æqualitatem, nec similitudinem, nec dissimilitudinem.*

Quamuis enim hæc & pleraque alia tribuantur DEO in propositionibus adfirmatiuis: recte tamen in contemplatione negatiua amouentur, quia nõ competunt ei, quatenus ab hominibus viatoribus concipiũtur, sed longe eminentius. Eodem pacto profitemur Deum, *nec stare, nec moueri* (situaliter, siue localiter) *nec quiescere: nec vim habere: nec vim esse: nec lucem esse, nec vitam* (quæ vniuoce cum creatis conueniat) *nec essentiam esse, nec æternitatem* (quatenus quid distinctum ab habente, & durante concipiuntur) *nec Tempus*, quod inter sensibilia compu-

computatur. *Nec eius esse aut tactionem*, etiam *quæ mente fiat*: nam nec spiritualiter tangi potest modo nobis comprehensibili. *Nec scientiam, nec veritatem esse, nec regnum, nec sapientiam: neque vnum, neque vnitatem, neque diuinitatem, neque bonitatem: neque spiritum, quatenus nos comprehendimus.*

Quid, quod *nec filij, nec Patris rationem habeat* ( eo nimirum modo quo à nobis ruditer istiusmodi apprehenduntur) *nec aliquid eorum, quæ nobis aut cuiquam naturæ sunt cognita. Nec quicquam esse eorum, quæ nō sunt: nec aliquid eorum quæ sunt* ( tanquam in ordine vel genere non existentium aut existentium comprehensum ) *Nec ea quæ sunt illum noscere, quatenus est: neq; eum cognoscere ea, quæ sunt: quæ ex parte sunt neque eius rationem esse: neque nomen, neque scientiam. Neque eum Tenebras esse, nec lucem, nec errorem, nec veritatem. Nec esse eius adfirmationem omnino, nec negationem: sed eorum, quæ illum sequuntur Adfirmationes, Negationesq; facientes, eum nec dicimus esse nec negamus.* Sensus est:

Adfirmatio vel negatio deitati non conuenit, quia nihil est in deitate distinctum ab ipsa deitate. Porro ea quæ sunt citra deitatem de ea negamus simpliciter, & adfirmamus per modum causæ & eminentiæ: sic autem neque quicquam aliud in DEO ponimus neque ab eo quidpiam auferimus. *Quippe cum & omnem adfirmationem superet perfecta illa & singularis causa omnium, & omni negatione superior sit præstantia eius, qui & ab omnibus omnino secretus est, & vniuersa multum superat.* Est enim deitas prima causa, summitas omnium: vertex superexaltatissimus, vt loquuntur Mystici vniuersorum, & perfectionis omnis conceptibilis apex.

## TERTIA DISQVISITIO. An in Contemplatione per Negationes deueniendum sit ad purum nihil.

ITa insinuat Areopagita loco citato: vult enim concipi, id quod in ea Contemplatione menti obuersatur. vt non aliquid eorum, quæ sunt: cui æquiualet NIHIL. Quod clarissime effert Gregorius Nazianzenus in carmine, coniungens Adfirmationem cum negatione: Positionem cum Remotione,

Σοὶ ἐνὶ πάντα μένει, σοὶ δ' ἀθρόα πάντα θοάζει
Σὺ πάντων τέλος ἐσσί· καὶ εἷς, καὶ πάντα, καὶ οὐδείς,
οὐχ ἓν ἐὼν, οὐ πάντα. πανώνυμε τί σε καλέσσω
Τὸν μόνον ἀκλήϊστον.

In TE omnia permanent, ad TE confertim festinant omnia;
TV omnium finis. TV vnus, & omnia, & NIHIL rerum
Cum neque vnum sis: neque omnia. Quem te appellem
Qui solus innominabilis, & omni-nomius.

Quæ si recte intelligantur nemo vel Scholasticus reprehendet. Vt enim DEVS dicitur OMNIA, quia omnia in ipso per vnam simplicissimam rationem Deitatis continentur: quo fit, vt sit omnia vel formaliter vel eminenter: ita dici potest NIHIL RERVM, quia est vltra omnia. Ob similem rationem DEVS est ἀνώνυμος, καὶ πανώνυμος innominabilis, & omninomius. Quia quamuis vt animaduertit Dionysius Carthusianus, nulla res tot nominibus nominetur, exprimatur, & describatur vt DEVS: nec aliqua res ex tot repræsentatiuis, & similitudinibus, effectibus & exemplis, ex tot rationibus, argumētis, & mediis, ex tot vestigiis & doctrinis agnoscatur vt ipse: tamen nulla est vox, nullum vocabulum quod supremum illud numen satis possit exprimere. Quam earum denominationum rationem etiam dat Leonardus Lessius lib. 1. de perfectionibus diuinis cap. 1. Num. 5.

*Carthus. in cap. 5. Theol. Myst.*

## QVARTA DISQVISITIO. Quare in contemplatione per Negationem auspicatur Mysticus à remotione magis vilium & abiectarum rerum: cum in ea quæ exercetur per adfirmationem sumat exordium à positione magis excellentium & nobilissimarum.

HOc esse inter has Contemplationes discrimen docet Dionysius Areopagita cap. 3. Theologiæ Mysticæ, addens se diuersitatem hanc obseruasse in explicatione Theologiæ adfirmatiuæ, quam declarat in libro de Diuinis nominibus, & traditione Negatiuæ, quam docet Opusculo de Theologia Mystica. *Ibi enim,* inquit, *à summo ad extremum delabens oratio, pro modo descensus ad latitudinem ei respondentem porrigebatur:* hoc est, à pertractione & consideratione nominum digniorum ad materialia, quæ transumptiue de DEO dicuntur, sermo factus est extensior, magisque diffusus iuxta quantitatem materiæ: diffunduntur enim materialia, cum diuisionem ex subiecti ratione patiantur. *Nunc autem ab infimis ad summa ascendens pro modo & ratione ascensus contrahitur:* Nimirum, dum à vilissimis ad nobilissima gradum facimus, quia magis ad vnitatē tendimus, sermo coarctatur, vt in

vt in pyramide. *Atque post omnem ascensum vnita erit* : *& coniungetur cum eo, qui verbis exprimi non potest.*

At enim, *cur à primo positis diuinis adfirmationibus: ab vltimis incipimus Diuinas adimere, & negare*? hoc est: quare in adfirmationibus ordimur à præstantioribus: in negationibus à vilissimis?

RESPONDET. *Quia, cum posuimus, & asseruimus id, quod omnem adfirmationem superat, ab eo, quod ei cognatius erat, adfirmatio quæ esse ponitur, ponenda fuit*: Hoc est, vt ego quidem existimo, si illi, qui omnem adfirmationem transcendit, est tribuendum aliquid, ratio ipsa postulat, vt à cognatis, & magis proximis ducatur initium: hoc enim magis congruit nobilitati naturæ illius, quæ rerum omnium perfectiones superat: cui idcirco sublimiora sunt viciniora. *Cum autem id detrahimus, quod omni detractione, ac negatione superius est, ab ijs, quæ ab illo remotiora sunt, detrahi oportuit.* Ablatio igitur est inchoanda, ab his, quæ magis sunt dissita, ac deformia. An-non enim magis DEVS est vita, & bonitas; quam aer ac lapis? magis-que non crapulatur, & non irascitur: quam non dicitur, aut non intelligitur?

## QVINTA DISQVISITIO. An recte, & Quare Mystici in Contemplatione per negationem efferant remotiones per particulam super.

RESPONDEO. Cum ideo ad notitiam DEI enitamur per remotionem, dicamusque illum esse Nihil rerum visibilium, vel intelligibilium, quia est longissimo quodam interuallo supra omnia quæ videntur, aut intelliguntur, non potest hoc aptius significari, quam præpositione superlationis, qua DEI eminentia exprimitur, simulque indicatur, quicquid de Deo prædicatur esse in illo κατ' ἐξοχὴν, καὶ ὑπεροχικῶς vt frequenter Areopagita monet: præsertim cap. I. II. & 5. de Nominibus Diuinis vbi inter reliqua : DEVS non quouis modo, est Ens: sed ἁπλῶς, καὶ ἀπεριορίστως totum esse in se pariter complexus; & anticipans (προειληφὼς: nempe prius in DEO sunt & vitam habent, quam in se ipsis: in ipso vita erant, antequam essent) ex quo colligit esse supra omne ens. Et capite 3. *Vnum dicitur, quia est omnia vnice* (simplicissimo modo, absque vlla diuisione) *secundum excellentiam vnius vnitatis*: qua, vt omnia vn[illegible]ita entia omnia excellit. Plena ponderis sunt, quæ sequuntur Ἐν ᾗ πάντα ἑνικῶς συνῆκται, καὶ ὑπερήνωται, καὶ προέστιν ὑπερουσίως: *in qua*, nimirum vnitate, *omnia vnice sunt coniuncta, superunita, & praexistentia* SVPER-ESSENTIALITER. Sunt autem hæ loquendi

 formu-

formulæ apud Mysticos frequentissimæ: vt ex ijs quæ in sequentibus proferemus constabit. Clarissime autem pronuntiat Boetius lib. de Trinitate: DEVM non esse vere substantiam, sed vltra substantiam.

## SEXTA DISQVISITIO. An notitia DEI quæ habetur in Contemplatione per negationem, sit perfectior, illa quæ hauritur per adfirmationem?

RESPONDEO: Adfirmate. Est communis Mysticorum assertio, quam non semel docet Dionysius sæpe admonens, omnium detractione, & ipsa ignoratione, quibus verbis contemplationem negantem describit, DEVM melius, quam vlla adfirmatione, vel positione cognosci. Clarissimis verbis idem enunciat Ioannes Damascenus lib. 1. de fide cap. 4. vbi: *in* DEO, inquit, *impossibile est, quid-nam essentia sua, ac natura ipse sit dicere: aptiusq; est ex omnium rerum sublatione, atque inficiatione operationem habere: neq; enim eorum, quæ sunt quidquam est. Quod quidem non ita accipere te velim, quasi non sit: sed quia supra omnia, quæ sunt, ipse sit: atque adeo supra ipsum esse. Si enim eorum quæ sunt, cognitio est quod omnem superat cognitionem, & ipsum quoque super substantiam erit. Et id recurrit: quod super substantiam est, & id quoque super cognitionem erit.*

Postquam autem dixit: quomodo, quæ per Theologiam adfirmatiuam de DEO enunciantur, significent; subdit: *Sunt nonnulla, quæ tametsi per adfirmationem* de DEO *dicantur, pracellentis tamen negationis vim habent. Verbi gratia: cum de* DEO *verba facientes,* Tenebras *nominamus non caliginem animo proponimus, sed, quod lux non sit: verum lumine sublimior.* Hic igitur modus DEVM cognoscendi negat omnia, quæ de DEO dicuntur non propter imperfectionem: sed quia ipse omnia illa superiori quadam ratione antecellat.

Quo loco Damasceni Scholiastes, Notat: trifariam de DEO posse sermonem institui. *Primo,* per adfirmationem eorum, quæ perfectionem includunt. *Secundo*, quando negamus illi ea, quæ ipsi non cõueniunt, vt qui est incorporeus, inuisibilis, immẽsus, immutabilis, incomprehensibilis. *Tertio:* cum de DEO enunciatur quidpiam per omnium negationem: quæ etiam primo ac secundo modo illi tribuuntur. Nam diuina illa Maiestas excedit omnem substantiam, vitamque transcendit: nulla hanc exprimit lux: nulla bonitas, nulla pulcritudo. Et hic est perfectissimus DEVM cognoscendi modus.

Quibus assonat S. Cyprianus, Prologo ad librum de Cardinal.

Christi

Christi operibus. *Adfirmatio quippe*, vt ipse differit *de* DEI *essentia in promptu haberi non potest: neque enim diffinibilis est Diuinitas, sed verius, sinceriusque remotio indicat negando quid non sit, quam adserendo quid sit: quoniã, quicquid sensui subiacet, illud esse non potest, quod omnẽ superat intellectũ.*

Copiosius, & plane ad sensum Mysticorum Bonauentura. Post-quam enim descripsit modum Contemplandi per adfirmationem verbis supra recitatis Exercit. 1. DIS Q. 3. subnectit. Hæc est erectio per viam adfirmationis: sed alia est eminentior per viam negationis. Quoniam, vt dicit Dionysius, Adfirmationes incompactæ sunt: Negationes vero, licet videantur nihil dicere, plus tamen dicunt. Et hic modus erectionis est per abnegationem trium: quod in negationibus illis fit ordo, incipiendo ab inferioribus vsque ad superiora. Est etiam supereminentis positionis inclusio, vt cum dicitur: DEVS non est quid sensibile, sed super-sensibile: nec imaginabile; sed super-imaginabile: nec Intelligibile, sed super-intelligibile: nec existens hoc vel hoc: sed super omne ens. Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem: & altius eleuatur, & profundius egreditur, pro eo quod excedit se & omne creatum. *lib. de paruo Bono Par. 3.*

Et hic est nobilissimus eleuationis modus. Sed tamen ad hoc, quod sit perfectus præexigit alium: sicut perfectio illuminationem: & sicut negatio adfirmationem.

Exercebat se in illo Augustinus, & vt aliis facilis esset exercitatio modum præscribebat Enarratione in Psalmum 85. exponens illa: Non est similis tibi in Diis Domine. Quodlibet aliud cogitet homo, non est simile, quod factum est, illi, qui fecit. Excepto DEO, quicquid aliud est in natura rerum, factum est à Deo. Quantum interest, inter eum, qui fecit, & illud quod factum est, quis digne cogitet? Iste ergo dixit: Non est similis tibi in Dijs Domine, Quantum autem est dissimilis Deus? non dixit quia dici non potest.

Intendat, Caritas vestra, Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas, Non est hoc Deus. Mare cogitas, non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in terra, homines & animalia. Non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in mari; quæ volant per aerem. Non est hoc Deus. Ipsum Cœlum. Nõ est hoc Deus. Angelos cogita, Virtutes, Potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes. Non est hoc Deus. Et quid est hoc? Solum potui dicere, Quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris, vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit? *1. Cor 11.*

Hinc monent Mystici vt DEVM per negationes, remotionesq;

contemplator intueatur, oportere relicta terra, transcenso aere & igne, si quis alius sub lunæ concauo rutilat, Cælos ipsos & Angelos transilire. Quod fecisse putat Gregorius Nyssenus ardentissime ad dilecti amplexus aspirantem sponsam: indicasseque hanc suam mysticam disquisitionem, & post illam, sponsi delitias Canticorum III. vbi voces habentur sibi congratulantis. In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum per contemplationem adfirmatiuam, ambulans viam positiuam creaturarum, & non inueni. Interrogaui singulas: Numquid non tu DEVS meus? Num saltem, quem diligit anima mea vidistis? paululum cum pertransissem eas, inueni, quem diligit anima mea.

Nyss. hom. 6 Interrogauit illa inquit Nissenus: Numquid vos, quem diligit anima mea vidistis? Cum autem tacuissent ad eam interrogationem, & silentio indicassent, illis quoq; esse incomprehensibile id quod apud eas quæritur (Angelicas mentes cogita) postquam nimis curioso studio cogitationis egressa est illam supermundanam ciuitatem: tunc relicto vniuerso, quod inueniebatur, ita cognouit id, quod quærebatur, cuius omne signum, ac indicium cõprehendens, fit impedimentum ijs qui quærunt ad eius inuentionem. Propterea dicit: quamprimum parum ab eis transiui, relicta omni materia, & prætermisso vniuerso, quod intelligitur in creatura: & dimissa omni via, & ratione comprehendendi, inueni eum, qui diligitur.

Cum [...]gitur tam alte conscendendũ sit vt in hac contemplatione Deum apprehendamus perfectissimam oportet ex ea progigni Dei notitiam. In quo cum Mysticis sentiunt Scholastici. Certe Franciscus Suarez lib. 1. de essentia Dei, ob hanc causam clarum esse putat prædicata negatiua propriissime de Deo dici. Cum enim Deus perfectissimus sit, nihil verius de eo concipimus & loquimur siue lingua, siue mente, quam cum ab eo imperfectionem remouemus. Vt acute dixerit Damascenus loco superius indicato: *Cum Deus nobis incomprehensibilis sit: hoc solum de eo comprehendimus, quod incomprehensibilis sit.* Sic quoq; Iacobus Aluarez hanc notitiam appellat *perfectissimam.* Et Thomas à IESV inter adfirmatiuos & negatiuos de Deo conceptus idem in perfectione discrimen obseruat.

Aluarez. Tom. 3. lib. 5. Par. 1 Appar. 3. cap. 7. Tho lib. 5. de Contem. cap. 8.

RATIO est. Nam per negationem remouemus à Deo imperfectionem certam, quod propriissime fit, cum illam non habeat: per omnes negationes abstrahimus omnem aliam imperfectionem. At vero, dum aliquid adfirmamus de Deo, cum illud distincte, & adæquate non cognoscamus: sed confuse & velut in communi cum id

Deo

Deo adſcribimus, inuoluitur in conceptu reſpondente vocabulo quidpiam quod ita in DEO non reperitur. V.G. Apprehendis Deum vt bonum: quod dum facis, non concipis bonitatem Dei ſecundum propriam & adæquatam rationem qua in ipſo reperitur: ſed concipis perfectionem aliquam quæ proportione reſpondeat illi, quam in creatura appellamus eodem nomine: à quibus perfectionibus ſi abſtrahas conceptum communem, is non erit, niſi analogus ad perfectionem Dei & creaturæ.

## SEPTIMA DISQVISITIO. An ſola notitia Dei ex contemplatione per negationem ſit propria, illa vero quæ habetur per adfirmationem impropria?

MYſtici ita extollunt hoc contemplationis genus, vt ex omni alio improprium gigni conceptum aſſerant. Quod deinde deriuant ad prædicata, quæ formantur ex nominibus negantibus, & adfirmantibus, vt illa ſolum ſint propria: hæc neutiquam. Et videntur id inſinuare antiquiores: maxime, Dionyſius Areopagita, tum cap. II. de Theologia Myſtica vbi idcirco detractiones, ſiue negationes contra, ac affirmationes laudandas dicit: tum cap. 7. de diuinis nominibus, vbi fuſe probat, cum Deus omnia ſuperet, omnium detractione illum hominibus propriiſſime innoteſcere. Idem innuit Auguſtinus in libris de Trinitate. lib. 5. cap. I. vbi poſtquam dixit, intelligendum Deum, ſi poſſumus, quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia Creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mutabilia faciētem, nihilque patientem; ſubdit: Quiſquis Deum ita cogitat, etſi nondū poteſt omnino inuenire Quid ſit: *pie tamen cauet, quantum poteſt, aliquid de eo ſentire, quod non ſit.* Similia habet libro 6. cap. 4. & 6. & libr. 7. cap. 5. quib. conſentanea ſcribunt Iuſtinus Apologia I. Clemens Alexandrinus lib. I. ſtromat. Baſilius epiſt. 80. iterumque Auguſtinus ſermone I. de ver. Apoſtol. Tamen in nullo adhuc reperi, quod quidam dicunt eos ſcribere: Modum cognoſcendi per negationem eſſe proprium; per adfirmationem, improprium: Nec id dici debet: nam vt eſt demonſtratum exercitat. II. diſquiſit. 3. non omnia, quæ adfirmantur de Deo impropriè de illo dicuntur.

OCTA-

## OCTAVA DISQVISITIO. An, formetur conceptus in contemplatione per ablationes puras?

RESPONDEO: Adfirmate. RATIO. Quia in qualibet intellectione formatur conceptus de re, quæ intelligitur. Sed Contemplatio DEI, est aliqua eius intellectio. Maior constat, quia quælibet intellectio cum sit quædam actio vitalis habet terminum. Terminus autem intellectionis est conceptus, qui ab ipsa intellectione non distinguitur, saltem, reapse, & separabiliter. Eodem pacto probatur: in qualibet intellectione esse verbum mentis.

## NONA DISQVISITIO. An in Contemplatione per negationem Mysticus concipiat DEVM & cognoscat obiectiue, & immediate?

IMmediate intelligo in ratione obiecti, non autem in ratione medii: nam necessario intercedit species intelligibilis, & verbum mentis. RESPONDET itaque Carthusianus in Epilogatione Theologiæ Mysticæ Dionysii. In contemplatione DEI in vita præsenti, per adfirmatiua de ipso proprie non metaphorice dicta, cognosci Deum Quia est: attamen obiectiue, & immediate: ita vt non sit medium per quod in ratione obiecti: quamuis sit medium per quod in ratione species intelligibilis: quia per formas similitudinesque creatas, & non clare in se ipso cognoscitur. In Contemplatione autem, seu visione Mysticæ Theologiæ, qua DEVS per omnium ablationem & abnegationem cognoscitur, clarius & sublimius cognosci, ac videri, quam in contemplatione per adfirmantia, ideo & obiectiue, non tamen quid est, sed quia est per grandem tamen appropinquationem ad notitiam quidditatis.

RESPONDEO In Contemplatione per negationem concipi immediate DEVM in ratione obiecti. Probatur. In ea contemplatione DEVS immediate intelligitur. Ergo de illo immediate formatur conceptus. Consequentia est euidens. Antecedens probatur, quia, quod intelligitur per eam contemplationem est illud, quo ablatis perfectionibus creatis remanet: sed quod est supra omnes perfectiones creatas. Illud autem non est aliud quam DEVS. Constabit hoc magis ex sequentibus: est enim hic

DECI-

## DECIMA DISQVISITIO. Qualis conceptus formetur in Contemplatione per negationes meras.

RESPONDEO. Formari conceptum positiuum, & absolutum DEI. Itaque sublatis per negationes perfectionibus creatis relinquitur in anima pulcherrima species, forma, notio (idolum dicere: aut simulacrum de tecto) est tamen effigies venustissima, ac instar statuæ quidpiam: quicquid tandem sit, certe non corporeum quid aut materiale, quod mens attentissime ac suauissime contemplatur seu in quo sistit, & quiescit, ac quiescendo, & contemplando incredibili dulcedinis suauitudine perfunditur.

Ita Mystici sentiunt, qui exactius mysteria artis considerarunt & ad Scholasticæ regulas exigunt. Præclare Ioannes Gerson opusculo de simplicificatione cordis, vbi *notula 6.* monet posse contẽplantem figere intellectum in recognitione boni non huius vel illius figurati, corpulenti, vel colorati: & consequenter ferri voluntatem in dilectionem absolutam primi, & veri boni, quod non est bonum per participationem. Eodemque modo versari posse intellectum circa potentiam, sapientiam, iustitiam, & Deitatem. *Quod si quæsieris*, inquit, *an conceptus huiusmodi sint absoluti, & proprii Deo? Visum est hactenus mihi quod ita, saltem de possibili: hoc est; Quod in via meditans, & abstractiuus intellectus possit formare sibi conceptus absolutos, & proprios conuenientes soli Deo: qui dent notitiam propriam & absolutam de eo, licet non intuitiuam.*

Deinde notula 7. hinc ait intelligi posse Mysticam Theologiam, quatenus distinguitur à Symbolica. Quod hæc per similitudines repertas in rebus attribuat Deo quicquid perfectionis videtur esse in rebus creatis. Quo pacto dixit D. Bartholomæus, vt Areopagita refert Euangelium esse latissimum: Mystica autem procedat per abstractionem, modo opposito præcedenti. Nam ille quicquid est, adfirmat de Deo: iste prorsus negat de Deo omnia: & ita breuissimũ est, vt idem Bartholomæus aiebat Euangelium. Subiungit Gerson notula 8. quo probatur, quod respondimus.

Exemplum palpabile dat Dionysius Areopagita pro manuductione huius Theologiæ Mysticæ. Considera fabricatorem statuarum. Nonne hic format imaginem vel statuam, non addens quicquã, sed rescindens, & remouens? Ex hac autem subtractione remanet agalma (id est, simulacrum) pulcherrimum, imago pulchra figurata, vel sculpta. Sic agit suo modo meditantis animus: dum ab hoc con-

ceptu vago (connotatiuo ſcilicet, hoc ens, & illud ens: qui conceptus habetur ex rebus exterioribus ſenſatis) intra facit abſtractionem, modo prædeclarato: remouendo ab hoc conceptu vago quicquid eſt imperfectionis in entibus cognitis per phantaſmata. Et quia nullum eſt cauſſatum ens, quin ſit imperfectum, negat merito omne ens tale à Deo: quia diminutum, quia dependens, quia potentiale, quia defectibile. Et ita de reliquis imperfectionibus.

Qua abſtractione facta dici nequit, quod nihil remaneat cognitum in abſtrahentis animo: quin potius reſultat agalma pulcherrimum: ſeu iuxta communiorem Philoſophorum loquutionem remanet conceptus entis perfecti, denudatus ab omni imperfectione. Et huiuſmodi eſt proprius Dei conceptus abſolutus, licet non intuitiuus. de quo Dominus ad Moſen: Ego ſum, qui ſum. Hæc dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. Et hoc modo iuxta verbum propheticum eſt vnum nomen Domini Dei.

*Gerſon not 9. Bona. Itiner. mēt. in Deum cap. 5.*

Confirmat hoc ſuum dictum Gerſon auctoritate tum Ioannis Damaſceni, aientis: nomen ens dicere ſubſtantiæ pelagus infinitum: tum Bonauenturæ adfirmantis: Eo modo acceptum ens eſſe proprium nomen Dei: tum Hebrçorum, aſſerentium: Nomen tetragrammaton ſignificare Deum abſolute, non per reſpectum ad creaturas. Quod qualiter eſſet dicendum, niſi poſſet haberi conceptus huiuſmodi abſolutus non ſatis intelligo, inquit Gerſon. Et ſubdit.

Videntur fortaſſe talia falſa vel impoſſibilia non exercitatis in abſtractione talium conceptuum. Non enim videtur eis dum intelligunt Ex. G. hominem, niſi vt eſt animal rationale, & ſemper veſtitū circumſtantia aliqua loci, temporis, & aliorum accidentium, & cognoſcendo animalitatem, vt quid commune multis, atque actum ratiocinationis, vt proprium. Redargutio autem talium hominum magis eſt facienda monitione, vt vim ſui cordis intellectualis attendāt, quam ſtudioſa ratiocinationis oſtenſione. Alioquin ſic agitur cum eis, quaſi ſi cçco alicui aut nycticoraci ſolis radius digito monſtratus, quæratur, an videat?

*Thom Ieſu lib. 5. de contempl. Alu to. III. lib. 5 part I. appar. XII. cap. 7. II. Cor. 4. 6 Pſal 17. 12*

Conceptum etiam abſolutum, ſaltem confuſum & generalem agnoſcit in hac ſpecie contemplationis Thomas à IESV. Et conſentit Iacobus Aluarez. *Nam ſic omnia creata negamus, & abiicimus*, inquit, *vt nequaquam vacui remaneamus: ſed aliquem de Deo conceptum formemus: Qui neque eſt lucis, neque ignis, neque alicuius rei ſenſibilis, aut intelligibilis ex his quæ creata ſunt: ſed eſt Dei increati & immenſi à quo omne creatum, veluti imperfectum, ac limitatum remouimus. Ipſe autem Dominus, qui dixit, de tenebris lucem ſplendeſcere ſolet in his tenebris, quas latibulum ſuum poſuit ali-*

quid

*quid sui manifestare, quod omne illud à nobis per adfirmationem positum in immensum excedit.*

Sunt hæc admodum consentanea præceptionibus Augustini, illiusque de Deo considerationibus. Sic enim ille alicubi per subtractionem rerum perfectionumq; creatarum conceptum fabricatur, & effingi iubet. Locus est insignis in octauo de Trinitate: vbi decernit, Non esse in Trinitate maius aliquid duas, aut tres personas, quam vnam earum. *Quod non capit*, inquit, *consuetudo carnalis, non ob aliud, nisi quia vera quæ creata sunt, sentit, vt potest: veritatem autem ipsam, quæ creata sunt non potest intueri.* At *Trinitas Deus vnus, solus magnus, verus, verax, veritas est.* Quem si cogitare conamur, quantum sinit & donat, nullus cogitetur per locorum spacia contactus, aut complexus, quasi triũ corporum: nulla compago iuncturæ, sicut tricorporem Geryonem fabulæ ferunt: sed quicquid animo tale occurrerit, vt maius sit in tribus, quam in singulis, minusque in vno, quam in duobus, sine vlla dubitatione respuatur. Ita enim respuitur omne corporeum. *Aug. lib. 8. de Trin. cap. 1.* *cap. 2.*

In spiritalibus autem, omne mutabile quod occurrerit, non putetur Deus. Non enim paruæ notitiæ pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus (per contemplationem Mysticam) si antequam scire possumus, quid sit DEVS, possumus iam scire, quid non sit. Non est enim certe nec terra, nec cælum: nec quasi terra, & cœlum: nec tale aliquid, quale videmus in cœlo: nec tale aliquid quicquid non videmus, & est fortassis in cœlo. Nec si augeas imaginatione cogitationis lucem solis quantum potes, siue quo sit maior, siue quo sit clarior, millies tantum, aut innumerabiliter, neque hoc est Deus. Nec sicut cogitantur Angeli mundi spiritus cœlestia corpora inspirantes, atq; ad arbitrium, quo seruiunt Deo mutantes, atque versantes: nec si omnes, cum sint millia millium in vnum collati vnus fiant, nec tale aliquid Deus est. Nec si eosdem Spiritus sine corporibus cogites: quodquidem carnali cogitatione difficillimum est. *Apocalyp. 5. 11.*

Ecce vide, si potes, ô Anima prægrauata corpore quod corrumpitur, & onusta terrenis cogitationibus multis & variis: ecce vide si potes: DEVS veritas est. Hoc enim scriptum est: Quoniam DEVS lux est: non quomodo isti oculi vident: sed quomodo videt cor, cum audit: Veritas est. Noli quærere: quid sit Veritas? Statim enim se opponent caligines rerum corporalium, & nubila phantasmatum: & perturbabunt serenitatem, quę primo ictu diluxit tibi, cum dicerẽ, Veritas. Ecce in ipso primo ictu, quo velut coruscatione perstringeris, cum dicitur, veritas, mane si potes: sed non potes. Relaberis in ista solita *1. Ioan. 1. 5.*

lita, atque terrena. Quo tandem pondere, quæso, relaberis, nisi sordiũ contractarum cupiditatis visco, & peregrinationis erroribus. Non potuisset verius & elegantius.

Idem deinde ostendit in abstractione conceptus, quo menti obiiciatur Bonitas DEI post remotionem omnis boni creati. Et est quodammodo paradigma Contemplationis mysticæ per negationes. *Ecce iterum vide, si potes.* Non amas certe nisi bonum: quia bona est terra altitudine montium, & temperamento collium, & planitie camporum: & bonum prædium, amænum, ac fertile: & bona domus paribus mẽbris disposita, & ampla, & lucida: & bona animalia: animata corpora: & bonus aer, modestus, & salubris: & bonus cibus, suauis, atque aptus valetudini: & bona valetudo sine doloribus, & lassitudine: & bona facies hominis, dimensa pariliter, & adfecta hilariter, & luculenter colorata: & bonus animus amici cõsensionis dulcedine, & amoris fide: & bonus vir, iustus: bonæ diuitiæ, quia facile expediunt: & bonum cœlum, cum Sole & Luna: & stellis suis: & boni Angeli sancta obedientia: & bona loquutio, suauiter docens, & congruenter mouens auditorem: & bonum carmen, canorum numeris, & sententijs graue.

*August. lib. 8. de Trin. c. 3.*

Tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum, si potes: ita DEVM videbis: nõ alio bono bonum: sed bonum omnis boni. Neq; enim in his omnib. bonis, vel quæ cõmemoraui, vel quæ alia cernuntur, siue cogitantur, diceremus aliud alio melius cum vere iudicamus: nisi esset nobis impressa notio ipsius Boni, secundum quod & probarèmus aliquid, & aliud alii præponeremus. Hic conceptus est boni: iam sequitur affectus.

Sic amandus est DEVS: non hoc & illud bonum: sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui superuolitet iudicando, sed cui hæreat amando. Et quid hoc nisi DEVS? Non bonus animus aut bonus Angelus, aut bonum cœlum: sed Bonum-Bonum.

Cum itaque audis, bonum hoc, & bonum illud: quæ possunt alias dici etiam non bona: si potueris sine illis, quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum, cuius participatione bona sunt, simul enim & ipsum intelligis, cum audis hoc, aut illud bonum. Si ergo potueris illis detractis per seipsum perspicere bonum, perspexeris DEVM. Et si amore inhæseris, continuo beatificaberis. Pudeat autem, cum alia non amentur, nisi quia bona sunt eis inhærendo; non amare Bonum ipsum, vnde bona sunt.

*Deus quomodo inconceptibilis, & ineffabilis.*

De eiusdem formatione conceptus præclara est disputatio August. in primo de Doctrina Christiana: Vbi de ineffabilitate DEI agẽs: *Dixi-*

*Diximus ne*(inquit)*aliquid,& sonuimus aliquid dignũ* DEO? Imo vero me nihil aliud quam dicere voluisse sentio. Si autem dixi, non est hoc, quod dicere volui. Hoc vnde scio, nisi, quia DEVS ineffabilis est. Quod autem à me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset. Ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est DEVS, quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur. Et fit, nescio, quę pugna verborum: quoniam, si illud est ineffabile, quod dici non potest: non est ineffabile, quod, vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborũ silentio cauẽda potius, quam voce pacanda est. *Aug. 1. de Doct. Christ. c. 6.*

Et tamen DEVS, cum de illo nihil dignę dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est, quod dicitur DEVS. Non enim reuera instrepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur: sed tamen omnes linguæ latinæ scios cum aures eorum sonus iste tetigerit, mouet ad cogitandam excellentissimam quandam, immortalemque naturam.

Nam, cum ille vnus cogitatur Deorum Deus, ab his etiam, qui alios & suspicantur, & vocant, & colunt Deos siue in cœlo, siue in terra, ita cogitatur, vt aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius illa cogitatio conetur attingere. Sane quoniam diuersis mouentur bonis partim iis, quæ ad corporis sensum, partim iis, quæ ad animi intelligentiam pertinent. Illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cælum, aut quod in cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum Mundũ Deum Deorum esse arbitrantur. Aut, si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel ea forma quæ optima videtur inani suspicione constituunt: aut humani corporis figuram cogitant, si eam ceteris anteponunt.

Illi autem, qui per intelligentiam perguntvidere, quod DEVS est, omnib. eum naturis visibilibus, & corporalibus intelligibilibus etiam, & spiritalibus omnibus mutabilibus præferunt. Nec quisquam inueniri potest, qui hoc DEVM credat esse, quo melius aliquid est. Hæc Augustinus.

Talis igitur formatur conceptus de DEO per remotionem omnium perfectionum creatarum, qui rei nulli creatæ conueniat, & in quo sit perfectionum vniuersarum nobilissimarum, & illimitatarum complexio. Et hic est conceptus Entis omni ex parte, ac genere Infiniti. Nam si hoc, modo aliquo apprehendatur, erit in apprehensione, quidpiam continens perfectiones omnes possibiles, aut cogitabiles absque vllo termino, vel formaliter, vel eminenter.

Hoc autem ipsum, quamuis positiuum, per negationem exprimitur, qui alio modo loquutione nostra manifestari non potest: &

Q 3 non

non est aliud, quam summa, & nunquam satis explicabilis, quia intellectui creato incomprehensibilis Dei perfectio.

Porro conceptus ille est illud agalma, statua, vel simulacrum, quod à Contemplatore Mystico, tanquam sculptore effingi dicit Areopagita. Quo exemplo efficacissime probatur ex mente Dionysij Mysticorum Principis, per Contemplationem via negationum completam, fabricari in mente positiuum conceptum. Siquidem postquam Sculptor è ligno, vel marmore, primum securi aut malleo partes crassiores: tum scalpro minutiores artificiose dempsit, induxitque in rebellantem antea materiam lineamenta Imperatoris, sicque membra singula distinxit, remanet vera imago, quæ perfecte, secundum Artificis maiorem minoremque peritiam, aut industriam Cæsarem repræsentat. Haud sequus, subductis à Contemplante, ingenij mystici scalpello creatarum perfectionum, velut superuacaneis, ad statuam hanc omnibus absolutam numeris conficiendam, particulis, prosilit conceptus DEI, qui exquisitius, quam quilibet alius, ex perfectionibus creatis formatus DEVM exprimit, & manifestat.

Conducit ad Responsi huius firmitatem, quod Scholastici docent, dum de attributo Infinitatis disputant. Illud enim & negatiuũ est, & eius nihilominus consideratio conceptum parat positiuum. Cum autem varius sit modus apprehendendi Infinitatem DEI vt declarat Leonardus Lessius lib. 1. de Perfectionibus Diuinis cap. 5. tum ille ad nostrum institutum, est accommodatissimus, qua concipitur per abstractionem. Quemadmodum enim natura humana, si abstrahatur ab indiuiduis apprehenditur, tanquam Infinitum quidpiam in illa specie: nempe vt idea aliqua Platonica æquiualens infinitis indiuiduis, ijsque communicabilis: ita, si abstrahatur ipsum esse ab omnibus entibus concipietur per modum alicuius subsistentis in genere Entis infinitum, cuius participatione reliqua omnia rationem Entis habeant. Ita concipi permittunt infinitatem Dei Dionysius, & illius insistens vestigiis, S. Thomas dum vocant DEVM Ipsum esse: nempe tale quid, quod detractione omnis limitationis ex ente remanet, & cuius participatione, quicquid est, vel esse potest essentiam participat.

S. Thom. 1. P. q. 3. art. 11. ad 3. & q. 7. art. 1. ad 3. q. 44. art. 1. in cor. Dionys. ca. 5. de diuin. nomin.

VNDE-

VNDECIMA DISQVISITIO. Quod sit discrimen inter Meditantem, & Contemplantem per viam negationis & remotionis?

RESPONDEO. Quod Meditans, more philosophico, ratiocinando, diuersis discursibus, nunc vnam, perfectionem limitatam, nunc alteram à Deo remoueat: tandemq; omnes cogitatione seiungat. Quod absque magna difficultate potest contingere. Nec enim hoc magis arduum est Diuina animo versanti assueto, quam quidlibet aliud de DEO inuestigare. At vero Contemplans non tam in eo est, vt quicquid sub sensum cadit, aut intelligibile est humano more à Deo segreget negando, quam vt conceptum aliquem positiuum in se effingat, & quidpiam increatum absque vlla imagine creaturæ internis oculis intueatur. Habet hoc discrimen Iacobus Aluarez Tom.3.lib.5.Parte 3.cap.7.

DVODECIMA DISQVISITIO. Quo principio effectiuo eleuetur potentia Contemplantis ad Contemplationem hanc altissimam per modum negationis & remotionis?

RESPOND. Certum est fieri posse, & aliquando contingere absq; habituali vllo principio, per solum auxiliũ gratiæ actuale. Quod si habituale interueniat illud præter habitum fidei existimat S. Thomas, esse Donum Intellectus. Ita pronunciat S. IIdæ quæst.8.art.7. vbi disputans, An Dono intellectus respondeat sexta beatitudo: scilicet, Beati mundo corde. Scribit in ea Beatitudine contineri & munditiam cordis per modum meriti: & visionem DEI per modum præmij. Vtrumque autem aliquo modo pertinere ad Donum intellectus.

Est enim duplex munditia: vna præambula, & dispositiua ad DEI visionem; quæ est depuratio adfectus ab inordinatis adfectionibus. Atque hæc quidem munditia fit per virtutes ac dona spectantia ad vim appetitiuam. Alia munditia cordis est quodammodo completiua respectu visionis diuinæ. Nempe munditia mentis depuratæ à phantasmatis & erroribus: vt scilicet ea, quæ de DEO proponuntur non accipiantur per modum corporalium phantasmatum: nec secun-

fecundum hæreticas peruerfitates. Hanc autem munditiam facit Donum intellectus.

Similiter, duplex eft Dei vifio: vna quidem perfecta per quam videtur intuitiue Dei effentia. Alia imperfecta; per quam etfi non videatur de Deo Quid eft; videmus tamen, Quid non eft. Et tanto in hac vita Deum perfectius cognofcimus, quanto magis intelligimus eum excedere quicquid intellectu comprehenditur. Vtraque autem hæc Dei vifio pertinet ad Donum-intellectus. Prior quidem ad Donum-Intellectus confummatum, fecundum quod erit in patria. Pofterior ad Donum intellectus inchoatum fecundum quod habetur in via.

His congruentia habet in III. dift. 34. q. 1. art 4. in corp. & dift. 35. quæft. II. art. II. quæft. 2. vbi fcribit, Intellectus donum ad fpiritualia ingredi (ita loquitur) per viam remotionis dum à fpiritualibus viam, quæ in corporalibus reperitur, remouet. In ftatu ergo viæ intellectus ingreditur ad fpiritualia hoc modo, maxime ad diuina, quia in hoc perficitur cognitio humana fecundum ftatum viæ, vt intelligamus, Deum ab omnibus feparatum fuper omnia effe, vt dicit Dionyfius lib. de myftica Theol. ca. 4. & 5. Et adhoc peruenit Mofes, qui Exodi 19. dicitur intraffe ad caliginem, in qua Deus erat. Et propter hoc etiam, quantum ad ftatum viæ, munditia ponitur in fexta beatitudine, quæ refpondet dono intellectus, quæ pertinet ad depurationem intellectus ab omnibus corporalibus. Ita differit S. Thomas quam vere, innotefcet ex iis, quæ de habitu Theologiæ-Myfticæ difputabimus poftea.

## TERTIA-DECIMA DISQVISITIO. A qua potentia effectiue procedat contemplatio remotiua. Sit-ne actio, vel pura paffio? Sit-ne tãtummodo experimentalis in adfectu, an inhæreat etiam in intellectu?

DE his dubitatum olim fuiffe, aut quæfitum reperio, quæ nunc liquent. Certe, fi quæ de fubiecto proximo huius Theologiæ fuperius examinauimus, perpendantur, ceffat dubitandi ratio. Contemplationem enim omnem vtriufque viæ elici ab intellectu probauimus, redundare in affectum: à quo etiam ducat initium. Certabant tamen antehac Scholarum Magiftri. Dionyfius Richelius Commenta-

mentariolo in Mysticam Theologiam Areopagitæ. *An, inquit, notitia illa* nimirum per negationes perfectionum remotiuas, *sit solum experimentalis in affectu supremo Deitati per amorem vnito: an vero possit dici etiam intellectualis, non quidem intuitiua, sed abstractiua; & non solum connotatiua, sed absoluta, consideratione, & inquisitione dignissimum esset. Nam habet pars quælibet suos eleuatissimos defensores. Sunt nempe, qui exponentes Dionysium primum tenent. Sunt alij dicentes, posse haberi vltra prædictam experimentalem, seu experimentatiuam de Deo notitiam intellectiuam, conceptum proprium absolutum esse diuini, quamuis non intuitiuum, si imperfectio ab ipso remoueatur, & abstrahatur. Idem de vita, de bonitate, de sapientia, de potentia, & consimilibus prædicatis perfectionalibus dicunt. Flecti videtur in istam sententiam Augustinus in pluribus locis, præsertim de Trinitate, docens ibi ferri in bonum absolutum. Bonauentura quoque in Itinerario cap. 6. vnde videtur, quod abstracta ab ipso esse omni potẽtialitate, depẽdentia, priuatione, & alia omni imperfectione, ac finitate, resultet conceptus Dei absolutus, ac proprius.* Sed de hoc superius satis superque est actum.

## QVARTA-DECIMA DISQVISITIO. An sit aliquod inter contemplantes via negationis discrimen?

RESPONDEO. Esse in perfectione. Quidam enim magis penetrant depuratum illud ab omni imperfectione obiectum, in quod oculus mentis tendit, cum alii videantur versari tantum in superficie, nec ad intima admitti. Dionysius Richelius loco indicato. In hac cognitione Dei est gradus & ordo: ita quod vnus sic cognoscentium Deum cognoscit cum multo perfectius, & clarius, quam alius. Causa namque ex suo effectu tanto perfectius cognoscitur, quanto per effectum plenius apprehenditur habitudo causæ ad suum effectum: quæ habitudo in effectu non pertingente adæquationem suæ causæ attenditur, penes tria: videlicet, quo ad progressum effectus à causa: & secundum hoc, quod effectus consequitur plus de similitudine suę causæ: atque secundum hoc, quod deficit à perfecta eius consequutione.

Sicque mens humana tripliciter proficit in cognitione Dei ex suis effectibus. *Primo*: secundum quod perfectius cognoscitur efficacia Dei ad producendum. *Secundo*: prout nobiliorum effectuum noscitur esse causa. Cum enim causata aliquam similitudinem Dei gerant eminentiora, quæ illi similiora sunt, excellentiam eius magis commendãt. *Tertio*: prout cognoscitur magis elongatus, ac eminens

à cunctis creaturis, & ab omnibus, quæ resplendent, & sunt in illis. Vnde de diuinis nomin. Dionysius scribit, quod cognoscatur Deus ex omnium causalitate, & excessu, & elongatione.

In hoc demum cognitionis profectu maxime iuuatur mens humana, dum naturale lumen ipsius confortatur supernaturali lumine fidei, ac doni sapientiæ, & intellectus, ac noua illustratione superna, quæ per mentis puritatem, & virtuosam conuersationem adipiscuntur. Per quæ omnia mens in contemplatione supra se eleuatur, in quantum cognoscit Deum esse supra omne, quod apprehendit. Verumtamen, quia ad eius essentiam videndam nequit pertingere, dicitur in se ipsa quasi reflecti, ab illius lumine superexcellenti, iuxta illud quod dicit in Genesi Iacob: Vidi dominum facie ad faciem. *Quocirca scribit Gregorius*: Visus animæ dum in Deum intenditur immensitatis illius coruscatione reuerberatur.

## QVINTA-DECIMA DISQVISITIO. Conceptus in cõtemplatione per negationes proueniens, sit ne vnius qualitatis in omnibus Mysticis?

*Aluarez tom. III. li. 5 par. 1 ap. par. III. c. 7*

RESPONDEO. Nequaquam. Siquidem tum ratione gratiæ cooperantis, tum ratione subiecti, & aliarum conditionum in aliquibus est valde clarus, in aliis obscurior. Obseruat id Iacobus Aluarez Pazius, qui conceptum illum duplicem facit. Ita vt vnusquidem efficiatur per communem gratiam, qua plerique omnes viræ contemplatiuæ addicti in suis exercitationibus iuuãtur dum labore proprio & industria mẽtis operationibus vacant: alter vero habeatur singulari quodam DEI benignius influentis, & animum illustrantis fauore. Inter hos autem Mysticis Contemplationibus assueti hanc experimento notant differentiam. Quod prior ille magno labore expressus, sit obscurus admodum, & valde confusus: idoneus tamen vt intellectum detineat, & occupet, voluntatem vero ad amorem DEI non mediocriter inflammet. Animus enim in DEVM, quẽ omnibus rebus superiorem concipit, & velut immensum essendi pelagus, mergitur quodammodo, vt loquuntur Mystici, & ab omni creaturarum cogitatione liber & expeditus facilius & efficacius toto mentis nullo nexu ligatæ detentæque impetu ad Deum feruentissime amandum fertur. Posterior vero conceptus multo est illustrior ac sublimior, magnamque claritatis illius, qua in patria beatorum mentes splendescunt, quantum quidem permittit mortalium status, continet li-

eet nebula tegi dicatur, sitque si simpliciter loquendum caliginosus.

Exemplo demonstrant, quod diximus Mystici: habet illud Iacobus Aluarez, estque ad declarationem rei non omnibus obuiæ admodum opportunum. Cernere est nonnunquam Mare, ita nube aut nebula operiri, vt nihil illius oculis pateat. Quod fit, cum, vt est Iobi 38. Dominus ponit nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ obuoluit. Fac ergo duos homines per cliuum montis ex cuius summitate mare videatur iter facere: quorum alter mare quidem viderit, alter viderit nunquam. Ille interrogatus ab isto, quale sit Mare? respondet: Mare non est vt stagnum, non est puteus, non est vt lacuna, non vt fons, non est, vt torrens: sed aliquid in immensum maius: non est, vt flumen, quantumuis magnum sed in infinitum copiosius. Inter hos autem colloquentium sermones veniunt ad verticem montis ex quo aspicitur mare. Tunc dicit ille qui interrogabatur Heus tu. Ecce Mare. Hic autem aspiciens videt nebulam mari offusam, cuius nullum terminum reperit: videt, & ad tantam immensitatem obstupescit. Solet autem ea nebula nunc obscurior esse ac densior, nunc clarior, ac rarior: pro illius autem diuersitate, magis aut minus, quid sit infra nebulam, innotescit. *Iob. 38. 9.*

Dominus dixit, vt habitaret in nebula ait Salomon 3. Regum 8. 12. vere ita est, & hoc veluti pallio obuolutum DEVM considerant Contemplatores. Dicunt, & vere dicunt: Tu Deus altissimus non es Ens, vt ego Ens concipio: sed super omne Ens. Tu non es bonus, vt ego apprehendo, sed super omnem bonitatem à me intelligibilem. Non es sapiens, vt ego quidem cogito: sed super omnem sapientiam à me, vel homine cogitabilem. Es igitur super-sapientissimus, super-optimus, super-essentialissimus. Ita te Deum meum cogito, sed reuera non nisi in nebula, è qua stricturæ quædam emicant, & in oculos incurrunt, quibus dum illustror, aliquid videre videor, sed quod video, non plene intelligo, ideoque nec omnino video. Hoc tantum dicere habeo, quod quem intelligere conor, quam diu hanc nebulam non disrumpit, sit inuisibilis. Eum itaque inuisibilem, & sub nebula latentem colo, ac veneror, & vt visibilis mihi fiat deposita hac, quam circumfero, mortalitatis sarcina obsecro.

## Sexta-decima Disqvisitio. An sit vtilis hic Contemplandi modus?

Opusc. de paruo bono par. III.

AD experientiam prouoco, qua eruditus Bonauentura. *Hic*, inquit, *modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior: tanto fructuosior, quanto adfectio proximior, & ideo vtile valde est in illa exerceri.* Quod probant, qui assuescunt ab omni creaturarum cogitatione mentem abducere, quo enim magis ab ijs recedunt, eo fiunt Deo propiores, & magis sincerissimi amoris flammis inardescunt erga illum, quem præsentem intellectualiter intimo quodam sensu percipiunt.

Richard. in Cant. ca. 5.

Eo autem præsente, vt Richardus Victorinus præclare differit, innouatur anima, & quasi ei adhærens sentit interni gustus dulcedinem, intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, caritatis incentiuum, compassionis adfectum, iustitiæ zelum, delectationem virtutum. Habet in oratione cum Deo familiare colloquium audiri se sentiens, plurimumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, & audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, & interdum eum conuincens.

Non est itaque, vt tempestiue monet Aluarezius illa notitia arida, quam de Deo post omnium subtractionem habent Mystici Contemplatores; è qua in voluntatem tam præstantes affectus emergunt. Quod si non alius fructus inde decerperetur, quanti faciendus esset reuerentialis ille timor, quem concipit efficacissime, ac viuacissime, qui dum Deum rebus omnibus in infinitum maiorem cogitat, Nihil esse eorum, quæ in hominum sensum incurrunt, cum insigni quadam erga tale tantumque Numen subiectione profitetur. Ex omnibus hactenus disputatis, expeditur

## Septima-decima Disqvisitio. Quamobrem Mysticus vtatur Contemplatione subtractiua perfectionum omnium?

RESPONDEO. Non idcirco, quod sentiat, in Deo non esse perfectiones aliquas, cum sint omnes possibiles in eo siue formaliter, siue eminenter: sed quod cum sciat non esse in Deo illas, sicut nos concipimus, at longo eminentiori modo, quem nos ignoramus, existimet hoc melius apprehendi, & cognosci per negationes, quam per adfirmationes.

Itaque

Itaque cogitat DEVM non esse solem, lunam, cœlum: non ignē, aerem, lucem: non florem, herbam, plantam. Non aurum, argentum, gemmam: sicut reuera non est: Sed his omnibus quidpiam longe excellentius. Ascendit deinde altius, & cognoscit DEVM, non esse sapientiam, prudentiam, iustitiam, bonitatem: imo nec substantiam. An ergo accidens? multo minus. Sed conceptionem hanc format; quia est sapientia quædam super omnem creatam, & à nobis perfecte cognoscibilem sapientiam: est prudentia super omnem prudentiam, bonitas super omnem bonitatem: iustitia super omnem iustitiam: substantia denique super omnem substantiā. Substātia mea tanquam nihilum apud te, aiebat regum illuminatissimus. Idcirco appellatur à Mysticis supersapientissimus, super-optimus, super-potentissimus, super-substantialissimus, super-essentialissimus, super-ens. *Psal. 38. 6.*

Pulchre Augustinus, & contemplantis ritu, miscens adfirmatiuis negatiua pro adfectus mystici protuberātia. Quid es Deus meus? Quid rogo nisi Dominus Deus? Quis enim Dominus, præter Dominum? aut, quis DEVS præter DEVM nostrum. Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime, & iustissime, secretissime, & præsentissime, pulcherrime, & fortissime: stabilis & incomprehensibilis: immutabilis, mutans omnia: nunquam nouus, nunquam vetus: innouās omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt. Semper agens, semper quietus: colligens, & non egens: portans, & implens, & protegēs, & creans, & nutriens, & perficiens. Quæris, cum nihil desit tibi: amas, nec æstuas: zelas, & securus es: pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, & non mutas consilium: recipis, quod inuenis, & nunquam amittis. Nunquam inops, & gaudes lucris. Nunquam auarus, & vsuras exigis. Supererogatur tibi, vt debeas, & quis habet quicquā nō tuū. Reddis debita nulli debens: donas debita, nihil perdens. *August. lib. 1. conf. ca. 4.*

Sed quoniam cum de DEO quidpiam dicitur, nihil dicitur ob summam, & incomprehensibilem eminentiam negationibus explicari solitam, subiungit. *Quid dicimus* DEVS *meus, vita mea, dulcedo mea sancta? aut, quid dicit aliquis, cum de te dicit?*

## OCTAVA-DECIMA DISQVISITIO. Cur difficillima sit Contemplatio Mystica per puras negationes?

RESPONDEO. Quia cum admodum sit difficile DEI conceptum formare, absque imaginibus corporeis, difficilius multo est ali-

quem effingere, subtractis quoque intelligibilibus formis, vt hæc contemplatio postulat. Hanc difficultatem se expertum fatetur Augustinus: & quomodo paulatim per viam discursus, ac meditando, ad puriorem conceptum per subtractionem constituendum peruenerit indicat. Idemq; experimento discunt initio suæ exercitationis mystici, quorum quilibet dicere potest, quod magnus ille Doctor, sed tunc temporis in mystica rudis, quia tyro.

*Aug. lib. 7. Conf. ca. 1.* Cogitare aliquid substantiæ, nisi tale non poterã, quale per hos oculos videri solet. Nec te cogitabam DEVS in figura corporis humani, ex quo audire aliquid de sapientia cæpi: semper hoc fugi, & gaudebam, me hoc reperisse in fide spiritalis Matris nostræ Catholicæ Ecclesiæ tuæ. Sed quid te aliud cogitarem non occurrebat. Et cogitare te conabar homo, & talis homo summũ, & solũ & verũ DEVM: & te incorruptibilem, & inuiolabilẽ, & incommutabilẽ totis medullis credebam: quia nesciens vnde, & quomodo, plane tamen videbam, & certus eram, id quod corrumpi potest, deterius esse, quam id quod non potest: & quod violari non potest, incunctanter præponebam violabili; & quod nullam patitur permutationem, melius esse, quam id, quod mutari potest.

Clamabat violenter cor meum aduersus omnia phantasmata mea: & hoc vno ictu conabar abigere circumvolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ. Et vix dimota in ictu oculi ecce conglobata rursus aderat, & irruebat in aspectum meum. Vt, quamuis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer, per spacia locorum, siue infusum mundo, siue etiam extra mundum per infinita diffusum: etiam ipsum incorruptibile, & inuiolabile, & incommutabile, quod corruptibili, & violabili & commutabili præponebam. Quoniam quicquid priuabam spaciis talibus, Nihil mihi esse videbatur. Sed prorsus Nihil, ne inane quidem, tanquam, si corpus auferatur loco, & maneat locus omni corpore vacuatus, & terreno, & humido, & aereo & cælesti sit locus inanis, tanquam spaciosum Nihil.

Ego itaque incrassatus corde nec mihi-met ipsi vel ipse conspicuus, quicquid nõ per aliquãta spacia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet, aut capere posset, NIHIL prorsus esse arbitrabar. Per quales enim formas ire solent oculi mei, per tales imagines ibat cor meum. Nec videbam hanc eandem intentionem, qua illas ipsas imagines formabam non esse tale aliquid, quæ tamen ipsas non formaret, nisi esset magnum aliquid.

Ita

Ita etiam te vita vitæ meæ grandem per infinita spacia vndique cogitabam penetrare totam mundi molem, & extra eam quaquaversum per immensa sine termino: vt haberet te terra, haberet cœlum, haberent omnia: & illa finirētur in te, tu autem nusquam. Sicut autem luci solis non obsisteret aeris corpus, aeris huius, qui supra terram est, quo minus per eum traiiceretur; penetrans eum, non dirumpendo, aut concidendo, sed implendo eum totum. Sic tibi putabam, non solum cœli, & aeris, & maris: sed etiam terræ corpus peruium, & ex omnibus maximis, minimisque partibus penetrabile ad capiendam præsentiam tuam, occulta inspiratione, intrinsecus, & extrinsecus administrantem omnia, quæ creasti.

Ita suspicabar, quia aliud cogitare non poteram: nam falsum erat: illo enim modo, maior pars terræ maiorem tui partem haberet, & minorem minor: atque ita Te plena essent omnia, vt amplius tui caperet elephanti corpus, quam passeris: quo esset isto grādius, grandioremque occuparet locum; atque ita frustatim partibus mundi magnis magnas, breuibus breues partes tuas præsentes faceres. Non es autem ita. Sed nondum illuminaueras tenebras meas.

Deo ergo tenebras nostras illuminante, oritur in mente species quædam, quæ verbis satis explicari non potest in quam fertur oculus Mysticus, Deumque repræsentat nulla sensibilium rerum forma perfecte repræsentabilem aut cognoscibilem. Sed præparandus est paullarim animus & adhunc diuini splendoris radium excipiendum piis desideriis, & ad luminum patrem fusis precibus disponendus. Tentandum etiam nonnunquam meditationibus, & ratiocinationum frequētatione, vt facilior sit summi entis per subtractionem omnium entium conceptio.

Modum practice præscribit Augustinus, quo non intellectus tantum illustratur, sed mirifice etiam inflammatur adfectus. Audi suauiter mentis suæ æstus enarrantem, & supra creaturarum orbem meditationis mysticæ passibus conscendentem. Quid amo, cum te amo? Non speciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum: non florum, & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam: non manna, & mella: non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum meum. Lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, Vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus

*Aug. lib. 10 conf. ca. 6.*

cus:& vbi sonat,quod non rapit tempus:& vbi olet, quod non spargit flatus:& vbi sapit,quod non minuit edacitas:& vbi hæret, quod non diuellit satietas.Hoc est,quod amo,cum Deum meum amo.

Et quid est hoc? Interrogaui Terrā:& dixit non sum: & quæcumq; in eadem sunt,idem confessa sunt.Interrogaui Mare & Abyssos,& Reptilia animarum viuarum, & responderunt: Non sumus DEVS tuus;quære super nos. Interrogaui Auras flabiles, & inquit vniuersus Aer cum incolis suis:fallitur Anaximenes,non sum DEVS tuus.Interrogaui Cælum,solem, lunam, stellas: Neque nos sumus Deus,quem quæris,inquiunt.Et dixi omnibus his, quæ circumstant fores carnis meæ:Dixistis mihi de Deo meo quod vos non estis:dicite mihi de illo aliquid.Et exclamauerunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogatio mea: intentio mea, & responsio eorum, species eorum.

Et direxi me ad me,&dixi mihi: Tu qui es? Et respondi,homo. Et ecce corpus & anima in me mihi præsto sunt: vnum exterius, & alterum interius.Quid horum est, vnde quærere debui Deum meū? quem iam quæsiueram per corpus à terra, vsque ad cœlum, quousq; potui mittere nuncios radios oculorum meorum.Sed melius, quod interius est: ei quippe renunciabant omnes nuncii corporales præsidenti,& iudicanti de singulis responsionib.cœli & terræ,&omnium, quæ in eis sunt,dicentium:Non sumus Deus,sed ipse fecit nos. Homo interior cognouit hæc per exterioris ministerium: ego interior cognoui hæc:ego,ego,animus per sensus corporis mei.

Interrogaui mundi molem de Deo meo,& respondit mihi: Nō ego sum,sed ipse me fecit.Nonne omnibus,quibus integer sensus est apparet hæc species? Cur non omnibus eadem loquitur? Loquitur omnibus, sed illi intelligunt, qui eius vocem acceptam foris, intus cum veritate cōferunt. Veritas enim dicit mihi: Non est Deus meus cœlum & terra,neque omne corpus.

Quid ergo amo,cum Deum meum amo? Quis est ille super caput animæ meæ? Per ipsam animam meam ascendam ad illū. Transibo vim meam, qua hæreo corpori, & vitaliter cōpagem eius repleo. Non ea vi reperio Deum meum: nam reperiret equus & mulus quibus non est intellectus: & est eadem vis, qua viuunt etiam eorum corpora.Est alia vis,non solum, qua viuifico:sed etiam qua sensifico carnem meam, quam mihi fabricauit Dominus, iubens oculo, vt non audiat,& auri,vt non videat:sed illi,per quem videam: huic per quam audiam; & propria singillatim ceteris sensibus sedibus suis & officiis suis, quæ diuersa per eos ago,vnus ego animus. Transibo & istam

istam vim meam. Nam & hanc habet equus & mulus: sentiunt enim etiam ipsi per corpus.

Transibo ergo & istam vim naturæ meæ gradibus, ascendens ad eum, qui fecit me cum ea: & venio in campos & lata prætoria memoriæ meæ, vbi sunt thesauri innumerabilium imaginum de huiusmodi rebus sensis inuectarum.

Postquam autem plurima de memoria disputauit, redit ad antiquum epiphonema. Transibo & hanc vim meam, quæ memoria vocatur: transibo eam, vt perueniam ad te dulce lumen. Transibo volens te attingere, vnde attingi potes, & inhærere tibi, vnde inhærere tibi potest. Habent enim memoriam & pecora, & aues: alioquin non cubilia, nidosque repeterent, non alia multa, quibus assuescunt: neque enim & assuescere valerent vllis rebus, nisi per memoriam. Cap. 17.

At vbi te inueniam? Si præter memoriam meam te inuenio, immemor mei sum. Concludit tandem post longas ambages. *Ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic* te *inuenio, cum reminiscor tui, & delector in te.* Addere libet. Verum ita es in memoria, vt non sis memoria, nec quicquam eorum, quæ cōcluduntur memoria: sed infinitis partibus illis melior & sublimior. Nam neque lux es, neque pulchritudo, nec splendor, neque aliquid huiusmodi. Siquidem tui comparatione lux quam video & concipio sunt tenebræ; splendor, obscuritas: pulchritudo, deformitas. Es tamen lux aliqua, sed quæ lucem omnē à me visam superat: es splendor, sed nulli creato comparandus: es pulchritudo, pulchritudinum idea: præ qua turpe est, quicquid appellatur elegans & venustum. Vides quam vere dixerit Damascenus. Cum de diuinis est sermo, multa per adfirmationem prolata, vim habere præcellentis negationis. Ca. 24. Damasc. li. 1. de fide cap. 4.

## NONA-DECIMA DISQVISITIO. Quæ sit praxis contemplationis negantis per separationem perfectionum omnium?

RESP. Praxim tum huius, tum aliarum contemplationum mysticarum melius haberi, comparari, & addisci vnctione Spiritus S. & interna cœlestis magistri institutione, quam vllis hominum præceptionibus: iuuari tamen posse tyrones iis, quæ à viris piis, vel experimento, vel aliorum instructione eruditis hac de re sunt tradita. Inter quæ facillimus est modus quem habet Ludouicus de Ponte in parte poster, Ducis spiritualis tract, III. cap. 5. §. 2.

Math 6.6 Iubetur Contemplator ingredi cubiculum suum ex Christi cõsilio, & clauso ostio orare Patrem in abscondito. Quoniam autem animi ostium est multiplex, quodlibet ex iis diligenter obserandum est. Primum est sensuum cui addenda sera, obducendum pessulum, ne videat, audiatue, vel attendat ad res vllas externas. Alterum est imaginationis patentissimum; quod diligenter concludendum ne contemplationis tempore, imagines, ac formæ corporeæ ingredientes, & in phantasiæ receptaculo commorantes mentem distrahant, altissimamque contemplantis quietem turbent. Tertium est, intellectus, cuius fores, cum sint bipatentes, illæ claudi debent, in quas multitudo, ac varietas discursuum solet irruere: vt sic simplici intuitu, sedato omni interioris hominis tumultu, mens in vnum Deum per subtractionem creaturarum omnium possit tendere.

Itaque eleuetur contemplatoris Mystici intelligentia & Deum, vt quod super-eminentissimum, super-sapientissimum, super-substãtialissimum, super-essentialissimum, quodammodo intueatur, absq; vllo creaturæ, quantum fieri potest conceptu. De-Ponte tamen præscribit, vt aspiciat immensam Dei Maiestatem instar immensi maris, intra & extra in infinitum extensi: sed iam tunc mentem à Contemplatione rei creatæ non abstrahit, nec per remotionem omnium sensibilium Deum considerat, quod in hac contemplationis specie est necessarium. Formandus itaque est conceptus, quantum possibile depuratissimus, & abstractissimus: quod adflatu diuino, vel impulsu Spiritus S. peculiari fieri posse docent Mystici: hominis autem labore, quamuis à gratia communi non destituatur, vt contingat, tam est arduum, vt pro impossibili haberi possit.

Conatum tamen adhibeat Mysticæ initiatus, & simplicissimum absolutissimũq; effingat conceptum summi boni: in eoque contemplando, & absque varietate discursus aspiciendo hæreat summa admiratione, ac stupore quodam ex reuerentiali timore orto defixus. Illudque frequenter menti obuersetur. Quis ego? Quis tu Deus super-immense, super-æterne, super-essentialissime? Ego'n in conspectu tantæ Maiestatis? vilis homuncio, vermiculus, Nihil. Quid, dico, in conspectu? Ego in te, tu in me; mare in spongia, immensitas in punctulo. An-non ego in Deo meo, & in me Deus meus, licet occultus & tectus nebula inaccessibilis diuinitatis?

Vt iucundius, & diutius hæreatur in hac specie contemplationis, tres suggerit modos De-Ponte in quibus Mysticus contemplator sese exerceat. Primus est: vt Deum intueatur, ea ratione qua concipitur fuisse ante Mundi creationem: cum nec cæli essent, nec elementa:

ta:cum nullibi extra Deum essent Angeli, nullibi homines, nullibi quidpiam illorũ, quod nunc sensibus percipitur, aut imaginatione apprehenditur. Dico, extra Deum: in ipso enim ab omni æternitate fuere omnia, quæ rationem entis participant, tanquã in fonte essendi, & velut in Artifice, in quo sunt ideæ rerũ faciendarum. Cogitari itaque potest, immensitas quædam spacii in omnem partem infinite diffusa (imaginarium vocant Philosophi, quia reuera nullibi est nisi in imaginationis officina) in ea tamen concipitur Deus, non vt in loco, nã quis locus Dei esset, cum locus nullus esset? sed infirmitati humanæ ita consulitur. Præter Deum, te quoque inibi delitescere finge animo. Hic Deum contemplare nullius alterius indigum: se solo felicissimum: se sibi bonorum quorumcumque cumulum. Se sibi diuitias inenarrabiles. Se sibi voluptatem liquidissimam. Se sibi honorem & gloriam superabundantissimam. Quid tu vero in hoc immensi pelago? vix punctus, cuius pars nulla, imo, nec punctus, quia comparatione infiniti, Nihil. Te tamen in hac vastitate incomprehensibili intuere, vt punctum. Cuius eges? profecto non alterius, quam creatoris tui, illi ergo vniaris, illi, si dicere fas, inuiscereris, in illum transubstantieris, & ex intimo adfectu, ac inflammatissima voluntatis exuberantia, quod sentire debes, exclama: Deus meus & omnia! Sufficio ego Deo meo, sufficit mihi Deus meus!

SECVNDVS Modus. In hac extramundana & infinite extensa solitudine cerne Deum eodem, quo superius, schemate; sed operationem adiunge, non exteriorem, sed quæ in Deo ipso resideat. Vide igitur, vt potes, perfectissime se cognoscentem, & in se possibilia omnia: tum adæquata cognitione, vim virtutemque suam omnem comprehendentem, & eminentiam omnium suarum perfectionum, infinita quadam sapidissimaque contemplatione, indeque saturitate ac beatitudine nunquam satis explicanda pertractantem. O quam suauiter quantoque gaudio in sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, omnipotentiæ, amoris, & tot aliarum, sibi propriarum perfectionum intuitione versatur Deus. In eandem Dei tui sapientiam, bonitatem, misericordiam, & te immitte, ibique longas mollesque moras trahe & laxa voluntati habenas, vt illa quasi è corpore emigrans, propriamque relinquens sedem, animam, cuius est potentia, & alterius domus inquilina exultet in Deo suo: de illiusque magis, quam de sua felicitate gaudeat, ac tandem illud & hic vsurpet Deus meus & omnia.

TERTIVS Modus. Ascendat altius contemplatoris intelligentia, & aspiciat magnum hunc Deum in eadem supramundana eremo,

fecundum hæreticas peruerſitates. Hanc autem munditiam facit Donum intellectus.

Similiter, duplex eſt Dei viſio: vna quidem perfecta per quam videtur intuitiue Dei eſſentia. Alia imperfecta; per quam etſi non videatur de Deo Quid eſt; videmus tamen, Quid non eſt. Et tanto in hac vita Deum perfectius cognoſcimus, quanto magis intelligimus eum excedere quicquid intellectu comprehenditur. Vtraque autem hæc Dei viſio pertinet ad Donum-intellectus. Prior quidem ad Donum-Intellectus conſummatum, ſecundum quod erit in patria. Poſterior ad Donum intellectus inchoatum ſecundum quod habetur in via.

His congruentia habet in III. diſt. 34. q. 1. art 4. in corp. & diſt. 35. quæſt. II. art. II. quæſt. 2. vbi ſcribit, Intellectus donum ad ſpiritualia ingredi (ita loquitur) per viam remotionis dum à ſpiritualibus viam, quæ in corporalibus reperitur, remouet. In ſtatu ergo viæ intellectus ingreditur ad ſpiritualia hoc modo, maxime ad diuina, quia in hoc perficitur cognitio humana ſecundum ſtatum viæ, vt intelligamus, Deum ab omnibus ſeparatum ſuper omnia eſſe, vt dicit Dionyſius lib. de myſtica Theol. ca. 4. & 5. Et adhoc peruenit Moſes, qui Exodi 19. dicitur intraſſe ad caliginem, in qua Deus erat. Et propter hoc etiam, quantum ad ſtatum viæ, munditia ponitur in ſexta beatitudine, quæ reſpondet dono intellectus, quæ pertinet ad depurationem intellectus ab omnibus corporalibus. Ita diſſerit S. Thomas quam vere, innoteſcet ex iis, quæ de habitu Theologiæ-Myſticæ diſputabimus poſtea.

## Tertia-Decima Disqvisitio. A qua potentia effectiue procedat contemplatio remotiua. Sit-ne actio, vel pura paſſio? Sit-ne tãtummodo experimentalis in adfectu, an inhæreat etiam in intellectu?

De his dubitatum olim fuiſſe, aut quæſitum reperio, quæ nunc liquent. Certe, ſi quæ de ſubiecto proximo huius Theologiæ ſuperius examinauimus, perpendantur, ceſſat dubitandi ratio. Contemplationem enim omnem vtriuſque viæ elici ab intellectu probauimus, redundare in affectum: à quo etiam ducat initium. Certabant tamen antehac Scholarum Magiſtri. Dionyſius Richelius Commenta-

mentariolo in Mysticam Theologiam Areopagitæ. *An*, inquit, *notitia illa* nimirum per negationes perfectionum remotiuas, *sit solum experimentalis in affectu supremo Deitati per amorem vnito : an vero possit dici etiam intellectualis, non quidem intuitiua, sed abstractiua ; & non solum connotatiua, sed absoluta, consideratione, & inquisitione dignissimum esset. Nam habet pars qualibet suos eleuatissimos defensores. Sunt nempe, qui exponentes Dionysium primum tenent. Sunt alij dicentes, posse haberi vltra prædictam experimentalem, seu experimentatiuam de Deo notitiam intellectiuam, conceptum proprium absolutum esse diuini, quamuis non intuitiuum, si imperfectio ab ipso remoueatur, & abstrahatur. Idem de vita, de bonitate, de sapientia, de potentia, & consimilibus prædicatis perfectionalibus dicunt. Flecti videtur in istam sententiam Augustinus in pluribus locis, præsertim de Trinitate, docens ibi ferri in bonum absolutum. Bonauentura quoque in Itinerario cap. 6. vnde videtur, quod abstracta ab ipso esse omni potẽtialitate, depẽdentia, priuatione, & alia omni imperfectione, ac finitate, resultet conceptus Dei absolutus, ac proprius.* Sed de hoc superius satis superque est actum.

## QVARTA-DECIMA DISQVISITIO. An sit aliquod inter contemplantes via negationis discrimen?

RESPONDEO. Esse in perfectione. Quidam enim magis penetrant depuratum illud ab omni imperfectione obiectum, in quod oculus mentis tendit, cum alii videantur versari tantum in superficie, nec ad intima admitti. Dionysius Richelius loco indicato. In hac cognitione Dei est gradus & ordo : ita quod vnus sic cognoscentium Deum cognoscit eum multo perfectius, & clarius, quam alius. Causa namque ex suo effectu tanto perfectius cognoscitur, quanto per effectum plenius apprehenditur habitudo causæ ad suum effectum: quæ habitudo in effectu non pertingente adæquationem suæ causæ attenditur, penes tria: videlicet, quo ad progressum effectus à causa: & secundum hoc, quod effectus consequitur plus de similitudine suę causæ: atque secundum hoc, quod deficit à perfecta eius consequutione.

Sicque mens humana tripliciter proficit in cognitione Dei ex suis effectibus. *Primo* : secundum quod perfectius cognoscitur efficacia Dei ad producendum. *Secundo* : prout nobiliorum effectuum noscitur esse causa. Cum enim causata aliquam similitudinem Dei gerant eminentiora, quæ illi similiora sunt, excellentiam eius magis commendãt. *Tertio*: prout cognoscitur magis elongatus, ac eminens

à cunctis creaturis, & ab omnibus, quæ resplendent, & sunt in illis. Vnde de diuinis nomin. Dionysius scribit, quod cognoscatur Deus ex omnium causalitate, & excessu, & elongatione.

In hoc demum cognitionis profectu maxime iuuatur mens humana, dum naturale lumen ipsius confortatur supernaturali lumine fidei, ac doni sapientiæ, & intellectus, ac noua illustratione superna, quæ per mentis puritatem, & virtuosam conuersationem adipiscuntur. Per quæ omnia mens in contemplatione supra se eleuatur, in quantum cognoscit Deum esse supra omne, quod apprehendit. Verumtamen, quia ad eius essentiam videndam nequit pertingere, dicitur in se ipsa quasi reflecti, ab illius lumine superexcellenti, iuxta illud quod dicit in Genesi Iacob: Vidi dominum facie ad faciem. *Quocirca scribit Gregorius*: Visus animæ dum in Deum intenditur immensitatis illius coruscatione reuerberatur.

## QVINTA-DECIMA DISQVISITIO. Conceptus in cõtemplatione per negationes proueniens, sit ne vnius qualitatis in omnibus Mysticis?

*Aluarez tom. III. li. 5 par. 1 ap. par. III. c. 7*

RESPONDEO. Nequaquam. Siquidem tum ratione gratiæ cooperantis, tum ratione subiecti, & aliarum conditionum in aliquibus est valde clarus, in aliis obscurior. Obseruat id Iacobus Aluarez Pazius, qui conceptum illum duplicem facit. Ita vt vnusquidem efficiatur per communem gratiam, qua plerique omnes vitæ contemplatiuæ addicti in suis exercitationibus iuuãtur dum labore proprio & industria mẽtis operationibus vacant: alter vero habeatur singulari quodam DEI benignius influentis, & animum illustrantis fauore. Inter hos autem Mysticis Contemplationibus assueti hanc experimento notant differentiam. Quod prior ille magno labore expressus, sit obscurus admodum, & valde confusus: idoneus tamen vt intellectum detineat, & occupet, voluntatem vero ad amorem DEI non mediocriter inflammet. Animus enim in DEVM, quẽ omnibus rebus superiorem concipit, & velut immensum essendi pelagus, mergitur quodammodo, vt loquuntur Mystici, & ab omni creaturarum cogitatione liber & expeditus facilius & efficacius toto mentis nullo nexu ligatæ detentæque impetu ad Deum feruentissime amandum fertur. Posterior vero conceptus multo est illustrior ac sublimior, magnamque claritatis illius, qua in patria beatorum mentes splendescunt, quantum quidem permittit mortalium status, continet li-

cet

et nebula tegi dicatur, sitque si simpliciter loquendum caliginosus.

Exemplo demonstrant, quod diximus Mystici: habet illud Iacobus Aluarez, estque ad declarationem rei non omnibus obuiæ admodum opportunum. Cernere est nonnunquam Mare, ita nube aut nebula operiri, vt nihil illius oculis pateat. Quod fit, cum, vt est Iobi 38. Dominus ponit nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ obuoluit. Fac ergo duos homines per cliuum montis ex cuius summitate mare videatur iter facere: quorum alter mare quidem viderit, alter viderit nunquam. Ille interrogatus ab isto, quale sit Mare? respondet: Mare non est vt stagnum, non est puteus, non est vt lacuna, non vt fons, non est, vt torrens: sed aliquid in immensum maius: non est, vt flumen, quantumuis magnum sed in infinitum copiosius. Inter hos autem colloquẽtium sermones veniunt ad verticem montis ex quo aspicitur mare. Tunc dicit ille qui interrogabatur Heus tu. Ecce Mare. Hic autem aspiciens videt nebulam mari offusam, cuius nullum terminum repetit: videt, & ad tantam immensitatem obstupescit. Solet autem ea nebula nunc obscurior esse ac densior, nunc clarior, ac rarior: pro illius autem diuersitate, magis aut minus, quid sit infra nebulam, innotescit. Iob. 38. 9.

Dominus dixit, vt habitaret in nebula ait Salomon 3. Regum 8. 12. vere ita est, & hoc veluti pallio obuolutum DEVM considerant Contemplatores. Dicunt, & vere dicunt: Tu Deus altissimus non es Ens, vt ego Ens concipio: sed super omne Ens. Tu non es bonus, vt ego apprehendo, sed super omnem bonitatem à me intelligibilem. Non es sapiens, vt ego quidem cogito: sed super omnem sapientiam à me, vel homine cogitabilem. Es igitur super-sapientissimus, super-optimus, super-essentialissimus. Ita te Deum meum cogito, sed reueta non nisi in nebula, è qua strícturæ quædam emicant, & in oculos incurrunt, quibus dum illustror, aliquid videre videor, sed quod video, non plene intelligo, ideoque nec omnino video. Hoc tantum dicere habeo, quod quem intelligere conor, quam diu hanc nebulam non disrumpit, sit inuisibilis. Eum itaque inuisibilem, & sub nebula latentem colo, ac veneror, & vt visibilis mihi fiat deposita hac, quam circumfero, mortalitatis sarcina obsecro.

## Sexta-decima Disqvisitio. An sit vtilis hic Contemplandi modus?

Opusc. de paruo bono par. III. AD experientiam prouoco, qua etuditus Bonauentura. *Hic*, inquit, *modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior: tanto fructuosior, quanto adfectio proximior, & ideo vtile valde est in illa exerceri.* Quod probant, qui assuescunt ab omni creaturarum cogitatione mentem abducere, quo enim magis ab ijs recedunt, eo fiunt Deo propiores, & magis sincerissimi amoris flammis inardescunt erga illum, quem præsentem intellectualiter intimo quodam sensu percipiunt.

Richard. in Cant. ca. 5. Eo autem præsente, vt Richardus Victorinus præclare differit, innouatur anima, & quasi ei adhærens sentit interni gustus dulcedinem, intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, caritatis incentiuum, compassionis adfectum, iustitiæ zelum, delectationem virtutum. Habet in oratione cum Deo familiare colloquium audiri se sentiens, plurimumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, & audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, & interdum eum conuincens.

Non est itaque, vt tempestiue monet Aluarezius illa notitia arida, quam de Deo post omnium subtractionem habent Mystici Contemplatores; è qua in voluntatem tam præstantes affectus emergunt. Quod si non alius fructus inde decerperetur, quanti faciendus esset reuerentialis ille timor, quem concipit efficacissime, ac viuacissime, qui dum Deum rebus omnibus in infinitum maiorem cogitat, Nihil esse eorum, quæ in hominum sensum incurrunt, cum insigni quadam erga tale tantumque Numen subiectione profitetur. Ex omnibus hactenus disputatis, expeditur

## Septima-decima Disqvisitio. Quamobrem Mysticus vtatur Contemplatione subtractiua perfectionum omnium?

RESPONDEO. Non idcirco, quod sentiat, in Deo non esse perfectiones aliquas, cum sint omnes possibiles in eo siue formaliter, siue eminenter: sed quod cum sciat non esse in Deo illas, sicut nos concipimus, at longe eminentiori modo, quem nos ignoramus, existimet hoc melius apprehendi, & cognosci per negationes, quam per adfirmationes.

Itaque

Itaque cogitat DEVM non esse solem, lunam, cœlum: non ignẽ, aerem, lucem: non florem, herbam, plantam. Non aurum, argentum, gemmam: sicut reuera non est: Sed his omnibus quidpiam longe excellentius. Ascendit deinde altius, & cognoscit DEVM, non esse sapientiam, prudentiam, iustitiam, bonitatem: imo nec substantiam. An ergo accidens? multo minus. Sed conceptionem hanc format; quia est sapientia quædam super omnem creatam, & à nobis perfecte cognoscibilem sapientiam: est prudentia super omnem prudentiam, bonitas super omnem bonitatem: iustitia super omnem iustitiam: substantia denique super omnem substantiã. Substãtia mea tanquam nihilum apud te, aiebat regum illuminatissimus. Idcirco appellatur à Mysticis supersapientissimus, super-optimus, super-potentissimus, super-substantialissimus, super-essentialissimus, super-ens. *Psal. 38. 6.*

Pulchre Augustinus, & contemplantis ritu, miscens adfirmatiuis negatiua pro adfectus mystici protuberãtia. Quid es Deus meus? Quid rogo nisi Dominus Deus? Quis enim Dominus, præter Dominum? aut, quis DEVS præter DEVM nostrum. Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime, & iustissime, secretissime, & præsentissime, pulcherrime, & fortissime: stabilis & incomprehensibilis: immutabilis, mutans omnia: nunquam nouus, nunquam vetus: innouãs omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt. Semper agens, semper quietus: colligens, & non egens: portans, & implens, & protegẽs, & creans, & nutriens, & perficiens. Quæris, cum nihil desit tibi: amas, nec æstuas: zelas, & securus es: pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, & non mutas consilium: recipis, quod inuenis, & nunquam amittis. Nunquam inops, & gaudes lucris. Nunquam auarus, & vsuras exigis. Supererogatur tibi, vt debeas, & quis habet quicquã nõ tuũ. Reddis debita nulli debens: donas debita, nihil perdens. *August. li. 1. conf. ca. 4.*

Sed quoniam cum de DEO quidpiam dicitur, nihil dicitur ob summam, & incomprehensibilem eminentiam negationibus explicari solitam, subiungit. *Quid dicimus* DEVS *meus, vita mea, dulcedo mea sancta? aut, quid dicit aliquis, cum de te dicit?*

## OCTAVA-DECIMA DISQVISITIO. Cur difficillima sit Contemplatio Mystica per puras negationes?

RESPONDEO. Quia cum admodum sit difficile DEI conceptum formare, absque imaginibus corporeis, difficilius multo est ali-

quem effingere, subtractis quoque intelligibilibus formis, vt hæc contemplatio postulat. Hanc difficultatem se expertum fatetur Augustinus: & quomodo paulatim per viam discursus, ac meditando, ad puriorem conceptum per subtractionem constituendum peruenerit indicat. Idemq; experimento discunt initio suæ exercitationis mystici, quorum quilibet dicere potest, quod magnus ille Doctor, sed tunc temporis in mystica rudis, quia tyro.

*Aug. lib. 7. Conf. ca. 1.* Cogitare aliquid substantiæ, nisi tale non poterā, quale per hos oculos videri solet. Nec te cogitabam DEVS in figura corporis humani, ex quo audire aliquid de sapientia cæpi: semper hoc fugi, & gaudebam, me hoc reperisse in fide spiritalis Matris nostræ Catholicæ Ecclesiæ tuæ. Sed quid te aliud cogitarem non occurrebat. Et cogitare te conabar homo, & talis homo summū, & solū & verū DEVM: & te incorruptibilem, & inuiolabilē, & incommutabilē totis medullis credebam: quia nesciens vnde, & quomodo, plane tamen videbam, & certus eram, id quod corrumpi potest, deterius esse, quam id quod non potest: & quod violari non potest, incunctanter præponebam violabili; & quod nullam patitur permutationem, melius esse, quam id, quod mutari potest.

Clamabat violenter cor meum aduersus omnia phantasmata mea: & hoc vno ictu conabar abigere circumvolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ. Et vix dimota in ictu oculi ecce conglobata rursus aderat, & irruebat in aspectum meum. Vt, quamuis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer, per spacia locorum, siue infusum mundo, siue etiam extra mundum per infinita diffusum: etiam ipsum incorruptibile, & inuiolabile, & incommutabile, quod corruptibili, & violabili & commutabili præponebam. Quoniam quicquid priuabam spaciis talibus, Nihil mihi esse videbatur. Sed prorsus Nihil, ne inane quidem, tanquam, si corpus auferatur loco, & maneat locus omni corpore vacuatus, & terreno, & humido, & aereo & cælesti sit locus inanis, tanquam spaciosum Nihil.

Ego itaque incrassatus corde nec mihi-met ipsi vel ipse conspicuus, quicquid nō per aliquāta spacia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet, aut capere posset, NIHIL prorsus esse arbitrabar. Per quales enim formas ire solent oculi mei, per tales imagines ibat cor meum. Nec videbam hanc eandem intentionem, qua illas ipsas imagines formabam non esse tale aliquid, quæ tamen ipsas non formaret, nisi esset magnum aliquid.

Ita

Ita etiam te vita vitæ meæ grandem per infinita ſpacia vndique cogitabam penetrare totam mundi molem, & extra eam quaquaverſum per immenſa ſine termino: vt haberet te terra, haberet cœlum, haberent omnia: & illa finirētur in te, tu autem nuſquam. Sicut autem luci ſolis non obſiſteret aeris corpus, aeris huius, qui ſupra terram eſt, quo minus per eum traiiceretur; penetrans eum, non dirumpendo, aut concidendo, ſed implendo eum totum. Sic tibi putabam, non ſolum cœli, & aeris, & maris: ſed etiam terræ corpus peruium, & ex omnibus maximis, minimiſque partibus penetrabile ad capiendam præſentiam tuam, occulta inſpiratione, intrinſecus, & extrinſecus adminiſtrantem omnia, quæ creaſti.

Ita ſuſpicabar, quia aliud cogitare non poteram: nam falſum erat: illo enim modo, maior pars terræ maiorem tui partem haberet, & minorem minor: atque ita Te plena eſſent omnia, vt amplius tui caperet elephanti corpus, quam paſſeris: quo eſſet iſto grādius, grandioremque occuparet locum; atque ita fruſtatim partibus mundi magnis magnas, breuibus breues partes tuas præſentes faceres. Non es autem ita. Sed nondum illuminaueras tenebras meas.

Deo ergo tenebras noſtras illuminante, oritur in mente ſpecies quædam, quæ verbis ſatis explicari non poteſt in quam fertur oculus Myſticus, Deumque repræſentat nulla ſenſibilium rerum forma perfecte repræſentabilem aut cognoſcibilem. Sed præparandus eſt paullatim animus & adhunc diuini ſplendoris radium excipiendum piis deſideriis, & ad luminum patrem fuſis precibus diſponendus. Tentandum etiam nonnunquam meditationibus, & ratiocinationum frequētatione, vt facilior ſit ſummi entis per ſubtractionem omnium entium conceptio.

Modum practice præſcribit Auguſtinus, quo non intellectus tantum illuſtratur, ſed mirifice etiam inflammatur adfectus. Audi ſuauiter mentis ſuæ æſtus enarrantem, & ſupra creaturarum orbem meditationis myſticæ paſſibus conſcendentem. Quid amo, cum te amo? Non ſpeciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, ecce iſtis amicum oculis, non dulces melodias ſuauium cantilenarum omnimodarum: non florum, & vnguentorum, & aromatum ſuaueolentiam: non manna, & mella: non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum meum. Lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei. Vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus

*Aug. lib. 10 conf. ca. 6.*

cus:& vbi sonat,quod non rapit tempus: & vbi olet, quod non spargit flatus:& vbi sapit,quod non minuit edacitas:& vbi hæret, quod non diuellit satietas.Hoc est,quod amo,cum Deum meum amo.

Et quid est hoc? Interrogaui Terrã:& dixit non sum: & quæcumq; in eadem sunt,idem confessa sunt.Interrogaui Mare & Abyssos,& Reptilia animarum viuarum, & responderunt: Non sumus DEVS tuus;quære super nos. Interrogaui Auras flabiles, & inquit vniuersus Aer cum incolis suis:fallitur Anaximenes,non sum DEVS tuus.Interrogaui Cælum,solem, lunam, stellas: Neque nos sumus Deus,quem quæris,inquiunt.Et dixi omnibus his, quæ circumstant fores carnis meæ:Dixistis mihi de Deo meo quod vos non estis: dicite mihi de illo aliquid.Et exclamauerunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogatio mea: intentio mea, & responsio eorum, species eorum.

Et direxi me ad me,& dixi mihi: Tu qui es? Et respondi,homo. Et ecce corpus & anima in me mihi præsto sunt: vnum exterius, & alterum interius.Quid horum est, vnde quærere debui Deum meũ? quem iam quæsiueram per corpus à terra, vsque ad cœlum, quousq; potui mittere nuncios radios oculorum meorum.Sed melius, quod interius est: ei quippe renunciabant omnes nuncii corporales præsidenti,& iudicanti de singulis responsionib. cœli,& terræ,& omnium, quæ in eis sunt,dicentium:Non sumus Deus,sed ipse fecit nos. Homo interior cognouit hæc per exterioris ministerium: ego interior cognoui hæc:ego,ego,animus per sensus corporis mei.

Interrogaui mundi molem de Deo meo,& respondit mihi: Nõ ego sum,sed ipse me fecit.Nonne omnibus,quibus integer sensus est apparet hæc species? Cur non omnibus eadem loquitur? Loquitur omnibus, sed illi intelligunt, qui eius vocem acceptam foris, intus cum veritate cõferunt.Veritas enim dicit mihi: Non est Deus meus cœlum & terra,neque omne corpus.

Quid ergo amo,cum Deum meum amo? Quis est ille super caput animæ meæ? Per ipsam animam meam ascendam ad illũ. Transibo vim meam, qua hæreo corpori, & vitaliter cõpagem eius repleo. Non ea vi reperio Deum meum: nam reperiret equus & mulus quibus non est intellectus: & est eadem vis, qua viuunt etiam eorum corpora.Est alia vis,non solum, qua viuifico:sed etiam qua sensifico carnem meam, quam mihi fabricauit Dominus, iubens oculo, vt non audiat,& auri,vt non videat:sed illi,per quem videam: huic per quam audiam; & propria singillatim ceteris sensibus sedibus suis & officiis suis, quæ diuersa per eos ago,vnus ego animus. Transibo & istam

istam vim meam. Nam & hanc habet equus & mulus: sentiunt enim etiam ipsi per corpus.

Transibo ergo & istam vim naturæ meæ gradibus, ascendens ad eum, qui fecit me cum ea: & venio in campos & lata prætoria memoriæ meæ, vbi sunt thesauri innumerabilium imaginum de huiusmodi rebus sensis inuectarum.

Postquam autem plurima de memoria disputauit, redit ad antiquum epiphonema. Transibo & hanc vim meam, quæ memoria vocatur: transibo eam, vt perueniam ad te dulce lumen. Transibo volens te attingere, vnde attingi potes, & inhærere tibi, vnde inhærere tibi potest. Habent enim memoriam & pecora, & aues: alioquin non cubilia, nidosque repeterent, non alia multa, quibus assuescunt: neque enim & assuescere valerent vllis rebus, nisi per memoriam. Cap. 17.

At vbi te inueniam? Si præter memoriam meam te inuenio, immemor mei sum. Concludit tandem post longas ambages. *Ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic* te *inuenio, cum reminiscor tui, & delector in te.* Addere libet. Verum ita es in memoria, vt non sis memoria, nec quicquam eorum, quæ cōcluduntur memoria: sed infinitis partibus illis melior & sublimior. Nam neque lux es, neque pulchritudo, nec splendor, neque aliquid huiusmodi. Siquidem tui comparatione lux quam video & concipio sunt tenebræ; splendor, obscuritas: pulchritudo, deformitas. Es tamen lux aliqua, sed quæ lucem omnē à me visam superat: es splendor, sed nulli creato comparandus: es pulchritudo, pulchritudinum idea: præ qua turpe est, quicquid appellatur elegans & venustum. Vides quam vere dixerit Damascenus. Cum de diuinis est sermo, multa per adfirmationem prolata, vim habere præcellentis negationis. Ca. 24. *Damasc. li. 1. de fide cap. 4.*

## NONA-DECIMA DISQVISITIO. Quæ sit praxis contemplationis negantis per separationem perfectionum omnium?

RESP. Praxim tum huius, tum aliarum contemplationum mysticarum melius haberi, comparari, & addisci vnctione Spiritus S. & interna cœlestis magistri institutione, quam vllis hominum præceptionibus: iuuari tamen posse tyrones iis, quæ à viris piis, vel experimento, vel aliorum instructione eruditis hac de re sunt tradita. Inter quæ facillimus est modus quem habet Ludouicus de Ponte in parte poster. Ducis spiritualis tract. III. cap. 5. §. 2.

 Iube-

ta:cum nullibi extra Deum essent Angeli,nullibi homines , nullibi quidpiam illorũ,quod nunc sensibus percipitur,aut imaginatione apprehenditur. Dico,extra Deum:in ipso enim ab omni æternitate fuere omnia,quæ rationem entis participant,tanquã in fonte essendi, & velut in Artifice,in quo sunt ideæ rerũ faciendarum. Cogitari itaque potest, immensitas quædam spacii in omnem partem infinite diffusa(imaginarium vocant Philosophi,quia re uera nullibi est nisi in imaginationis officina ) in ea tamen concipitur Deus, non vt in loco,nã quis locus Dei esset, cum locus nullus esset?sed infirmitati humanæ ita consulitur. Præter Deum,te quoque inibi delitescere finge animo. Hic Deum contemplare nullius alterius indigum: se solo felicissimum: se sibi bonorum quorumcumque cumulum. Se sibi diuitias inenarrabiles. Se sibi voluptatem liquidissimam. Se sibi honorem & gloriam superabundantissimam. Quid tu vero in hoc immensi pelago?vix punctus,cuius pars nulla,imo, nec punctus, quia comparatione infiniti, Nihil. Te tamen in hac vastitate incomprehensibili intuere,vt punctum. Cuius eges? profecto non alterius,quam creatoris tui, illi ergo vniaris,illi,si dicere fas,inuiscereris,in illum transubstantieris, & ex intimo adfectu, ac inflammatissima voluntatis exuberantia, quod sentire debes, exclama: Deus meus & omnia! Sufficio ego Deo meo,sufficit mihi Deus meus!

SECVNDVS Modus. In hac extramundana & infinite extensa solitudine cerne Deum eodem, quo superius, schemate; sed operationem adiunge,non exteriorem,sed quæ in Deo ipso resideat. Vide igitur,vt potes,perfectissime se cognoscentem, & in se possibilia omnia:tum adæquata cognitione , vim virtutemque suam omnem comprehendentem, & eminentiam omnium suarum perfectionum, infinita quadam sapidissimaque contemplatione , indeque satuitate ac beatitudine nunquam satis explicanda pertractantem. O quam suauiter quantoque gaudio in sapientiæ,bonitatis,misericordiæ, iustitiæ,omnipotentiæ,amoris , & tot aliarum,sibi propriarum perfectionum intuitione versatur Deus. In eandem Dei tui sapientiam,bonitatem,misericordiam,& te immitte,ibique longas mollesque moras trahe & laxa voluntati habenas, vt illa quasi è corpore emigrans, propriamque relinquens sedem,animam, cuius est potentia,& alterius domus inquilina exultet in Deo suo: de illiusque magis , quam de sua felicitate gaudeat,ac tandem illud & hic vsurpet Deus meus & omnia.

TERTIVS Modus. Ascendat altius contemplatoris intelligentia, & aspiciat magnum hunc Deum in eadem supramundana eremo,

mo,essentia quidem vnum,sed personis trinum. Quomodo pater generet consubstantialem sibi filium: vterque vero amando se amore quodam abdito & reciproco, nobisque incomprehensibili, producat,vt vnum principium Spiritum-sanctum. Quomodo tres illæ personæ diuinæ vnus sint Deus non munius singularitate personæ sed in vnius realitate substantiæ. Quomodo omnes eiusdem sint sapientiæ, bonitatis,immensitatis, omnipotentiæ,æternitatis:ita,vt nulla sit altera antiquior, potentior, sanctior , melior,sapientior,perfectior. Quomodo in prima Persona, non sit, qualis in humanis, Paternitas: sed incredibiliter eminentiori modo, vt dici possit super-paternitas: in secunda super-filiatio:in tertia super-spiratio. Quę omnia & infinita alia nebula quadam nobis densissima involuuntur : sed illa in se est lux immensa, & incomprehensibilis illi, qui ea non circumfunditur,qualis solus Deus.

Cui in hac ipsa contemplatione vniendus est adfectus nexu quodam indissolubili. Excita mentem contemplator mystico,& ad amplexum Deitatis adspira: vt quemadmodum vna,eademque diuinitas super-benedicta cognitione & amore complectitur patrē,filium,& spiritum-sanctū, omnesque tres vniuntur inesse vnius & solius Dei. Et eædem personæ cognitione & amore infinito se complectuntur,& in se ipsis gaudio infinito exultant, nullo vnquam tristitiæ nubilo tetrici:Ita & tu ambab. vlnis,intellectus,&adfectus; cognitionis,& amoris;aspirationis, & desiderii inflammatissimi complectere super-amantissimam, super-desideratissimam,super-venerabilissimam diuinitatem, optans nunquam ab eo tam inuidendo amplexu auelli.

Contemplare Te,qui hactenus es contemplatus DEVM,aspice Te intra omnipotentiam Patris,intra sapientiam Filij, intra Caritatem spiritus-sancti:& dilata viscera,extende brachia,omnesque amplectere & ex imo pectore altissima ducens, & reciprocans identidem suspiria, non tam voce , quam anagogico aspiratu illud itera, Deus meus & omnia. Sufficio Ego Deo meo: sufficit mihi DEVS meus!

VIGESIMA DISQVISITIO. Quis sit maxime compendiosus, ac expeditissimus modus perueniendi ad conceptum abstractissimum, per negationem omnium, vt postulat Contemplatio per remotionem mysticam?

RESPOND. Præter ea, quæ ex D. August. superius disputauimus, in quibus latet modus haud difficilis, sed longiusculus, quia continet excursum per multas sigillatim creaturas, quas percũctari oportet, breuior occurrit, ex consideratione triplicis interualli, quod est inter Deum & Hominem, hinc enim colligetur, Deum infinite excedere, ac proinde concipi non debere nisi conceptu, qui superlatiuis, & particulis supereminentiam infinitam indicantib. exprimatur. Quæ vocabula cum negationis latentis significationem habeãt, conceptus quoq; iis expressus apte respondebit, & formabitur per contemplationem via subtractionis & negationũ purarum productã. *Triplex interuallum infinitum.*

Primum itaque interuallum est inter hominem quemlibet & genus humanum vniuersum: non tantum illud, quod in mundo aliquando existet, finita generationum serie, & corporibus, post generalem anastasim, cuilibet restitutis: sed etiam quod esse posset, si in omnem æternitatem esset productionis non interruptus ordo: aut si Deus nunquam ab animarum creatione cessaret, nec homines à formatione corporum, quibus infunderentur animæ: seu, quod cogitatione fingi potest: aut, quod Deo est possibile, cui nihil est impossibile. Hæc igitur multitudo cum sit infinita, si non simpliciter, saltem syncatogorematice superat haud dubie hominem vnum loco, numero, æstimatione, infinite. In hac hominum innumerabilium immensitate, quid est hominis vnius animula? *Primum interualliũ.*

Secundum interuallum est inter genus humanum, & totam multitudinem creaturæ intellectualis possibilem. Plurimæ sunt Angelorum myriades: fortasse plures, quam vllius rei corporeæ indiuidua, quamuis nominare lubeat, vel arenulas littorum, vel guttulas oceani. Sed hoc incertum: illud magis est indubitatum: Angelorum Species Deo possibiles excurrere in infinitum, sic vt continuo crescant imperfectione, quemadmodum excrescunt species numerorum absque limitatione vlla. Sub singulis autem infinita possunt esse indiuidua. Iam compara genus humanum, quod infimum est creaturæ intellectualis, ad illam infinities infinitam, atque in infinitum *Secundum interualliũ.*

DEVM sane intellectu percipere difficile est, eloqui autem impossibile, vt profanorum Theologorum quidam docuit, meo quidem iudicio non incallide: nempe vt ex eo quod intellectu difficilem adfirmat, opinionem hominibus adferat, se cum cognitione percepisse: ex eo autem, quod nullis verbis, eum explicari posse ait, hoc agat, ne inscitia prodi sua, ac deprehendi queat. Ego vero, ita potius dicendum censeo: Dei naturam nullis quidem verbis explicari posse, animo autem, atque intellectu comprehendi multo minus posse. Nam quod quis animo & ratione complexus fuerit, id quoque fortasse sermone declarare valet, si non satis dilucide, ac perspicue: at saltem obscure, modo auditorem nactus sit non omnino surdum, tardique & stupidi ingenij. At rem tantam animo comprehendere omnino impossibile est, non modo ignauis, ac languidis, deorsumque vergentibus: sed magnis etiam, & excelsis viris, Deiq; amore flagrantibus, ac mortalibus peræque omnibus, quibus ad veri cognitionem caligo hæc, & carnis crassities tenebras offundit. Plato in Timæo.

Pluribus id ostendit, declarans nihil esse positiuum in rerum natura, quod, quid sit Deus, exprimat: itaque conuertendam cogitationem esse ad negantia: nimirum, considerando, quod sit infinitus, immensus, incomprehensibilis, quod originis & principij expers, quod à se non possit, nec à suis perfectionibus desciscere: ad quem & eloquendum sermo sileat, & inuestigandum sensus hebetetur, & complectendum, intelligentia coarctetur, vt Hilarius loquitur. Hilar. lib. II. de Trinit.

At, habetur ne in hunc modum perfecta Dei notitia? Negat, & omnino necessario Nazianzenus. Vt enim non satis est, corpus dicere, aut procreatum esse ad hoc vel illud, cui hæc adiacent, exprimendum, & indicandum: sed id quoque, quod ipsis subiectum est, dicere debemus, si modo volumus, id quod mente agitatur, plene atque abunde repræsentare (potest enim, vel homo, vel bos, vel equus esse hoc, quod corporeum, ac procreatum, & corruptibile esse pronunciamus) ad eundem modum, qui Dei naturam curiosius inquirendam duxerit, non hic conquiescet, vt dicat: Quid non sit Deus: sed hoc quoque ipsi adjiciendum erit, vt quid sit, dicat.

Idque eo magis, quod minus difficile est, vnum quidpiam animo complecti, quam omnia sigillatim inficiando, remouere. Ita enim fiet, vt ex eorum, quæ non est, sublatione, ac depulsione, & ex eius, quod est, positione comprehendatur id, quod cogitamus. Qui vero ita, quid res aliqua non sit pronunciat, vt interim, quid sit, taceat, non absimilis est ei, qui rogatus: Quot sunt, bis quinque? respondeat quidem eà nec duo esse, nec tria, nec quattuor, nec quinque, nec viginti

vigiuti,nec triginta,nec,vt breui complectar, vllum ex numeris denario in clusis,aut etiam decadibus.ceterum,quod decem sint, non dicat,nec montem eius à quo interrogatur ad id quod quæsitum est, affigat. Multo enim facilius,& compendiosius est ex eo quodquid sit,dixeris,quicquid non sit declarare, quam ex eorum,quæ non est, ablatione,atque inficiatione, quid sit demonstrare.

Quod quidem verum est,de perfecta, & omnibus numeris absoluta,ac quidditatiua cognitione non autem de imperfecta Dei notitia qualem hac in vita habere possumus: hæc enim per negationes rerum sensibilium haberi potest,quamuis quid sit Deus perfecte sciri non possit.

# COMMENTATIO CONTEMPLATIO PVRA MYSTICORVM.

MONENT sæpe Mystici, contēplationem suam,& illam nominatim,quę per subtractionem conficitur, esse debere ab omni impuritate liberam:atque ita celebris est in Theologia-Mystica, Contemplatio-Pura. Qua denominatione quid significetur; & an dari possit aliqua: vel,an sit fictitia tantum,& merum sine re nomen, vmbra phantastici corporis dubitari posse animaduerto:&est à nobis diligentius ex Philosophiæ, & Theologiæ scitis à sapientibus adprobatis propter minus disciplinæ nostræ addictos, minusque beneuolos,si non malignos,disquirendum. Sit itaque

## EXERCITATIO I.

## *QVID SIT SIMPLEX ET PVRA Contemplatio.*

### PRIMA DISQVISITIO. An sit idem apud Mysticos Contemplatio simplex & pura?

RESPONDEO. Cum simplex sit id, quod non est compositum, seu quod alterius adiunctionem non habet: Purum vero, quod immi-

immixtum, mundum, immaculatum, consortii alterius naruum inferre soliti expers, si nominis habeatur ratio: eadem contemplatio dici potest pura, quæ simplex. Quo pacto apud Scholasticos *titulo*, incarnatio, simplex & pura creatura est eadem. nempe, quæ tantum est creatura diuinæ hypostasi non copulata. Qua ratione Christus opponitur puræ creaturæ aut simplici. Sic etiam dicitur purus-homo: simplex-homo. Et non raro apud Latinitatis auctores cum simplicitate, puritas confunditur. Itaque interdum apud Scriptores, qui minus accurate, aut superstitiose Mysticorũ propriis vocabulis vtũtur, per puram contemplationem significatur simplex, & è conuerso.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quomodo apud Mysticos distinguatur simplex & pura contemplatio?

RESPONDEO. Quoniam, tam simplicitas, quam puritas admixtionem rei generis alius repudiat, pro diuersitate rei quæ cõtemplationi potest admisceri, sortitur diuersam denominationem. Explico. Contemplatio est intuitus veritatis. Huic si non misceatur vllus discursus, dicitur simplex intuitus: indeque *simplex* contemplatio. Si non admisceatur imaginatio, nec sese ingerat phantasia, vocatur, *Contemplatio-pura.*

Eandem denominationem deriuant Mystici ad intelligentiam, vt quædam *simplex* sit: quædam *Pura.* Clare Dionysius Carthusianus lib. 1. de contempl. capit. 1. SIMPLEX INTELLIGENTIA *tunc dicitur, quando absque rationis discursu contemplamur.* PVRA *vero, quando sine imaginationis interuentu: siue omnino excludatur imaginationis operatio: siue ita sit exigua, & imperceptibilis, vt fere dici possit, non esse imaginum interuentum.*

Sanctus etiam Bonauentura opusculo de itineribus æternitatis itin. III. dist. 4. artic. 4. *Intelligentiam-puram* nominat, quam contemplatori conuenire dicit sensu originis: quo iudice, in contẽplatore Mystico esse debet *vniformis fixio intelligentiæ-puræ*, & ab omnib. omnino denudatæ.

Hinc *Puritas* mentis apud Mysticos celebratur, per quam non tantum intelligunt, vt alii vitæ spiritualis Magistri, animum ab omni concupiscentiæ vel alterius minus probi adfectus contaminatione sincerum; verum singulari quodammodo intellectum à phantasmatum impuritate liberum; quam significationem reperio apud S. Bernardum,

nardum, qui mystico plane sensu, quasi instruens contemplatorem, & ad eximium quoddam decus Mystices exstimulans: *Transtulisti, ait, cordis oblectamenta, perfecisti, & superasti te, sed nondum elongasti, nisi & irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transvolare* MENTIS PVRITATE *praualeas.*

S. Bernar. ser. 52. in Cant.

Perpende illustrem metaphoram: *Transvolare mentis puritate:* quasi in hac alæ sint, quibus transvolentur. Imo ipsa puritas est ala, cui simplicitatem alteram adiungit in mystica egregie versatus Thomas de Kempis, cuius illa est ad Mysticæ amatores cohortatio.

Tho. de Kempimit. Christ. lib. 2. cap. 4.

Duabus alis homo subleuatur à terrenis: Simplicitate scilicet, & puritate. Simplicitas debet esse in intentione: Puritas in adfectione. Simplicitas intendit Deum: Puritas apprehendit, & gustat. Nulla bona actio te impediet, si liber intus ab inordinato affectu fueris. Si nihil aliud, quam Dei beneplacitum, & proximi vtilitatem intendis, & quæris interna libertate perfrueris. Si rectum cor tuum esset, tunc omnis Creatura speculum vitæ & liber sanctæ doctrinæ esset. Non est creatura tam parua, & vilis, quæ Dei bonitatem non repræsentet.

Si tu intus esses Bonus & PVRVS, tunc omnia sine impedimento videres, & bene caperes. COR PVRVM penetrat Cœlum & Infernum. Qualis vnusquisque intus est taliter iudicat exterius. Si est gaudium in mundo hoc vtique possidet PVRI CORDIS homo.

Alio autem significato Mystici, voculam, *Pura*, vsurpant, cum appellatur *contemplatio* quædam *Pura*, Apud eosdem contemplatio omnis dici solet, *simplex veritatis intuitus*: & contemplator Mysticus habere *simplicem mentis oculum*.

## TERTIA DISQVISITIO. Quid sit Contemplatio-pura?

RESPONDEO. Contemplationem puram esse quæ deputata est ab imaginum corporearum contagio. Seu, quæ peragitur sine phantasmatum interuentu, incursu, aut speculatione. Fusius Thomas à IESV multa accumulans, quæ ad definitionem non spectant: *Puram contemplationem appello,* inquit, *illam: in qua mens, cum fuerit à vitijs expurgata, à passionibus defæcata, in caritate sincera stabilita, instar splendidi speculi fulgida & adornata, à Spiritu sancto per intellectus donum diuinitus illustrata, ad nudam, aut quasi nudam intelligibilem veritatem contemplandam sublimatur.* Breuius idem postea: *Pura Contemplatio, tum contingit, cum mens*

Tho. lib. 5. de contemp cap 3.

*mens dono intellectus illustrata, in intelligibilibus formis & speciebus à phantasmatibus depuratis, simplici, & pura intelligentia Deum intuetur.*

---

# EXERCITATIO II.

## *AN CONCEDENDVM SIT, SECVNdum Philosophiæ enunciata, dari posse Contemplationem-Puram absque interuentu phantasmatum.*

### PRIMA DISQVISITIO. An Aristoteles neget contemplationem-puram.

PEruulgatum est illud, tanquam Aristotelis dictum: *Intelligentem oportet phantasmata speculari.* Quod è duobus Philosophi locis desumptum videri potest. Vterq; est lib. III. de anima cap. 7. Prior textu 30. vbi sic habetur: Τῇ δὲ διανοητικῇ ψυχῇ τὰ φαντάσματα οἷον αἰσθήματα ὑπάρχει. ὅταν δὲ ἀγαθὸν ἢ κακὸν φήσῃ ἢ ἀποφήσῃ, φεύγει ἢ διώκει. διὸ οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή. Conimbricenses sic conuertunt: *Animæ dianoiticæ ipsa phantasmata perinde, atque sensibilia sensui ipsi subiiciuntur: atque cum bonum, aut malum esse dicit, adfirmando, aut negando, tum fugit, aut persequitur. Quapropter ipsa anima sine phantasmate nunquam intelligit.*

Magis concise Hieronymus Dandinus in commentario Peripatetico *de corpore animato*, sic eadem effert. *Dianoëticæ autem animæ phantasmata, ceu sensilia sunt. Cum vero bonum, aut malum dixerit, aut negauerit, fugit, aut prosequitur. Quare nunquam sine phantasmate intelligit anima.* Quorum sensus, vt omnibus innotescat, sit

### SECVNDA DISQVISITIO. Quid designet Aristoteles per animam dianoeticam?

RESPONDEO I. Dianoeam sensu Aristotelis, ac Peripateticorum pertinere ad partem animæ intelligentem: esseque ipsum intellectum, non cogitatiuam, vt Auerroes, eiusque Sectatores sunt commenti.

RESPONDEO II, Dissentire interpretes: Quisnam intellectus

T 2 cono-

eo nomine à Philosopho significetur. Philoponus contendit ea voce indicari intellectum theoreticum. Probant hoc Conimbricenses. Qui putant Aristotelem, repetito, quod docuerat, discrimine, intellectus contemplatiui, & practici, adserere: Licet anima dianoetica: id est, intellectus contemplatiuus phantasmatis vtatur: quia hæc ei suppeditant species, sicut sensibilia externa sensui: tamen intellectũ practicum aliter iisdem vti, nimirum, prout deseruiunt ad practica dictamina circa bonum, aut malum amplectendum, vel declinandum. vnde colligit: Nunquam intelligere animam citra opem phantasmatum: cum ea intellectui vtrique sint necessaria.

At Themistius, animam dianoeticã interpretatur intellectũ actiuum. Simplicius variat. Nã textu 28. actiuũ intellectum vocari docet Dianoeam: & phantasia vti, ac circa bonum, malumque versari. At textu 30. neutrum intellectum ea voce vult exprimi, sed absolute intellectum ratiocinantem, & quasi negociantem, vnumque ex alio colligentem: Quod tam actiuo, quam theoretico conuenit.

## Tertia Disqvisitio. Quomodo probet Philosophus necessitatem phantasmatum ad omnem intellectionem?

RESPONDEO. Probationem sumi ex propositione ad sensum. Ita enim se habent Phantasmata ad intellectum, sicut sensilia ad sensum. Quemadmodum igitur necessarium est, vt sensus moueatur à sensilibus: neque aliter exit in actum, ita quoque oportet vt intellectus moueatur à phantasmatibus. Confirmatur. Ea est potentiarum animæ subordinatio, vt vna alteri in operationibus deseruiat: sensus exteriores sensui communi: hic phantasiæ: supra phantasiam est solus intellectus, cui illa ministret obiectum. Itaque phantasmata se habẽt ad intellectum, sicut sensilia ad sensum, & phantasiam. Ex his conficit Aristoteles, absque phantasmatibus nunquam intelligere animam: quemadmodum nunquam sensus absque sensibilibus sentit.

## Qvarta Disqvisitio. An quod de intellectione vniuerse pronunciat Aristoteles extendat etiam ad Contemplationem?

FAcit id diserte eodem lib. cap. VIII. Tex. XXXIX. vbi sic legitur: ὅταν θεωρῇ ἀνάγκη ἅμα φαντάσματι θεωρεῖ. *Cum contemplatur, necesse est cum*

*Phan-*

*Phantasmate contemplari.* Addit eandem, quam superius rationem: Pantasinata namque velut sensilia sunt, etsi absque materia.

## QVINTA DISQVISITIO. An hoc Aristoteles intelligat de cuiuslibet obiecti Contemplatione?

RESPONDEO. Aristotelem expresse solum agere de Physicarum, & Mathematicarũ rerum contemplatione. Sic enim disserit: *Cum nulla res sit, vt videtur præter magnitudines sensibiles separata, in ipsis profecto sensibilibus formis ipsæ sunt intelligibiles formæ, tum earum rerum, quæ abstracta vocantur, tum eorum sensibilium, qui sunt habitus, & adfectus.* Quibus verbis paullò obscurioribus hic subest sensus, vt illum educit Hieronymus Dandinus: Quoniam præter magnitudines sensibiles nulla res est, nullaque separata substantia *(vt videtur)* hoc est: vt plerique sentiunt, vel: vt apparet; atque à sensibus colligi potest, in formis sensibilibus intellectilia sunt, atque ex sensibilibus accipienda & haurienda, quæ intelliguntur. Per sensiles autem formas intelligit, non eas, quæ in sensu: sed quæ in rebus sensibilibus exterioribus sunt.

*Quoniam neque res ulla est, præter magnitudines sensibiles, vt videtur separata: in formis autem sensibilibus intellectilia sunt: & quæ in abstractione dicuntur, & quæcumque sensilium habitus & adfectus.*

Docet autem in rerum intellectione sensiles formas antecedere, tum intellectiles subsequi. Et quia non sint obiecta vlla intellectilia re & ratione à materia separata, supersunt solum duo genera: alterum ratione quidem separatum re ipsa cum materia coniunctum, qualia sunt entia Mathematica. alterum, re, ac ratione, menteque à singulari solum, non ab vniuersa materia remotum: illud in abstractione dicitur, & intellectile Mathematicum: hoc sensibilium habitus, & affectiones comprehendit: nempe qualitates, primæ ac quartæ speciei: tum etiam qualitates patibiles tertij generis.

Docet igitur Aristoteles: Cum neque res Mathematicæ, neque Physicæ, & harum adfectiones extra sensibilia eo hæreant: atque idcirco illarum imagines intelligibiles à formis sensibilibus, in quibus virtute insunt eruantur, non posse intellectum in earum contemplatione versari absque ope sensuum, & phantasmatum.

Agit igitur Aristoteles exserte tantum de rebus Physicis & Mathematicis.

## SEXTA DISQVISITIO. An Ariſtoteles, & Peripatetici exiſtiment, alicuius obiecti Contemplationem eſſe abſque Phantaſmatũ, vel phantaſiæ cooperatione?

RESPONDEAT Philoponus: qui lib. III. de Anima triplex intellectilium genus diſtinguit. PRIMVM eſt entim immaterialium: ALTERVM, Entium Mathematicorum: TERTIVM, Entium materialium. Immaterialia, inquit, ſunt intelligibilia prima: Secunda, intelligibilia media: tertia, materialia. Et quidē materialia intelligit intellectus, tum ſenſu & phantaſia: nempe, ſenſus, ac phantaſiæ interuentu: ſiue de illis deliberet, ſiue rebus ſingularibus naturas ſeparet vniuerſas. Mathematica cum phantaſia, dum ea, quaſi à ſenſibilibus ſeparata conſideranda ſibi proponit. Immaterialia demum, non cum phantaſia, ſed, per phantaſiam, dum ex ſenſibilibus, quæ per phantaſiam cognoſcit, euehitur ad intellectilia. Diuinam quippe prouidentiam ex rerum ordine, mundique huius aſpectabilis ornatu cognoſcimus.

Quamobrem Phantaſiam quidem ſemper habet adnexam: nec ſemper tamen cum phantaſia intelligit. Atque in primorum quidem intellectilium intellectione Phantaſia non vtitur, vt inſtrumento: ſed poſt quam ad illa euectus eſt per phantaſiam; mox ea ſine phantaſia contemplatur. In ceteris vtitur. Nec tamen intellectile idem eſt cum phantaſmate: neque intellectus idem cum phantaſia. Phantaſia quoque ſubſtantiam non cognoſcit: ſed qualitates ſolas, & accidentia, quæ ſenſibus ingeruntur. Quam ob cauſam in Theæteto Plato, eam dicit ſubſtantiam non attingere: Intellectus autem ſubſtantias nouit. Sunt igitur nonnulla, quæ ſine phantaſia intelliguntur.

Themiſtius quoque cap. 53. Phantaſiæ neceſſitatem ad Mathematica & ſenſilia entia contemplanda contrahere videtur. Agit Themiſtius eadem de re lib. de Memor. & Reminiſc. cap. 7. & 8.

Simplicij alia eſt interpretatio. Is monet, Philoſophum, dixiſſe quidem nos nunquam ſine Phantaſia intelligere: non tamen adfirmaſſe, Intellectum Phantaſia vti. Aliquando enim non vtitur, etſi cum intellectu ſimul Phantaſia moueatur. Deinde contendit, verba Philoſophi ad ſolum intellectum actiuum referenda eſſe cap. 7. textu 30. Hic enim, vt circa res ſingulas, & materiales verſatur, quæ ſenſibus

sibus hauriuntur,&Phantasia:sic sine phantasia simul operante nunquam intelligere asseritur.

Probat hanc suam opinionem. Tum quia de intellectu theoretico dixerat: Theoreticarum cognitionum supremam separari, & esse hoc solum, quod est: & esse idem ipsi rei,& substantia esse actum impatibilem,& impermistum. Tum quia, non intellectum, aut theoriam: sed Dianoeam nominat: eamque circa bonum & malum prosequendo, aut fugiendo versari dicit. Quæ non conueniunt intellectui theoretico, sed actiuo.

Si obiicias Simplicio: Aristotelem clarissime Tex 39. De theoretico intellectu pronunciare: cum contemplatur, necesse est, Phantasma simul aliquod contemplari.

Responderi potest, vt monet Dandinus: De sensilium singularium,& Mathematicorum intellectione Sermonem inibi esse, quæ cum phantasia quidem intelligantur: non tamen phantasiæ vsu. Immaterialia autem,& prima intellectilia ἀφάντασα esse. Quod-nam enim illorum sit phantasma? sicut & substantiæ, Relationis, vniuersalium: Bonitatis,& Malitiæ: veritatis,& Falsitatis: rei cuiusque quidditatis: vel etiam Accidentium sensilium.

Has Philoponi,& Simplicij interpretationes, tanquam Aristoteli maxime accommodatas laudat Dandinus. Conimbricenses tamen quæst. 8. art. 4. Ad *Tertium*: licet concedant Aristotelem de solis Physicis,& Mathematicis rebus expresse loquutum: addunt nihilominus: Eandem videri rationem in reliquarum rerum conceptibus. Illud sane in confesso est: Aristotelem de sensibilium tantum rerum notitia diserte pronunciasse. Vt hinc magnopere nihil sit Contemplationis Puræ patronis metuendum.

## SEPTIMA DISQVISITIO. Quomodo Aristotelis sensu, Contemplatio,& Intellectio pendeat à Phantasia?

S. Thomas lib. 1. de Anima textu 12. explicans illam Propositionem: Si intelligere est *phantasia, aut non sine phantasia, non poterit vtique hoc sine corpore esse*: NOTAT, Operationem quampiam duobus modis pendere à corpore posse. Aut, tanquam à subiecto cui inhæreat, & instrumento, quo vtatur: aut tanquam ab obiecto circa quod versetur. Intellectionem autem à corpore & phantasia priori modo non pendere, sed posteriori duntaxat. At Aristotelis enunciatum hanc habere

habere sententiam. Si intellectus phantasia sit, aut in phantasia tanquam in subiecto, ea.ue, vt instrumento vtatur, non poterit à corpore separari, vt nec visio, nec similes operationes. Itaque Intellectus à Phantasia & phantasmate pendet solum tanquam ab obiecto, quod intelligendum proponatur. Quod quidem potentiam intellectiuam non ita alligat Phantasiæ, & corpori, vt separari non possit.

## OCTAVA DISQVISITIO. An sensu Aristotelis, Intellectus pendeat à Phantasia, tam in iudicando, quam in apprehendendo.

Dandin. lib 3. de Anim. tex. 3. in Digress.

REfert hoc scire, vt facilius Mysticorum persuasioni de puritate Contemplationis patrocinemur. RESPONDET igitur Hieronymus Bandinus, qui diligentissime Peripateticorum arculas excutit: Duo quædam Intellectione contineri. Alterum est, Apprehensio obiecti: alterum, de illo apprehenso, Iudiciū. Apprehensio sane, phantasmatis intuitione constat: nec vllam apprehendimus rem, nisi sub sensili aliqua imagine, quæ in Phantasia insit. At iudicium de re apprehensa omnino à Phantasia liberum est. Nam etsi intellectui proponatur DEVS aut Intelligentia separata, velut corporeum quidpiam, quantum, figura, & colore præditum: iudicat tamen intellectus, eiusmodi nihil in substantiis illis contineri; sed meliorem illas habere naturam, eamque Spiritalem. Hoc temperamentum adhibent etiam alii, qui in Schola Peripatetica sunt nobiles, & multum phantasiæ tribuunt.

## NONA DISQVISITIO. An Apprehensio humana per se & natura sua, pendeat à Phantasia? nec possit functionem suam exercere, nisi concurrendo simul Phantasmate?

RESPONDEO: Negatiue. Explico, & probo. Quod Apprehensio egeat Phantasia & Phantasmate, ex eo nascitur, quod Anima humana sit corporis forma. Quocirca à corpore separata sine vllo phantasmate intelligit. Quia vero, vt in corpore degit, sic ex corpore, corporisque sensibus accipere cogitur intelligendum obiectum, necessario in Apprehensione vtitur phantasmate. Itaque, hoc illi, non natura conuenit, sed ex accidente, quia est in hoc statu essendi,

quem

quem sequitur modus cognoscendi per phantasmata. Quod si natura sua talis esset intellectus, non posset iudicium opposito modo fieri. Confirmatur. Intellectus humanus non solum est corporis forma, sicut reliquæ formæ naturales: sed præterea est Intellectus, & immaterialis, vt Intelligentiæ separatæ. Licet ergo, vt est forma obiectiue pendeat a Phantasia, & sensibus corporis: quatenus tamen est intellectus, potest sine ope Phantasiæ intelligere. Quod intellectio substantiarum separatarum facile demonstrat.

## DECIMA DISQVISITIO. An Phantasia, & concursus phantasmatum iuuet: an potius impedimento sit Intellectui ad Contemplationem?

SVbtilis est illa Philoponi animaduersio, lib. III. de Anima: Aristotelem pronunciare, quod nunquam sine phantasmate anima intelligat. vel: Quod Contemplatio non sine phantasmate vnquam contingat. Verum illas particulas: *Non sine*, tres acceptiones habere posse. Interdum enim coniunctionem rei significant, quæ nec prosit, nec obsit: vt si corpus in sole dixeris sine vmbra non esse. Aliquando autem vtilitatem: & necessariam connexionem: vt si Achillem dicas, non sine lancea, & armis virum se strenuum præstitisse: aut ignem non sine adproximatione, vel calore calefacere. Nonnunquam demum impedimentum potius: vt si nautas hieme adfirmes non sine periculo, aut procellis nauigare.

Cum igitur Aristoteles dicit li. I. de Anima text. 12. *Si intelligere est phantasia, aut non sine phantasia, non poterit vtique hoc sine corpore esse:* particulæ; *Non sine*, vtilitatem indicant, necessariamque connexionem, velut instrumenti ad operationes proprias obeundas. Vbi vero lib. III. Tex. 30. additur; Intellectionem sine phantasia non esse impedimentum potius intelligendi significat, dum ipsa puro intellectus actui ingerit sese eumque perturbat: Alioqui purus intellectionis actus absque phantasia est: & quorundam intellectilium nullum reperitur phantasma. Ideo vero ἀφάντασ̈α vocantur, vt substantiæ immateriales, & intellectilia prima.

Hæc acute Philoponus. Sed vereor admodum ne sint ad mentem acutissimi Philosophi: qui colligit: Animam sine phantasmate nõ intelligere, quod sensus & intellectus, tanquam potentiæ cognoscẽtes conueniant: ideoque phantasmata ad intellectum se habeant sicut sensilia ad sensum: sensilia autem sensui non sint impedimento;

sed necessaria maxime, si sentire debeat. Sic igitur nunquam animã sine phantasmate intelligere ait. Et rursum, cum contemplatur, necessarium esse, cum phantasmate contemplari. Quæ sane verba, non impedimentum significant, sed necessitatem. Adde, cum intelligens anima sit naturalis forma corporis, naturaliter quoque operatur in eo, atque ita sensibus corporis, ac phantasia iuuatur.

Hoc tamen minime negandum videtur. Sicut phantasia materialium contemplationem iuuat: ita immaterialiũ impedire ac turbare, dum ad inferiora trahit, & ad modum materialium immaterialia quoque proponit. Vide Commentationis huius Exercit. v. Disq. XII.

## VNDECIMA DISQVISITIO. An alii quoque Philosophi negent dari Contemplationem-puram.

RESPONDEO: Philosophos non consentire. I. Auicenna in compẽdio doctrinæ de anima existimat ad vsum scientiæ nequaquam speculationem phantasmatum requiri.

Albertus quoque lib. III de Anima, Tit. II. ca. 19. negat intellectum, quamuis in hoc statu, habere in operatione sua necessariam connexionem cum operatione phantasiæ, vel alterius sensus: sed sine illis intelligere posse substantias etiam separatas.

II. Græci quidam Aristotelis Interpretes, scribunt eam superuacaneam esse, quando anima attendis ad communia, & immaterialia, quæ Phantasiæ vim transcendunt.

III. Nonnulli apud Vicomercatum, in Disputatione Peripatetica de immortalitate Animæ rationalis opinantur: Phantasmatum speculationem exigi duntaxat ad productionem specierum factam ab intellectu agente, & ad primum conceptum eam comitantem: tunc n. necessum est operari simul phantasiam, quæ vna cum intellectu agẽte species intellectiles conficit. Ab his non dissentit Hieronymus Dandinus.

IV. Aliqui alii postulant Phantasiam, & speculationem phantasmatum ad solas intellectiones elicitas ab speciebus comparatis ope intellectus agentis, & phantasmatum. Quum enim istiusmodi species ortum habuerint à phantasmatis, videntur eorum consortiũ ad operationes suas necessario postulare. Itaque Venetus expresse li. III. de anima ad tex. 39. adfirmat, intellectum, non necessario respicere phantasma, quoties non vtitur speciebus, mediis phantasmatibus

bus ab intellectu agente acceptis ; sed per suos proprios actus productis.

V. Sunt qui absolute adfirmant: Nullam dari in hoc vitæ statu intelligendi actionem, cum qua phantasmatum speculatio non concurrat.

VI. Alii licet communiter ita se rem habere pronuncient à communi tamen lege excipiunt, sublimem quandam & eminentem, vt vocant contemplationem: qua se mens etsi adhuc degens in corpore, ita supra molem corporis quodam modo euehit, vt non videatur curare turbam incurrentium phantasmatum. Atque hoc potissimum verum esse quando intellectus versatur in altissima quadam, quietaque Dei & Angelorum consideratione, præter Philoponum II. de anima cap. 14. & lib. III. cap. 30. docet Thienensis ad tex. 39. & Tolet. quæst. 21.

VII. Negari non potest, esse Peripateticorum axioma plurimorum ore ac calamo tritum: *Intelligentem oportet phantasmata speculari.* Porro, quod intellectus ordinarie sine phantasmate non contempletur, res ipsa testatur, tum etiam cum immaterialia attente considerat: ingerit namque se, & intrudit semper phantasia. Verum hoc ad ordinarias intellectiones solum extendi debere Conimbricenses opinantur.

At alij simpliciter, & absque vlla exceptione id enunciant. Ac Antonius Riuius quidem ad altissimam quoque rerum diuinarum contemplationem, aut quamuis aliam expresse deriuat: negatque diserte, quod, quando intellectus versatur in altissima contemplatione non pendeat ab operatione phantasiæ. Sed ita tunc intellectum se habere, ait, vt quasi tota virtus finita animæ se diffundat per vnam potentiam, & nihil ferme ei relinquatur effundendum per alteram: vnde intensissime operante intellectu, remississime operatur phantasia: ita vt operatio eius, nec impediat intellectum, nec sentiatur. Quod suaderi solet ex necessitate attentionis, quam postulat quælibet potentia cognoscitiua, dum functionem suam exercet.

Cum enim attentio sit quasi applicatio potentiæ ad obiectum considerandum: quo maior est attentio, eo haud dubie est intentior operatio. Virtus autem animæ præstantis attentionem est finita: atque idcirco, quo plus attendit per vnam potentiam, eo minus potest attendere per alias. Porro in altissima Mysticorum contemplatione tota fere virtutem attendendi applicat anima per intellectum: ideoque nihil fere virtutis relinquitur ad attendendum per phantasiam. Iā vero: remississima attentio, remississimā efficit operationem, & im-

perceptibilem: vt propterea viri quidam doctiſſimi, & contemplationi dediti dixerint: nullam tunc dari operationem phantaſiæ, quia imperceptibilis eſt.

Ita fere opinionem ſuam firmat Ruuius: additque; Quod obiectum contemplationis ſpirituale ſit, nihil referre: cum non intelligatur per propriam ſpeciem: ſed per ſimilitudinem rei ſenſibilis, cuius datur phantaſma. Sed hæc omnino non euincunt, haud poſſe eſſe vel conceptum, vel iudicium adeo à phantaſmatum contagio depuratum, vt ſit plane intellectuale.

## Dvodecima Disqvisitio. Quid intelligunt Peripatetici dum dicunt: *Intelligentem oportere ſpeculari phantaſmata?*

Respondeo. Senſum videri: Eum, qui intelligit, dum rem, ſiue vniuerſalem, ſiue particularem intelligit, ſimul per phantaſiam circa aliud quidpiam ſingulare verſari. Quod colligunt Conimbricenſes, ex Græci textus verbis, quæ ita proferuntur Tex. 39. ὅταν τι θεωρῇ ἀνάγκη ἅμα φαντάσματα θεωρεῖν: hoc eſt; Cumque contemplatur neceſſe eſt, vna cum phantaſmate contempletur. Itaq; non indicat eſſe neceſſe, vt intellectus aut ipſa phantaſmata, aut naturas, quæ in iis relucent, contempletur. Aut vt intellectus moueat phantaſiam ad formandum phantaſma. Quod requirere videtur Ferrarienſis li. III. de anima quæſt. 15. & Dominius Bannez 1. p. quæſt. 84. art. 7. dub. II. ad 2. ſed abſque vlla neceſſitate: imo contra rationem & experientiam.

Hac enim docemur, excitari interdum intellectum à phantaſia vt operetur circa obiectum cuius habet ſpeciem. Ergo phantaſia præuenit intellectus operationem: ideoq; non mouetur ex imperio vel excitatione intellectus. Præterea: priuſquam intellectus habeat ſpeciem alicuius rei, eamque intelligat, phantaſia circa illam operatnr, vt dum phantaſia produxit phantaſma, intellectus agens, illo mediante, producat ſpeciem in poſſibili intellectu. Itaque phantaſia dum primo intelligit intellectus, non poteſt moueri, aut excitari ab intellectu ad operationem, quam ipſa operatione ſua antecedit.

Quapropter, dum exigunt Peripatetici, vt intelligens ſpeculetur phantaſma, aliud non ſignificant, quam oportere, vt dum contemplatur intellectus ſimul operetur phantaſia circa illud, vel circa ali-

aliquid aliud simile, aut aliquo modo ad illud pertinens siue moueatur ab intellectu, siue à suo obiecto, siue ab alio quopiam.

Exprimunt hoc aliter nonnulli, dum enunciant *Intellectum non intelligere in hac vita sine conuersione ad phantasmata.* Quo indicant, operationem phantasiæ semper necessario comitari debere operationẽ intellectus in statu hoc mortali. Sic Caietanus 1.p.q.84.art.7. Conuerti ad phantasmata nihil aliud est, quam vti phantasmate actualiter ad tale opus.

---

## EXERCITATIO II.

## *AN CONTEMPLATIONEM PVRAM admittant Theologi Scholastici.*

LOQVI solent Philosophorum more Scholastici, quando de Contemplatione rerum naturalium agitur; dicuntque: eam esse connexionem siue dependentiam intellectionum à phantasmatibus, vt non nisi operante Phantasia intellectus functionem suam exequatur. Sit itaque

### PRIMA DISQVISITIO. An in Contemplatione supernaturalium, & Substantiarum à materiæ concretione abstractarum interueniat necessario vsus phantasmatum.

RESPONDENT communiter Scholastici, interuenire. Quod saltem verum est, vt plurimum, & nisi quidpiam singulare accidat, quo maior fiat Intelligentiæ eleuatio, ac depuratio conceptuum. Certe S. Thomas non raro cum de hac re disputat, vsurpat modum loquendi Philosophorum, quamuis sermo sit de substantiis abstractis, & obiectis supernaturalibus. Vnum alterum-ue locum expendo.

Prima Par. quæst 94. art. 2. Quærit Vtrum Adamus in statu Innocentiæ Angelos cognouerit per essentiam? id est: quidditatiue, vt exponit Caietanus. Respondet autem neganter: cuius ratio: Quia Adamus naturaliter cognoscebat per conuersionem ad phantasmata. Ergo non poterat Angelos videre per essentiam. Antecedens probat: siquidem duplex est status secundum duplicem essendi mo-

dum naturalem: nimirum, in corpore, & extra corpus, In corpore, anima est accommodata corpori: & competit animæ modus intelligendi per conuersionm ad phantasmata. Vnde & hic modus intelligendi animæ primi hominis competebat.

Eadem P. Parte. quæst. 84. art. 7. ex professo disputat: Vtrum Intellectus possit actu intelligere per species intelligibiles, quas penes se habet non conuertendo se ad phantasmata?

RESPONDET autem, quod impossibile sit intellectum secundũ præsentem vitæ statum quo passibili corpori coniungitur aliquid intelligere in actu nisi conuertendo se ad phantasmata. Idem docuerat lib. 3. de Anima lectione 13.

Nec aliud asserunt Thomæ discipuli, Caietanus 1. P. quæst. 84. art. 7. Ibidemque Dominicus Bannez. Ferrariensis lib. 11. contra Gentes cap. 72. & 159. & lib. 4. cap. 11. quibus locis idem adfirmarat S. Thomas. Nec dissentit Scotus in 4. Distinct. 45. quæst. 2. & in 1. Distinct. 3. quæst. 3. Ibidem etiam Capreolus Distinct. 35. quæst. 5.

Porro, hunc naturalem intelligendi modum per conuersionem ad phantasmata, adeo esse statui huius vitæ connexam & connaturalem arbitratus fuit S. Thomas, vt illam ad visiones intellectuales ac supernaturales deriuarit. Disputans enim vtrum excellentior sit Prophetia, quæ habet visionem intellectualem & imaginariam, quã ea quæ habet visionem intellectualem tantũ. S. IIdæ q. 174. art. 2. Cũ obiecisset illud Dionysij, quod est cap. 1. Hierarchiæ cælestis: Impossibile est nobis superlucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum. Ex quo efficitur, Non posse reuelationem propheticam, quæ fit per immissionem radij diuini, esse absque phantasmatum velaminibus.

Respondet ad IVtum. Quod illustratio diuini radij in vita præsenti non fiat sine velaminibus phantasmatum qualiumcumque: quia est connaturale homini secundum statum præsentis vitæ, vt non intelligat sine phantasmate. Addit: Quandoque tamen sufficiũt phantasmata, quæ communi modo à sensibus abstrahuntur: neque exigitur aliqua visio imaginaria diuinitus procurata.

Ex recentioribus Scholasticis, idem docet Franciscus Suarez, Tom. 11. de Relig. lib. 11. cap. 14. vbi pronunciat: Naturaliter fieri non posse, vt homo in hac vita rapiatur ad veram Dei Contemplationem per intellectum nihil omnino cooperando per sensum neque internum neque externum. Et ait, hanc sententiam esse communem: illamque probat tum auctoritate S. Thomæ: tum dicto Dionysij paullo su-

lo superius recitato: tum axiomate Peripateticorum ex Aristotele. Necesse est intelligentem phantasmata speculari.

Ex quo haberi inquit: Intellectum hominis coniunctum naturaliter operari non posse, quin simul Phantasia cooperetur. Vnde fit, vt si phantasia sit læsa intellectus non possit ordinate ratiocinari & discurrere. Quocirca satis constat, esse naturalem dependentiam inter intellectum coniunctum & Phantasiam: ac proinde naturaliter non posse hominem eleuari ad Contemplationem naturalem intellectualem, sine cooperatione Phantasiæ.

## SECVNDA DISQVISITIO. An sit omnino indubitatum apud Scholasticos, naturaliter non posse extolli intellectum ad Contemplationem-puram?

RESPONDEO: Negatiue. Quod Auctorum nominatione probari debet. Nemo autem hoc clarius asseruit, & stabilire conatus fuit, quam Gregorius de Valentia Tom. 1. Disputatione 6. quæst. 1. Punct. 3. agens de Immortalitate Animæ, quam demonstrare se existimat, ex eo, quod Anima habeat Contemplationem-puram, inde pendentem à corpore, & operatione corporea: consentaneè illi Aristotelis enunciato lib. 1. de Anima Tex. 13. *Si est aliqua animæ operatio, aut aliqua passionum propria, continget vtique ipsam separari. Si vero nulla est propria ipsius: nō vtique erit separabilis.* Textu autem duodecimo dixerat, non esse censendam propriam, & inseparabilem à corpore eam operationem animæ, *quæ vel est* Imaginatio, *vel non est sine imaginatione.* Nimirum, quæ vel exercetur à corpore, seu per certam partem, & organum corporis (qualis est Imaginatio, & omnis alia sensus operatio, vt satis inibi declarat Aristoteles) vel exerceri non potest sine concurrente aliqua operatione corporis circa obiectum aliquod sensibile.

Porro, habere animā, in hoc statu, operationes aliquas plane independentes à corpore, non solū vt à principio illarū effectiuo, aut subiecto; verū ēt, ita independētes, vt elici possint sine vlla præsenti cōuersione mentis ad obiecta sensibilia ait Valentia constare experimē. to. Id enim nos facile animaduertere posse arbitratur, quando cogitamus ens in communi; vel Deum, vt sapientem: vel Angelos vt substantias intellectuales, & alia istiusmodi.

Quamuis enim non possemus in obiecta illa abstracta & immaterialia tendere sū intellectu, seu voluntate, nisi antea præcessisse nt

operationes sensus, ac præcipue phantasiæ circa illa obiecta sensibilia, quorum habitudo aliqua & respectus ad illa intelligibilia abstractiora ducit Contemplatorem in istiusmodi intelligibilium cognitionem. Est enim omnino necesse, vt adquirantur species eorum intelligibilium, quas oportet intellectu agente elicere à phantasmatibus. Postquam tamen hæ species semel adquisitæ fuerint ab anima, dum est vnita corpori, nihil obstat, quo minus sine concurrente alia operatione sensus possit eas conseruare, & illis vti, vt experientia constat, inquit Valentia, cum circa illa obiecta versamur, quæ solo intellectu, & voluntate attingi possunt.

SED, Quid respondendum ad Philosophi receptam sententiam? Non contingit nos aliquid addiscere, aut intelligere sine phantasmate: seu; Oportet intelligentem phantasmata speculari.

DICAS licet, Philosophum aliud non indicasse, quam nullum obiectum sensibile posse intelligi sine concurrente operatione sensus: neque etiam vllum intelligibile, nisi aliquando sensus operatio præcesserit. Vnde Philosophus non ait: Oportere intelligentem speculari phantasma, quotiescumq; & quodcumq; obiectum intelligat (hoc enim plane est contra experientiā, inquit Valentia) sed absolute dicit, oportere phantasma speculari: nempe, vel tum, cum intelligit: si intelligit obiectū sensibile (idque propter subordinationem quandā potentiarum animæ: vel certe, antea aliquando, si intelligit obiectū abstractum, & duntaxat ab intellectu perceptibile.

IMO plane sibi persuadet Valentia: Si dicatur, omnem operationem animæ ita dependere à corpore, tanquam cooperante circa obiectum sensibile, vt sine concurrente simul tali operatione corporis, nullam operationem ab anima exerceri posse adfirmetur; haud posse satis probari subsistentiam animæ independentem à corpore: nam id non satis conuincit independentia operationum animæ à corpore tanquam à principio, & subiecto. Siquidem illa quoque dependentia à corpore, tanquam à necessario simul cooperante obstaret, quo minus, ex alia independentia, vt à principio & subiecto, liceret colligere animam posse operari, atque adeo subsistere, sine corpore.

Responderet enim aduersarius: Animam sine corpore non posse operari ob defectū, non quidem principii, aut subiecti operationis: sed eius, quod simul deberet necessario habere suam operationē circa obiectum sensibile, puta, ob defectum corporis. Sane. Si animal nō haberet alias operationes nisi sensitiuas subsistere non posset nullo existente vnquam obiecto sensibili, quia neque vnquam operari tunc posset ob defectum obiecti. Ita-

Itaque opinatur bonus Scholasticus, si negetur, dari posse, etiam naturaliter, contemplationem puram, non posse demonstrari ex operationib. animæ subsistentiam, independentem à corpore, ac proinde, nec eius immortalitatem. (Idem multo ante asseruit Dionysius Carthusianus insignis & ipse sui temporis scholasticus, cuius verba proferemus Exerc. I V.) Quod profectò est magnum incommodum in philosophia christiana propter Atheos, & quosdam nostri tēporis sectarios: qui si hoc habeant: naturalibus rationibus immortalitatē non posse persuaderi, multo confidentius, tanquam Scholasticorum inuentum, & aniles Zelotarum fabulas exsibilabunt, quicquid de animarum è corpore migratione, & extra illud commoratione ex fidei assertis populo proponitur.

Nec vnicus tantum est eius opinationis Scholasticus. Sunt plures alij, qui non solum in Contemplatione supernaturali & diuina: sed etiam in contemplatione naturali rerum abstractarum cuiuslibet sapientis sine phantasmatum speculatione contingere posse intellectionem docuerunt. Quod adfirmat probatque recentissimus Scriptor Thomas à IESV. lib. v. de contemplatione diuina cap. primo. At fortasse, qui negant, posse contemplationem siue naturalem, siue supernaturalem exerceri absque Phantasiæ cooperatione, tam firmis insistunt fundamentis, vt ab ijs contrariis argumentorum machinis non possint dejici: Sit igitur

## TERTIA DISQVISITIO. An necessitas conuersionis ad phantasmata in statu vitæ mortalis, dum contemplatur homo probari possit argumento à priori.

Videntur adfirmare illi qui huius rei causam volunt esse ordinem naturalem; seu, subordinationem, aut dependentiam potentiarum: hinc enim oriri, vt dum vna proprium attingit obiectum, altera etiam, quæ circa illud versari apta est, in illud tendat.

Hæc ratio non omnino conficit rem propositam. Potest enim esse subordinatio absque necessitate tanta, vt liquet in potentiis sensitiuis externis, & internis: Interna enim operari potest cessante omnino externa ab operatione propria. Sic Phantasia in somnis functionem suam exercet sensibus externis ab omni actione interim feriantibus. Itaque, subordinatio non est causa illius connexionis adæqua-

X ta, nec

ta nec proxima: & consequenter à priori necessitatem illam non demonstrat.

Probant tamen illam Conimbricenses Art. 11. & confirmant. Quia cum operatio formam, eiusque modum existendi sequatur: anima autem humana sit forma corporis, exposcit ad functionem suam ministerium corporis, & Phantasiæ satellitium.

Verum ad hoc satis esset, quod sensuum externorum adminiculo, species à rebus accipiat: & dum intellectus agens species sensiles producit, Phantasia non sit ociosa. Adde, quæri hic non solum: an hæc sit potentiarum subordinatio: verum etiam, quæ illius sit causa proxima, ac necessaria: probabile igitur est huius rei causam à priori non posse dari.

## QVARTA DISQVISITIO. Quibus indicijs probent Scholastici, necessarium esse vt Contemplans intellectus Phantasmata speculetur?

S. Thomas P.P. Quæst. LXXXIV. Art. 7. duplici vtitur. *Primum* est: Experimento habemus si impediatur actus virtutis imaginatiuæ per læsionem organi; vt in phreneticis: impedito etiam actu virtutis memoratiuæ, vt in lethargicis: seu læsa phantasia humore aliquo, aut impedita per somnum, & ligata lædi vsum rationis, simulque impediri intellectum ne operationem suam exequatur, tam circa res corporeas, quam spirituales, ac diuinas. Itaque intellectus humanus quamuis non inhæreat corpori, non potest tamen operari, nisi in subsidium veniant potentiæ corpori inhærentes.

Secundum. Quilibet in se ipso experitur, cum aliquid intelligere conatur, quod formet sibi materialia quædam idola seu phantasmata, per modum exemplorũ, in quibus quasi inspiciat, quod intelligere est propositũ. Et inde est, inquit S. Thomas, quod, quãdo inducere cogitamus quempiã, vt aliquid intelligat, proponamus illi exẽpla, à quibus phantasmata formare possit ad intelligendũ. Addit huius rationẽ esse: quia potẽtia cognoscitiua proportionatur cognoscibili: vnde intellectus Angeli, qui est totaliter à corpore separatus, obiectum proprium est substantia intelligibilis à corpore separata: & per huiusmodi intelligibilia cognoscit ipse obiecta materialia. Contrarium est in intellectu humano, qui est coniunctus corpori: ideoq; proprium illius obiectum est. Natura in materia corporali existens:

ac

ac per huiusmodi naturas rerum visibilium in inuisibilium cognitionem ascendit.

## QVINTA DISQVISITIO. An sit naturale animæ corpus informanti non intelligere quidpiam nisi per conuersionem ad phantasmata?

SCotus, locis disq. 1. indicatis, non dubitat adserere in pænam peccati originalis deiectum quodammodo fuisse animum humanum ac corporalia, & damnatum ad intelligendi modum imperfectum atque infimum, qui est, concurrente phantasia.

RESPONDEO. Non esse id referendum in peccatum: sed in cōditionem naturæ humanæ. Ita S. Thomas. qui idcirco docet 1. p. qu. 97. art. 4. Adamum, etiam in statu innocentiæ habuisse eundem intelligendi modum per conuersionem ad phantasmata. RATIO est, quia modus operandi sequitur modum essendi. Est autem animæ modus essendi in corpore naturalis. Ergo & modus operandi dependenter à corpore quamdiu est in illo statu. Ex eo autem quod operetur dependenter à corpore, fit, vt necessarium sit conuertere se ad phantasmata.

Confirmatur. Nemo dixerit dependentiam, quam habet intellectus possibilis à phantasmatibus ad receptionem specierum, quas intellectus agens format, & imprimit ministerio phantasmatum pænam esse peccati originarii: quippe quæ in statu innocentiæ non minus, quam nunc fuisset, vt docet S. Thomas 1. p. quæst. 101. art. 1. & in 11. dist. 20. quæst. 11. art. 2. Eadem autem est ratio necessitatis speculandi phantasmata, quando intellectus speciebus productis ad rerū contemplationem vtitur.

OBIICITVR Augustinus, qui omnino videtur necessitatem speculandi phantasmata referre ad pœnam peccati. Sic enim scribit lib. 15. de Trinit. cap. 27. *Quæ causa vt ipsam lucem fixa acie videre non possis, nisi infirmitas? & quis eam tibi fecit, nisi iniquitas?*

RESP. Iis verbis non insinuare Augustinum, culpam esse caussam dependentiæ illius, qua intellectus ad functiones suas opus habet conuersione ad phantasmata: Sed esse causam illius difficultatis quam experimur in cognitione claræ veritatis.

## SEXTA DISQVISITIO. Quamobrem non semper conueniat animæ humanæ intelligere per conuersionem ad phantasmata?

POSSET quis ita argumentari. Quod est animæ naturale id illi semper, & vbique conuenit. Itaque si contemplari phantasmata est animæ naturale, id illi semper conueniet. Quod falsum esse constat.

RESPONDEO. Non esse naturale animæ speculari phantasmata secundum quemlibet statum: vel abstrahendo à diuersis statibus in quibus anima, quæ est forma corporis reperiri potest. Quod autē non est naturale ita generatim id neque semper, neque vbique conuenit. Itaque hoc tantum est proprium animæ, dum est in corpore mortali.

## SEPTIMA DISQVISITIO. Cur operari possit, etiam in vita mortali phantasia, quiescente sensu externo: non possit operari intellectus, cessante à functione sua phantasia?

DIfficultas inde suboritur. Quoniam vel magis, vel certe non minus pendet Phantasia à sensu externo, quam intellectus à phantasia: quia eadem cernitur hic potentiarum subordinatio: vel si est diuersa, maior est inter phantasiam, & sensum exteriorem: quippe inter generis eiusdē potentias cognoscitiuas, quam inter phantasiam & intellectum, quæ sunt potentiæ diuersi generis. Adde: intellectum, nempe potentiam immaterialem esse abstractiorem à corpore, quam sit vlla potentia organo corporeo adfixa. Sensus autem interior, & imprimis phantasia, operatur, cum ab omni exteriore operatione cessat sensus externus.

RESPONDET S. Thomas. quæst. 84. art. 7. ad 2. Magis dependere intellectum à phantasia, quam hāc à sensu exteriore in sua operatione. Quia, cum phantasma, quod formatur à phantasia sit similitudo rei particularis non indiget phantasia ad functionem suam alia similitudine particulari: sicut indiget intellectus humanus in corpore existens, cuius proprium obiectum est quidditas, seu natura in materia corporea existens.

RESPONDERI II. potest. Intellectum æque pendere à Phanta-

sia:

sia;& hanc à sensibus externis, si adquisitionem specierum spectes: non autem quo ad vsum ob rationem adsignatam. Neque obest immaterialitas intellectus; quia hæc non impedit maiorem coniunctionem inter intellectum & phantasiam, quam sit inter hanc & sensum externum. Ita Conimbricenses sentiunt.

Sane, quicquid tandem argutemur: experientia, quæ docet intellectum ordinarie non posse operari nisi per conuersionem ad phãtasmata, & phantasia simul operante; eadem demonstrat posse sensum interiorem operari per species receptas: quamuis sensus interior eodem tempore ab omni operatione vacet.

Tandem: quamuis intellectus non producat species dependenter à phantasia, nisi valde remote, non potest tamen ijs vti, nisi dependenter à phantasia: non quod requiratur pręsentia causæ remotæ ad producendum effectum, sed quod modus connaturalis operandi intellectus id postulet.

## OCTAVA DISQVISITIO. An Scholastici admittant Contemplationem-puram ex diuino gratiæ munere.

RESPONDEO: Adfirmate. Ita Suarez Tom. II. de relig. lib. II. de orat. cap. 14. vbi asserit, fateri omnes Theologos, non implicare contradictionem eleuari mentem hominis in hac vita ad hoc genus Cõtemplationis, in quo intelligibile contempletur sine vllius sensus cooperatione. Cuius ille Rationem à priori hanc esse putat. Quoniam necessitas cooperationis phantasiæ dum intellectus humanus operatur, nõ potest esse essentialis animę, vt repugnet impediri virtute diuina, & intellectũ confortari ad operandũ absque vllius sensus siue interni, siue externi cooperatione. Antecedens facile probatur. Nã cooperatio phantasiæ est realiter distincta ab operatione intellectus: nec illa est huius causa per se, quamuis esse possit, vel occasio considerandi deinde obiectum propositum, vel excitatio intellectus: imo aliquando potius est effectus operationis ab intellectu procedentis. Siquidem intellectus informatus specie abstracta à phantasmatibus dum illa vtitur trahit secum imaginationem ad operandum. Quod non aliud, quam sympathiam quandam naturalem, non autem dependentiam intrinsecam arguere Suarez existimat.

Confirmatur. Intellectus hominis corpori coniunctus eleuarĩ potest ad Contemplationem Dei clare intuitiuam vt patet in Chri-

sto & totaliis de quibus id probabiliter asseri docemus P. Parte theologiæ lib. III. à comm. XXIX. In hac autem eleuatione certum est non cooperari phantasiam. Imo indicat S. Thomas S. IIdæ Q. CLXXV. Art. IV. esse impossibile animam videntis Deum in corpore mortali pro tunc aliquid per sensus externos, vel internos cognoscere.

Idem Suarez. cap. XVI. vbi disputat: An ex intellectuali contemplatione huius vitæ sequi possit Ecstasis in omnibus sensibus internis. quod maxime intelligitur de phantasia. RESPONDET. Naturaliter id nō posse contingere. Addit tamen si Deus interdum illo modo suspendit operationē phantasiæ id eū facere ex speciali dispositione suæ prouidentiæ, vel auferendo omnia obiecta motiua phantasiæ, vel nō concurrendo cum illa: nō tamen id facere, quia naturaliter sequatur illud phantasiæ impedimentum ex vi solius actus contemplationis, vel reuelationis intellectualis.

Existimat autem etiam Suarez nulla experientia posse satis constare, quod anima in tali Contemplatione abstrahatur ab omni actu phantasiæ. Quia ex signis externis, quæ solent esse in homine quando actu est in tali ecstasi ad summum ostenditur suspensio externorum sensuum: interius autem solus ipsemet, qui contemplatur potest tunc experiri quid sentiat. Non potest autem postea per experientiam certus esse quod nullam operationem phantasiæ habuerit, tum quia potest esse operatio tam simplex, vt postea illius nulla memoria relinquatur, vt contingit in aliquibus somniis: tum etiam, quia si operatio intellectus, non sit de re spirituali, prout est in se vix discerni potest per experientiam à consortio operationis phantasiæ.

---

# EXERCITATIO III.

## *VTRVM CONTEMPLATIONEM puram admittant SS. PATRES.*

ESSE quandam Contemplationem Diuinorum altissimam, quæ nullo phantasmatum interuentu vel turbetur, vel obnubiletur, colligi posse videtur ex S. Augustino, qui non vno loco insinuat, quosdam contemplari solere puram veritatem absque phantasmatum inuolucris.

Illustris est locus Tractatu 02. in Ioannem vbi sic scribit: *Cum vero Spiritalis cœperit omnia diiudicare, ipse autem à nemine diiudicari: etiamsi in*

*si in hac vita adhuc, velut per speculum ex parte perspicit: tamen non vllo corporis sensu, nec vlla imaginaria cogitatione, quæ capit, aut fingit, qualiumcumque similitudines corporum, sed mentis certissima intelligentia DEVM intelligit non corpus esse sed spiritum.*

At haud dubie occurrunt cogitanti ex inueterata consuetudine corporea simulacra, quomodo illa à se amandat Contemplator? Respondet eodẽ loco Augustinus: *Quicquid tale spiritualibus de DEO cogitationibus ex corporum consuetudine occurrit negando, atque respuendo, tanquam importunas muscas, ab interioribus oculis abigunt, & sinceritati eius lucis adquiescunt. qua teste, ac iudice has ipsas imagines corporum suis internis aspectibus intuentes, falsas omnino esse conuincunt.*

Idem insinuat Magnus Doctor in accuratissima & longissima disputatione de Raptu Pauli in tertium cælum, quæ habetur lib. 12. de Genesi ad litt. Vbi ad modum trium cælorum distinguit tria genera cognitionum, quorũ *primum* fit per imagines corporeas, & est infimum: *Alterum* per formas imaginarias seu phantasmata: & est medium: *Tertium* per species & notiones pure intelligibiles: & est supremum: quo Pauli mentem eleuatam putat, vt habuerit visionem pure intellectualem circa obiecta intelligibilia ab imaginatione abstracta.

Principio itaque ad ordiendam disputationem quæstionem instituit, de admirando illo Raptu. *Quæri potest*, inquit, *vtrum imagines corporis fuerint* (nimirum illa, *quæ in Raptu vidit Paulus*) *an eam substantiam, quæ nullam corporis similitudinem gerit sicut DEVS, sicut ipsa mens hominis, vel intelligentia, vel ratio, sicut virtutes, prudentia, iustitia, charitas: quas intelligendo, atque cogitando enumeramus, discernimus, definimus, non vtique lineamenta illarum, vel colores, aut quomodo sonent, aut quid redoleant, aut quid in ore sapiant, aut quid contrectantibus de calore, seu frigore, de lenitate, seu asperitate renuncient: sed alia quadam visione, alia luce, alia rerum euidentia, eaque longe ceteris præstantiore, atque certiore.* lib. 12. ca. 5.

Deinde tria cognitionum genera, quæ visionum nomine proponit exemplo illustrat cap 6. *Ecce in hoc vno præcepto, cum legitur:* Diliges proximum tuum tanquam teipsum: *tria visionum genera occurrunt: vnum per oculos:* alterum, *per spiritum hominis* (id est imaginationem) *quo proximus & absens cogitatur:* tertium *per contuitum mentis, quo ipsa* Dilectio *intellecta conspicitur. In his tribus generibus illud primum manifestum est omnibus. In hoc enim videtur cælum & terra, & omnia, quæ in eis conspicua sunt oculis nostris. Nec illud alterum, quo absentia corporalia cogitantur, insinuare difficile est: ipsum quippe cælum & terram, & ea quæ in eis videre possumus, etiã in tenebris constituti, cogitamus: vbi nihil videntes oculis corporeis,*

*poreis, animo tamē corporales imagines intuemur.* Tertium *vero illud, quo Dilectio intellecta conspicitur eas res continet, qua non habent imagines sui similes, qua non sunt, quod ipse.*

De eodem hoc tertio genere sic loquitur cap. 12. *Quando autem penitus auertitur, atque abripitur animi intentio à sensibus corporeis, tunc magis ecstasis dici solet: tunc omnino, quacumque sunt præsentia corpora, & patentibus oculis non videntur, nec vlla voces prorsus audiuntur, totus animi contuitus aut in corporum imaginibus est per spiritualem, aut in rebus incorporeis nulla corporis imaginatione figuratis per intellectualem visionem.*

Iterum cap. 24. *Hac igitur natura spiritualis in qua non corpora, sed corporum similitudines exprimuntur inferioris generis visiones habet, quam illud mentis atque intelligentiæ lumen, quo & ista inferiora diiudicantur, & ea cernuntur, qua neque sunt corpora, neque vllas gerunt formas similes corporum: veluti ipsa mens & omnis animæ affectio bona. Quo enim alio modo ipse intellectus, nisi intelligendo conspicitur? Ita & caritas, gaudium, pax, longanimitas, & cetera huiusmodi: & ipse Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.*

Pergit porro, comparationem instituens inter illas cognitiones in eodem homine. *Quanquam enim in eadem anima fiant visiones, siue qua sentiuntur per corpus: sicut hoc corporeum cœlum, terra, & quacumque in eis nota esse possunt, quemadmodum possunt: siue qua spiritu videntur similia corporum: siue quum mente intelliguntur, qua nec corpora sunt, nec similitudines corporum: habent vtique ordinem suum, & est aliud alio præcellentius.*

*Præstantior est enim visio spiritalis, quam corporalis: & rursus, præstantior intellectualis, quam spiritalis. Corporalis enim sine spiritali esse non potest: quandoquidem momento eodem, quo corpus sensu corporis tangitur, fit etiam in animo tale aliquid: non quod hoc sit, sed quod simile sit. quod si non fieret, nec sensus ille esset, quo ea, qua extrinsecus adiacent sentiuntur. Neque enim corpus sentit sed anima per corpus, quo velut nuncio vtitur ad formandum, in se ipsa, quod extrinsecus nunciatur. Non potest igitur fieri visio corporalis, nisi etiam spiritalis simul fiat: sed non discernitur, nisi cum fuerit sensus ablatus à corpore, vt id quod per corpus videbatur, inueniatur in spiritu At vero spiritalis visio etiam sine corporali fieri potest cum absentium corporum similitudines in spiritu apparent & finguntur multæ pro arbitrio, vel præter arbitrium demonstrantur. Item, spiritalis visio indiget intellectuali, vt diiudicetur: intellectualis autem ista spiritali inferiore non indiget. Ac per hoc spiritali corporalis: intellectuali autem vtraque subiecta est.*

Concedit itaque Augustinus visionem siue contemplationem intellectualem, in qua pura nudaque veritas absque phantasmatum inuolucris conspicitur; & hanc contigisse Paulo Apostolo. Inferiorem

rem aliquam Ioanni Euangelistæ, arcana cœlestia in insula Pathmos contemplanti, quæ postea in apocalypsim retulit. De eodem autem subdit. *Si quemadmodum raptus est à sensibus corporis, vt esset in istis similitudinibus corporum, quæ Spiritu videntur: ita & ab ipsis rapiatur, vt in illam quasi regionem intellectualium, vel intelligibilium subuehatur. Ibi sine vlla corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis obfuscatur.* Lib. 12. Gen. ca. 26.

Accepit hoc visionum discrimen ab Augustino Thomas, sicque tertium cœlum, in quod raptus Paulus interpretatur lect. 1. in 11. ad Corinth. 12. *Est*, inquit, *triplex visio: scilicet*, corporalis, *per quam videmus, & cognoscimus corpora. Et* imaginaria, *qua videmus similitudines corporum. Et* intellectualis, *qua cognoscimus naturas rerum in se ipsis. Nam proprie obiectum intellectus est, quod quid est.* Hanc autem contingere absq; phantasmatum interuentu in subnexis declarat. *Si* enim, *aliquis*, ait, *videret ipsa intelligibilia, & naturas ipsorum non per sensibilia, nec per phantasmata sic esset raptus vsque ad tertium cœlum.*

De ijsdem visionibus agit S. Doctor S. II. quæst. 147. art. 2. & 3. quæst. 175. art. 3. quibus locis docet: Posse esse visionem intellectualem sine imaginaria, vt habuit Dauid, vti testatur Psal.

Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax, & Moses, ac Paulus. Contingere etiam visionem imaginariam sine sensibili externa, cuiusmodi crebræ fuere in Prophetis. Præterea: visionem intellectualem præstantiorem esse ceteris, quatenus veritas supernaturalis nude per illam manifestatur. Ex quibus apertissime colligi videtur, posse dari, & in aliquibus fuisse contemplationem puram.

His adiunge quæ scribit S. Doctor in III. dist. 34. qu. 1. art. 4. In statu viæ spiritualia, & præcipue Deum magis videmus cognoscendo quid non est, quam apprehendendo quid est. Et ideo quantum ad statum viæ ponitur cordis munditia non solum à passionum illecebris (quam munditiam donum intellectus non facit, sed præsupponitur per viam actiuam perfectam) sed etiam ab erroribus & phantasmatibus, & spiritualibus formis à quibus omnino docet abscedere Dionysius lib. de Myst. Theol. capit. 1. tendentes in diuinam contemplationem.

Ex quibus collige existimasse S. Thomam I. In statu quoque vitæ præsentis posse quempiam pertingere ad contemplationis eam puritatem, quæ phantasmatum inuolucra respuat. II. Ex mente Dionysii, quam adprobat S. Thomas ad perfectam Dei contemplationem adsequendam remouenda esse ab animo phantasmata. III. Proprium esse doni intellectus nudare, ac purgare animam ab erro-

ribus, phantasmatibus, ac spiritualibus formis. Similia habet dist. 35. quæst. 11. art. 2. quæ retulimus superius p. 274. Quæ vt alia eius generis conuincunt S. Thomam admisisse contemplationem puram.

S Tho. S. II q. 17 art. 10 de verit q. 13. art. 2. ad 9. Quare recte Iacobus Aluarez tom. III. lib. 5. parte III. capit. I. Thomas Aquinas non negat contemplationē puram sine vsu phantasmatum: imo, aperte concedit: dicens, posse hominem in hac vita ad videndam clare diuinam essentiam efferri. Et dum ait, hanc eleuationem interdū fieri per aliquas intelligibiles immissiones, quod est proprium Angelorum. Cum vero sæpissime dicit more Scholastico, impossibile esse, quod intellectus intelligat, sine conuersione ad phantasmata, vel sine cooperatione imaginationis, manifeste loquitur, de modo connaturali cognoscendi, quē anima, etiā gratia subleuata habet existens in corpore. At Deus modum supernaturalem, & plane Angelicum quibusdam sanctis animabus aliquando ad contemplandum impertit.

Quam S. Bernardus non obscure commendat, indicans contemplationis genus à similitudinum corporearum inuolucris liberum, quod ipse *dormitionem, somnum, quietem*, imo *mortem* nuncupat. Hæc enim sunt symbola contemplationis puræ. quæ mellifluus Doctor exponit, disserēs de somno sponsæ, à qua eam excitari prohibet sponsus Canticorum II. 7. *Adiuro vos filia Ierusalem, per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoadusque velit.*

Bern. serm 52. in Cāt. Non est is sponsæ somnus, inquit Bernardus, dormitio corporis, vel placida, quæ sensus carnis suauiter sopit ad tempus: vel horrida, quæ funditus vitam tollere consueuit. Multo magis vero, & ab illa alienus existit, qua obdormitur morte, cum videlicet in peccato, quod est ad mortem irreuocabiliter perseueratur. Magis autem istiusmodi vitalis vigilque sopor sensum interiorem illuminat, & morte propulsata vitam tribuit sempiternam.

Eccles. III. Reuera enim Dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat. Est & mors, quod non dubius dixerim, quoniam Apostolus quosdā in carne adhuc viuentes cōmendando sic loquitur: Mortui e. stis, & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo. Proinde & ego nō

Psal. 123. absurde sponsæ ECSTASIN vocauerim Mortē, quæ tamen non vita, sed vitæ eripiat laqueis, vt possit dicere: anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantiū. Inter medios namq; laqueos in hac vita inceditur, qui vtique toties non timentur, quoties sancta aliqua & vehementi cogitatione animà à semetipsa abripitur: si tamen eo vsque mente secedat, & auolet, vt & hunc communem transcendat vsum, & consuetudinem cogitandi.

Et-

Etenim frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, etsi non vita: certe vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Vtinam hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis, vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimēta: vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Prou. 1. Psal. 54.

Moriatur anima mea morte iustorum, & nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas BONA MORS, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima subleuatur, verum hæc hominum est. Sed moriatur anima mea MORTE etiam, si dici potest ANGELORVM, vt præsentium memoria excedēs rerum se inferiorum, corporearumque non modo cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat, sitque illi PVRA cum illis conuersatio, cum quibus est PVRITATIS similitudo.

Talis, vt opinor, excessus aut tantum, aut maxime CONTEMPLATIO dicitur. Rerum etenim cupiditatibus non teneri humanæ virtutis est: corporum vero similitudinibus speculando non inuolui angelicæ puritatis est: vtrumque tamen diuini muneris est. Vtrumq; excedere: vtrumque te ipsum transcendere est: sed longe vnum, alterum non longe. Beatus, qui dicere potest: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Non fuit contentus exire, nisi & longe se faceret, vt posset quiescere. Transilisti carnis oblectamenta, vt minime iam obedias concupiscentiis eius: nec tenearis illecebris: profecisti: separasti te, sed nondum elongasti, nisi & irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate præualeas. Huc vsque noli tibi promittere requiem.

Erras, si citra inuenire te existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. Sed da mihi, qui illuc peruenerit, & incunctanter fateor quiescentem, qui merito dicat: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Habemus igitur, haud alienum esse à sensu Patrum, asserere, in hac vita concedi posse aliquibus contēplationem puram: Vnus tamē nominatur, qui id plane negare videtur, S. Gregorius Naziāzenus orat. 11. de Theologia, vbi ingeniosissime disputat de difficultate, quæ est homini, & omni creaturæ non minima ad cognoscendum clare ac perfecte Deum & diuina.

Y 2 Quan-

Quantum ad nos, inquit, qui exiguis modulis, res cognitu perspectuque difficiles metimur, coniectura adsequi possumus, tres huius rei causæ adferri queunt. *Prima*, ne ob adipiscendi facilitatem facilis quoque rei quæsitæ iactura sit. Fit enim fere, vt quod non sine labore atque industria partum est, arctius quoque teneatur: quod autem nullo negocio comparatum est, citissime vilescat, atque contemnatur vtpote, quod recuperari possit. Atque ita in beneficium cedit non obuia illa & exprompta beneficētia duntaxat apud prudētes homines, atque cordatos. Altera: ne idem nobis quod lucifero illi prolapso accidat, qui toto illo fulgore perfusus aduersus Dominum omnipotentem, ceruicem obdurauit, atque ob elationem corruit, casu omnium miserrimo, & calamitosissimo. Postrema: vt pro industriæ suæ illustrisque vitæ præmio vberius aliquid habeant: qui hic sese à vitiorum labe perpurgarint, ac rem adamatam, & expeditam patientibus animis expectarint. Idcirco, media inter nos ac Deum corporea hæc caligo interiecta est, non secus ac nubes illa olim in-
Exo 13. Psal. 17. ter Ægyptios & Hebræos. Et fortasse per tenebras eas, quas posuit latibulum suum nihil aliud significatur, quam crassities nostra per quā pauci, iique parum omnino perspiciunt.

Addit deinde. Nobis, qui terræ vinculis adstricti tenemur, vt Ie-
Thren. III. remiæ verbis vtar, crassaque hac carne obtegimur, hoc perspicuum est, quod quemadmodum nulla ratione fieri potest, vt quispiam, quamlibet gressum vrgeat, vmbram suam prætereat (quantum enim eam adsequeris, tantum etiam illa semper anteuertit) aut oculus rebus in aspectum cadentibus citra intermediam lucem, & aerem coniungatur: aut natatilia animantia extra vndas labantur: ita etiam impossibile est, ijs qui corporibus inclusi sunt, sine corporearū, ac sensilium rerum adminiculo rebus iis, quæ animo, ac ratione intelliguntur omnino coniungi. Semper enim obiter sensile aliquid incidit, quantumuis maxime nostra mens à rerum aspectabilium contagione separata, atque in seipsam collecta cum rebus cognatis, oculorumque aciem fugientibus commercium habere conetur.

Illustrat id exemplis. Nonne enim Spiritus, & Ignis, & Lux, & Caritas, & Sapientia, & Iustitia & Mens, & Verbum, seu, Sermo, atque huiusmodi nominibus diuina natura appellatur? Quid igitur? An Spiritum citra motionem, & fusionem intelliges? aut Ignem extra materiam? ac motum sursum tendentem, propriumque colorem, ac figuram? aut lucem nullo aere permixtam, atq; ab eo, à quo veluti procuratur, & illustratur, liberam & seiunctam? Iam Mentem quam tandem intelliges, nisi eam, quæ alij inest, tecum reputaris, cuiusque

motus,

motus, cogitationes nostræ sunt vel quiescentes, vel sese proferentes? Quem etiam Sermonem, præter eum, qui in nobis tranquillus est, vel diffunditur? vereor enim dicere, soluitur. Quam porro Sapientiam, præter habitum, ac sapientiam illam, quæ vel in diuinis, vel in humanis speculationibus versatur? Quam porro Iustitiam, & Caritatē? nonne præclaras & laudabiles adfectiones (quarum altera iniustitiæ, altera odio aduersatur, nunc sese intendentes, nunc remittentes: nunc accedentes, nunc recedentes, ac certa omnino qualitate nos afficientes, & immutantes haud sequus ac colores corpora?

An nobis faciendum est, vt ab his abscedamus? ac Numen ipsum per se, quantum nobis per vires licet, perspiciamus, particularem nimirum speciem quandam ex coniecturis, & simulacris colligentes? Quæ ergo erit hæc machina, quæ molitio ex his conflata, nec tamen hæc? aut quomodo id, quod vnum est, eamque naturam habet, vt nec compositum sit nec vllis rerum simulacris adumbrari queat, hæc omnia, atque horum vnumquodque perfecte fuerit? Ita mens nostra in hoc languet, atque fatiscit, vt è corporeis & sensilibus rebus excedat, atque incorporeis, nullius rei interuentu iungatur, quam diu cum sua infirmitate ea, quæ vires ipsius excedunt speculatur.

Hæc quidem ostendunt, Gregorium Theologum existimasse, hominem non intelligere DEVM aut Diuina nisi conuertendo se ad phantasmata: ideoque ad purā Cōtemplationem naturæ viribus non adsurgere: non tamen, eius illum fuisse opinionis, ac si Dei beneficio id non possit contingere. Nam eodem modo in antecedentibus loquitur de clara diuinæ essentiæ notitia, quam Dei munere non Angeli solum, sed & homines mortalitatis deposita sarcina consequi indubitatum est.

---

# EXERCITATIO IV.

## *CONTEMPLATIONEM-PVRAM IN vita mortali exerceri à quibusdam asserunt MYSTICI.*

COmmunis est Mysticorum Assertio: Contemplationem aliquam absque Phantasmatum concursu, & Phantasiæ cooperatione contingere: quam vt propriam huius disciplinæ propugnat acriter

Dionysius Carthusianus commentariolo in Mysticam Areopagitæ, vbi hunc in modum scribit.

S. Thomas sæpe, imo sæpissime multum adfirmat & fortiter tenet, quod intellectus noster intelligere nequit nisi speculando phantasmata. Quod quamuis vbertim, & euidenter ac copiose improbatum sit, præsertim super IIdum Sentent. & in Elementatione Philosophiæ, hic tamen aliqua sunt addenda vel repetenda.

Itaque super Boetium & alibi ait multoties. Intellectus noster secundum statum vitæ habet habitudinem determinatam ad phantasmata, quoniam comparatur ad ea sicut visus ad colores: phantasmata autem ab exterioribus formis abstrahuntur, idcirco non potest Deum in hoc statu per essentiam ipsius cognoscere, nec per aliquam speciem spiritalem quæ sit Dei similitudo propter ipsius intellectus connaturalitatem ad phantasmata.

Quibus obiicitur. Quia, vt ipsemet Doctor Stus adfirmat ac bene idonee probat in summa contra Gentiles: Anima rationalis adhuc manēs in corpore, quantum ad vires suas inorganicas, immateriales, intellectiuas, supremas, super corpus est eleuata, & per se subsistens; nec quo ad totum suum esse comprehensa à corpore: nec enim potentiæ eius sunt nobiliores, aut eleuatiores, quam essentia, vt Proclus insolubiliter probat. Ergo vires illæ superiores iam actuatæ scientia competenti & forma intelligibili agere queunt ex sua natura, sine communione, & conuersione ad corporale phantasma, & absque adminiculo virium sensitiuarum, cum modus agendi sequatur modum essendi, & proprietas actionis naturam agentis.

Præterea: si istud negetur, non poterit naturali ratione ostendi immortalitas animæ, cuius oppositum S. Thomas sæpius scripsit. Nempe (vt lib. de Anima ait Philosophus) si anima rationalis in vita hac non habet aliquam operationem liberam, propriam, ac separatam à corpore, non potest extra corpus subsistere: si autem habet actionem huiusmodi potest à corpore separari. Si dixeris; Quod separata habet alium modum essendi: ergo & operandi; iam præsupponis, quod restat probandum.

Amplius: In ipsa scientia rei, & intelligibili specie eius sufficienter relucet natura obiecti etiam purius & illimitatius, quam si species illa ad phantasma retorqueatur. Ergo per speciem illam purius cernit: quod & experimento docetur in his qui interdum omnino abstrahuntur à corpore.

Et quoniam è Scholasticis nonnulli, qui in contraria sunt opinione nituntur auctoritate S. Dionysij Mysticorum Principis, cuius.

sus illa sunt clarissima ca.1.de Hierarch.cælesti.*Impossibile est lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum.* RESPONDET Carthusianus,id intelligendum,quantum ad primam intellectus informationem:sicut & illud Philosophi:*Intelligentem oportet phantasmata speculari.* Addere possis : Impossibile & apud Dionysium,& eius Doctorem,Paulum Apostolum,non infrequenter significare,quod admodum est difficile,vt notant communiter Interpretes sacri ad illud Epist.ad Hebr.6.4.*Impossibile est eos,qui semel sunt illuminati,gustauerunt etiam donum cæleste , & prolapsi sunt rursus renouari ad pœnitentiam.* Demum , si quid,particula,*impossibile* conficit,summum hoc habebitur, naturæ viribus id esse impossibile. Nam contemplationem puram extollit Dionysius cap.1.Theologiæ Mysticæ,vbi monet eius disciplinæ studiosum, vt non solum sensus derelinquat , sed & intellectuales operationes , ac omnia sensibilia, & intelligibilia, hoc enim pacto fieri posse,vt ab omnibus absolutus ad supersubstantialis caliginis radium munde ac pure feratur.

Quo quid fortius , quid sententiosius dicere potuit Areopagita,inquit Carthusianus.Certe qui phantasmata speculatur,nō deserit,nec transcendit pure,ac penitus omnem sensum , & sensibilia vniuersa. Nec tamen in Mystica Contemplatione sufficit ista relinquere nisi & intelligibilia omnia deserantur,&cuncta creata, operationesque propriæ,& ipse qui contemplatur , nec se ipse intueatur. Quid in ista contemplatione conferrent phantasmata ,quando iam apex mentis soli increatæ luci intentus est, & vnitus per theorica lumina,per sapientiæ radium,per impressiones deificas.

Rursus, eodem cap. inquit Areopagita:*Omnium causa solis incircumuelate, & vere apparet transcendentibus omnia immunda , & materialia & omnes animos supercælestes.* Audis,quod dicit,*incircumuelate*:id est,sine sensibilium formarum velamine. Et sane,si oportet in hac intuitione,etiam Angelicas purissimas mentes transcendere,quomodo non magis vilia,& materialia ista phantasmata? Adhuc autem :si sine phātasmate nequit mens humana quicquam cognoscere,quomodo vera sunt,quæ de anagogica,ac pure mentali Contemplatione , & superna illustratione Sancti loquuti sunt,& scripserunt? Cur Bmus Dauid ceteris præfertur Prophetis , qui imaginarias visiones sortiti sunt,cum ipse anagogice,& pure immaterialiter,sine phantasmatum velamento diuina præuidit mysteria , & sacra cognouit abscondita: Incerta,inquiens,&occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Aduerte & perspice quod secundo Reg. 23. loquitur de seipso,spiritus Domini loquutus est per me,& sermo eius per linguam meam. Sicut lux auto- *Psal. 50.* *Lib. II. reg.23.2.4.*

auroræ oriente sole, mane absque nubibus rutilat: & sicut pluuiis germinat herba de terra.

At enim dicunt aduersarii, quod mens humana non illuminetur immediate à mente Angelica luce immateriali, sed lux illa vnitur phantasmati, & prout relucet in illo à mente humana conspicitur. Verum, nonne mens humana simplex, immaterialis, deiformis capacior est directe, & immediate illuminationis, ac lucis Angelicæ, quam materiale phantasma. Ita fere Carthusianus pugnat pro contemplatione pura.

Quam aliorum quoque Doctorum auctoritate confirmat in 1. sentent. dist. 2. vbi disputat de contemplatione altissima, & loquitur de varia purgatione, qua ad summam puritatem mens humana peruenire potest. Mens enim ad hoc (inquit) vt Deum contempletur eget purgari quoad intellectũ, & affectum. Fides purgat intellectum, iustitia adfectum. Iustitia ergo fidei est: id est fides viua, iustitiæ supernaturali copulata, seu vera sanctitas, quæ fidem omniaque illi adnexa ornamenta designat, purgat animum.

Vtriusque autem purgationis triplex est gradus. Intellectus namque purgatus est, cum abstrahitur à sensibilibus speciebus: purgatior, dum mundatur à phantasticis imaginibus: purgatissimus, cum à physicis, aut philosophicis rationibus. Gradus quoque purgationis adfectus sunt isti. Purgatur adfectus dum mundatur à culpa: purgatior est, dum à culpæ sequela: purgatissimus, cum ab occasione peccandi. Hæc D. Bonauentura.

Quibus consentit Albertus, qui addit nonnihil, dicendo. Ex parte adfectus primo fit purgatior à peccato: secundo, à pronitate relicta ex vitio: tertio, à fomitis incendio: quarto, ab occasionibus peccandi ab extrinseco. Ex parte autem intellectus tollitur primo, præsentia corporis, quæ est ad sensum: secundo præsentia imaginis corporalis ab imaginatione: tertio, actus intellectus progredientis ex principiis sibi notis secundum philosophiam. Adhæc enim sequitur, quod eleuet se super se ad fidei lumen, & tunc cernit Deum trinum & vnum. Mentis enim humanæ acies inualida (id est, debilis intellectus, siue intuitus animæ rationalis) in tam excellenti luce non figitur, id est, increatum lumen, quod est Trinitas benedicta, & summũ bonum stabiliter intueri non valet, nisi per iustitiam fidei: id est, per actus virtuosos ex fide manantes, emundetur modis iam tactis: oportet enim potentiam aliquomodo aptari, & proportionari suo obiecto. Hæc ex Alberto & Bonauentura Carthusianus.

Mens certe Bonauenturæ minime est obscura, ex Itinerario Æterni-

Æternitatis dist. 4. art. 2. vbi inter gradus contemplationis, quattum collocat, ex doctrina Richardi, quem posteriores Mystici vt magnũ suum magistrum agnoscunt, contemplationem-puram, quam ait esse in ratione, ac secundum rationem formari. Quod vtique fit, inquit, cum semoto omni officio imaginationis, solum illis animus intendit, quæ imaginatio non nouit: sed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem deprehendit. Tali enim speculationi tunc insistimus, quando inuisibilia nostra, quæ per experientiam nouimus, & ex intelligentia capimus, in considerationem ducimus; & ex eorum consideratione in cælestium animorum, & supermundanorum intellectuum contemplationem adsurgimus.

Addit Richardus. Hæc Contemplatio in ratione consistit, quia sensibilibus semotis, solum intelligibilibus intendit. Et hæc quidem Contemplatio ab illis vtique inuisibilibus nostris videtur initium sumere & fundamentum capere, quæ humanum animum constat per experientiam intellectualem nosse, & per communem intelligentiam comprehendere. Sed tamẽ pro hac parte hæc Contemplatio etiã in ratione recte dicitur consistere, quia ipsa inuisibilia nostra à ratione comprehenduntur: & in eo ipso ratiocinationis modum minime supergreditur. *Richar. li. 1 de con. ca. 6*

Obseruat autem S. Bonauentura hunc contemplationis-puræ gradũ perfectiorem esse ijs, qui imaginationem adiunctam habẽt, eo quod, tã à corporalib. quã à tẽporalib. magis elongetur, & spiritus magis in eo purificetur, ac æternis vniatur. Vnde Richardus de hac ipsa contẽplatione loquens, dicit, quod in ea animus humanus pura intelligẽtia vtatur, quæ semoto omnis imagininationis officio se ipsam per se ipsam ingerere videtur. Hæc enim per seipsam tunc operatur, & quasi per speciem contemplatur.

Eundem Contemplationis-puræ gradum colligit S. Bonauentura Articulo III. ex auctore de spiritu & anima, apud Augustinum. Is enim etiam ponit Contemplationem quandam in ratione, quæ abstrahit à corporalibus: & sensum ac imaginationem incomparabiliter excellit. Articulo autem IV. eam vt ab Origene commendatam tertio loco ponit. Verus enim Contemplator sensu adamantii est, in quo est omnium imaginabilium transitus: quando nempe imaginabilia omnia mente transcendit. *Aug. to. III.* *Orig. Cant. 2.*

Meminit etiam Hugo Contemplationis-puræ, eiusque proprietates exponit lib. II. de anima cap. 20. agens de anima, eiusque exponens munera. In Anima mentem collocat. Quod enim in ea excellit Mens vocatur tanquam caput, vel oculus. Vnde & ipse homo secun-

dum mentem imago Dei dicitur. Mens namque ex eo dicta est, quod emineat in anima. Præstantior siquidem vis animæ est à qua procedit intelligentia. Ratio est, quidam animi motus visum mentis acuens, veraque à falsis distinguens. Deinde hortatur Hugo, vt Redeat ad se Mens rationalis, & colligat se in se vt sine imaginibus corporeis seipsam, & omnipotentis Dei inuisibilem naturam cõsiderare valeat: terrenarum phantasmata imaginum, & quicquid terrenum cogitationi eius occurrerit respuat, & talem se intus quærat, & videat, qualis est sine istis. Consideret se talem, qualis sub Deo super corpus creata est. Deinde supra semetipsam surgat, & seipsam deserat: atque quodammodo in obliuionem sibi veniat: & se contemplationi sui creatoris humiliter & deuote subjiciat.

Ostendit deinde quomodo se habeat pure contemplans cum cœperit mens per puram intelligentiam semetipsam excedere, & illam incorporeæ lucis claritatem tota intrare, & in his, quæ intrinsecus videt, quendam intimæ suauitatis saporem trahere, & ex eo intelligentiam suam condire, & in sapientiam vertere: intantum in hoc
Apoc. 8. mentis excessu pax illa, quæ exsuperat omnẽ sensum inuenitur, atq; obtinetur; vt fiat silentium in cœlo quasi hora dimidia: ita vt contemplantis animus nulla altercantium cogitationum tumultuatione turbetur: nihil inueniens, quod vel per desiderium petat, vel per fastidium arguat, vel per odium accuset: sed intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur, & intromittitur in quendam affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si semper sic sentiretur profecto magna felicitas esset.

Nihil sensualitas, nihil agit imaginatio: sed omnis inferior vis animæ proprio interim viduatur officio. Purior autem animæ pars in illud intimæ quietis secretum, & summæ tranquillitatis arcanum felici iucunditare introducitur. Vnius quidem sermo est Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Et ideo nihil in creaturis hac diuisione mirabilius cernitur, vbi id quod essentialiter vnum est, atque indiuiduum in se ipsum scinditur: & quod simplex in se & sine partibus cõstat, quasi quadam partitione diuiditur. Neque enim in homine vno alia essentia est eius spiritus, atque alia est eius anima: sed prorsus vna eademque simplicis naturæ substantia. Non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur: sed cum ad distinctionem ponitur gemina vis eiusdem essentiæ, vna superior per spiritum: altera inferior per animam designatur. In hac itaque diuisione, anima, & quod animale est, in imo remanet: spiritus autem, & quod spirituale est,

est, ad summa euolat. Ab infimis diuiditur, vt ad summa sublimetur. Ab anima scinditur, vt domino vniatur: quoniam, qui adhæret Deo vnus spiritus est cum illo. Felix diuisio, & mirabilis separatio: vbi quod corpulentum, & fœculentum est, deorsum remanet: quod spirituale, & subtile est, vsque ad speculationem diuinæ gloriæ sublimatur, & in eandem imaginem trāsformatur. Pars inferior componitur ad summam pacem, & tranquillitatem; pars autem superior ad gloriam, & iucunditatem. 1. Cor. 6.

Consentiunt superioribus recentes Theologiæ Mysticæ Doctores: nominatim, ex Scriptoribus Societatis IESV, Iacobus Aluarez Tom. 3. lib. 5. Parte 3. quæ est de Contemplatione ca. 1. Suggeritque breuiter rationes è Scholastica petitas. *Prima*: Intellectus humanus in cognoscendo non pendet à phantasia, nisi, vel vt ab excitante, vel vt à cooperante potentia. Valentius autem potest Deus excitare, quam Imaginatio, cui interim influxum negare valet. *Secunda*: Anima etiam-num in corpore habet esse independens à corpore, cū sit per se subsistens: atq; adeo habet operationē independētē, cū modus operis, modū naturæ operantis sequatur. *Tertia*: si admittatur Contēplatio-pura euidentius intelligitur animæ humanæ immortalitas, quia in corpore existēs habet operationem, nempe, cognitionē liberā, separatā à corpore & propriā, non tamen sibi, sensuiq; communem. *Quarta*: Dat Deus aliquibus seruis suis, vt animæ suæ immortalitatem non solum fide credant, si sint Idiotæ, vel scientia capiant, si sint litterati, verum, vt quasi experientia contrectent, dum vident se sine vlla cooperatione corporis, & sensuum aliquid operari, & sublimissime spiritualia rimari. *Quinta*: In specie ad contemplandum pure diuinitus immissa melius, & efficacius relucet res cognoscenda, quam si ad imaginationem, & opus eius retorqueatur cogitatio. *Sexta*: Dionysius monet, ad perfecte contemplandū relinquenda esse omnia sensibilia & intelligibilia; quæ scilicet ratione naturali apprehenduntur vt Deus super-benedictus cognoscatur. Idē docet Ioannes à IESV Tom. 11. opusculo de Theolog. Myst. c. 3. vbi inter Contemplationis gradus agnoscit *Quartū*, qui est absoluta consideratio intelligibilium, in quæ per sensibilia conscenditur: & *Quinctum*, qui est absoluta consideratio intelligibiliū, quæ per sensibilia inueniri non possunt, sed per rationem capi possunt. Et opusc. de schola Christi Tractat. de. Theol. Myst. eandem doctrinam supponit.

Eiusdem ordinis Excalceatorum Carmel. Thomas à IESV lib. 5. de Contempl. Diuina cap. 11. sic loquitur. Quamuis, si secundum

communem naturæ ordinem loquamur, intellectus noster, sine imaginationis cooperatione, intelligere non valeat: eo, quod pro hoc statu, intellectus noster in cognoscendo, naturaliter pendeat à phantasia, & imaginatione, tanquam ab excitante, vel tanquam à potentia necessario concomitante operationem intellectus pro hoc statu. (Et hoc est, quod Aristoteles, & S. Thomas docuerunt) tamen si sermo sit de Animabus illis perfectissimis, quæ aliquando diuina dignatione ad supernaturalem, & plane Angelicam Contemplationem à Deo subleuantur, tunc non est dubium eas ita abstrahi à corporea omni similitudine, vt sine vlla phantasmatum adumbratione, vel saltem imperceptibili, pure, & nude superna, ac Diuina contemplari possint.

---

## EXERCITATIO V.

## *QVOMODO SVBLEVETVR MYSTIcus ad Contemplationem-puram.*

### PRIMA DISQVISITIO. An Contemplatio-pura contingat ordinaria & communi gratia contemplatoribus piis à Deo communicari solita.

RESPONDEO: Negatiue. RATIO. Quando confortantur vel eleuantur potentiæ rationales; vt plus possint, quam per naturales vires, si id fiat gratia communi & ordinaria, non inuertitur, nec impeditur modus operandi connaturalis, qualis est, operari dependenter à phantasia.

Quare recte notat Suarez Tom. II. lib. II. de Orat. cap. 14. dum negatur, hominem posse naturaliter eleuari ad Contemplationem intellectuale: τὸ *Naturaliter*, non tantum significare, id fieri non posse sine gratiæ auxilio: cum hoc sensu nulla Contemplatio Mystica Dei, licet sit cũ conuersione ad phantasmata cõtingere possit naturaliter, cum consistat in operationibus supernaturalibus: verũ etiã indicare, id non posse accidere cum ordinario gratiæ præsidio, quo connaturalitas potentiarum, illarumque operationum interturbatur.

S. Thomas tamen vbi agit de Contemplatione-pura ad illam aliud

aliud non videtur requirere vt iuuentur potentiæ, quā Donum-Intellectus, quod purget mentem à Phantasmatibus ac formis corporalibus: aliquot loca nominauimus Exercit. 3. & Comment. præced. Exercit. 3. Disq. 12. Quibus adde clarissima verba in 3. Dist. 34. quæst. 1. art. 2. vbi sic scribit: *In his quæ supra rationem sunt, perficit Fides, quæ est inspectio Diuinorum in speculo, & in ænigmate. Quod autem spiritualia, quasi nuda veritate capiantur, supra humanum est modum, & hoc facit Donum-Intellectus.*

Præterea Distinct. 35. quæst. 11. art. 2. sic scribit: *Fides, quæ spiritualia in speculo, & in ænigmate, quasi inuoluta tenere facit humano more mentem perficit. Sed si supernaturali lumine mens intantum eleuetur, vt ad ipsa spiritualia inspicienda introducatur, hoc supra humanum modum est, & hoc facit Intellectus.*

## SECVNDA DISQVISITIO. Quo pacto concipienda sit Anima Mysticorum fictione, vt intelligatur contemplari pure absque phantasmatum turbatione.

NOta est apud Poetas imago Iani bifrontis, qui idcirco ita pingebatur, siue quod Noe esset cui cognita erant præterita, ante, & futura post diluuium. Siue quod viri prudentis existimaretur symbolum, cuius est, præterita scire & futura prouidere: siue quod solem referret, quasi vtriusque ianuæ cælestis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat, vt diximus in Theologia-varia lib. 11. Comment. 4. Exer. 5.

Concipiunt igitur Mystici Animam humanam vel bifrontem, siue duarum facierum: vel bipatentem siue duabus ianuis instructam. Alteram faciem, & ianuam vergere ad supera ac æterna: ideoque illa contemplari: alteram vero spectare infera ac temporalia, quę illa parte speculetur.

Porro facies illa, quæ temporalibus est exposita à sensibilibus formas accipit, quæ occidentalem illam portam ingrediuntur, & mentem ad spiritualium ac Diuinorum contemplationem excitant.

Et quoniam altera facies, quæ æternis contemplandis vacare debet corporeæ concretionis crassitudine est obuelata, nihil ad illam peruenit via ordinaria ac regia, nisi corporeis formis obuolutum: nec enim videre potest, nisi & alter vultus oculis apertis suas

iconculas recipiat,& ab his aliquid eliciat quod spirituale sit materiæ expers. Quamuis nec in illud ferri potest, nisi simul inferior vis operetur. Itaq; nec Deum, nec intelligibilia vlla absque imaginationis ope contemplatur.

Est tamen Deus eius potentiæ, vt semper possit: est erga quosdam eius beneuolentiæ, vt aliquando velit occlusis sensuum externorum internorumque portis, per orientalem illam ianuam, seu Æternitatis ostium se solo ad animam intrare, ibidemque mansionem facere, & ad cor dilectæ sponsæ loqui, illaque illam perfundere dulcedine, quæ superiorem partem inebriet, sed ad inferiorem non pertingat. tunc autem anima independenter à phantasmatum vsu, officio suo præclare fungitur.

## TERTIA DISQVISITIO. An DEVS ad Contemplationem puram infundat nouas Species in mentem contemplantis?

RESPONDEO. Hoc pacto posse eleuari intelligentiam ad Contemplationem puram. Potest enim Deus indere animis quasdam species ita perfectas, & spirituales, vt nullam dicant dependētiam à similitudinibus corporeis, vel phantasmatis. Iis igitur vti poterit intellectus independenter à cooperatione phantasiæ. Consequentia patet, quia necessitas cooperationis phantasiæ fundatur in eo, quod intellectus agens non possit producere species nisi conuertendo se ad phantasmata, inde enim oritur, vt nec intellectus possibilis operari queat, nisi cooperante phantasia. Antecedens probatur ex scientia infusa Christi. Hanc enim fuisse infusam per se, quo ad species intelligibiles, probamus Pma Parte in Theologia varia lib. III. Comm. VIII Exercit. 2. Ex quo sequitur illas fuisse essentialiter diuersas à speciebus quæ adquiruntur cum dependentia à phantasmatis, & repræsētasse pure, ac sincere rerum quidditates, & omnem veritatem latentem sine ordine ad phantasmata. Atque idcirco Christus vtebatur illis speciebus absque conuersione ad phātasmata. Itaque potest Deus mentem Contemplatoris Mystici subleuare ad Contemplationem puram per infusionem specierum supernaturalium, & ad talem contemplationem proportionatarum.

S. Bernard. Serm. L. II. in Can. Non videtur ignorasse hunc modum eleuationis S. Bernardus, dum docet Somnum, Mortemque mysticam, quibus symbolis Contemplationem puram designat, vt nuper probauimus, accidere in hominibus

minibus,ficut in Angelis.Hi autem contemplanturrerum quidditates ac diuina per ſpecies infuſas. Perpende comparationem, quam inſtituit. *Sit*(inquit)*pura cum eis conuerſatio,cum quibus eſt puritatis ſimilitudo*.Et,*Corporis vero ſimilitudinibus ſpeculando non inuolui Angelicæ puritatis eſt:vtrumque tamen diuini muneris eſt*. Itaque Dei munere anima cõſequitur in contemplando Angelicam puritatem, qua liberatur à phantaſmatum impedimentis,vt per ſpecies infuſas ipſam veritatem in ſe intueatur.

Sumitur eadẽ doctrina ex variis enunciatis in Theologia Scholaſtica vel omnino certis:vel maxime probabilibus:præſertim in ſchola S. Thomæ.Hic enim quæſt.XIII.de Veritate Art.7. & S. IIdæ quæſt. CLXXIII,Art.3.docet Prophetiam,quam dicit eſſe ſupernaturalem cognitionem,aliquando fieri per ſpecies de nouo immiſſas à DEO ſiue imaginarias,ſiue intelligibiles. Quod ſi ſint intelligibiles à DEO gratuito tranſfuſæ,non eſt quod ad illarum vſum phantaſmata aduocemus.

In IIIa autem Parte Q. XI.Art.2.vbi diſputat:An vſus Scientiæ infuſæ Chriſti dependeret à Phantaſia,abſolute pronunciat: Potuiſſe Chriſtum vti ea ſcientia ſine conuerſione ad phantaſmata.Quod D. Thomæ diſcipuli omnes admittunt: & rationem illius aſſerti deſumunt ex natura ſpecierum infuſæ ſcientiæ. Siquidem dependentia ſcientiæ, cognitionis,aut Contemplationis in homine ab actuali operatione phantaſiæ fundatur potiſſimum in natura ſpecierum adquiſitarum ex concurſu naturali phantaſmatum: ex quo conſequitur,quod anima per illas operari nequeat,niſi concomitante operatione phantaſiæ. Species autem ſcientiæ per ſe infuſæ non adquiruntur per ſenſus,nec abſtrahuntur à ſenſibilibus, nec inuoluunt ordinẽ ad phantaſmata : imo per ſenſus comparari nequeunt:quo fit, vt cognationẽ cum ſpeciebus quæ adquiruntur nullam habeant,nec adfinitatem cum phantaſmatis:ſed ſint ſpecies quædam ſupernaturales proportionatæ naturæ intellectuali ſpirituali, rerũ propriæ,ac quidditatiuæ,repræſentantes obiectum,ſicut reuera eſt in ſe,non vt continetur in imagine corporea. Sic igitur excitant,ac determinant intellectum ad contemplationem, quam exercere poteſt abſque ſenſuum adminiculis,& imaginationis concurſu.

OBIICI poſſet ex Durando in III.Diſt.XIV.Quæſt.3. Perfectio omnis,quę communicatur creaturæ,conformatur modo ac capacitati ſubiecti:cui tribuitur. Vulgatum eſt illud apud Philoſophos: Quicquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Etiamſi igitur infundantur ſpecies ſupernaturales animæ hominis mortalis: non poterit

tamen

tamē per illas contemplari absq; ministerio sensuum interiorū,& sine conuersione ad phantasmata. Quia subiectum illud solum est aptum intelligere per conuersionem ad phantasmata. Hoc si neges probat Durandus. Quia homo mortalis est viator, ergo recipit species ,qua viator: proprium autem viatoris est intelligere per conuersionem ad phantasmata,&cum necessitate ministerii sensuum maxime interiorum.

RESPONDEO.I. Species infusas & quidditatiuas, tam posse infundi in patria,quam in via, ac consequenter non esse perfectionem, quæ arctari debeat ad viatorem,quare si communicentur alicui,non est opus,vt communicentur,tanquam viatori;sed participari posse à viatore quatenus est agens intellectuale idoneum operari circa obiectum spirituale. Neque inde conficitur, quod communicentur velut comprensori. Nam esse Comprehensorem,aut viatorem ad infusionem talium specierum est impertinens:tam enim vni , quam alteri dari possunt:alteruter igitur status solum concomitanter se habet ad illas species,sicut ad totam scientiam per se infusam.

RESPONDEO.II. Quod proprium sit homini mortali contemplari dependenter à sensu, & conuersione ad phantasmata non oritur ex eo,quia viator est sed quod species,quibus ad Contemplationem acceptæ sint sensuum ministerio,& ab intellectu agente progenetatæ concurrente phantasia.]

## QVARTA DISQVISITIO. Quibus administris Deus vtitur in eleuando intellectu Mysticorum per infusionem specierum?

CONTROVERSIA est: An Deus immediate per se, an vero per Angelos id faciat. Ministerium hic Angelorum interuenire existimant quidam ex recentioribus Mysticis,& probant ex S. Bernardo, qui sic scribit sermone 41. in Cantica, vbi disquirit: qualiter sponsa recipiat magnam consolationem de contemplatione diuinæ caritatis antequam perueniat ad eius speciem.

Cant.1.9. *Collum tuum sicut Monilia*, inquit sponsus. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Colli nomine ipsum animæ intellectum puto designari. Colli enim vice quodammodo fungitur intellectus, per quem anima traiicit spiritus vitalia alimenta , atque in quædam transfundit viscera morum,affectuumque suorum. Hoc sponsæ collum, id est, purus & simplex intellectus cum nuda & aperta veritate

satis

satis per se ipsum renideat, non indiget ornamento: sed ipsum magis tanquam preciosum monile animam decenter exornat, ac proinde simile monilibus ipsis describitur.

At quoniam intellectus, quamuis maximæ dilectæ sponsæ ad visionem sponsi claram non admittitur consolantur illam sodales, spondentque donec perueniat ad visionem cuius sic flagrat desiderio facturas se illi murænulas pulcras & preciosas. Aduerte autem, cuiusmodi ei murænulas offerant: *Aureas* inquiunt, *& vermiculatas argento.*

Aurum Diuinitatis est fulgor, aurum sapientia, quæ desursum est. Hoc auro fulgentia quædam quasi veritatis signacula spondent se figuraturos hi, quibus id ministerij est superni Aurifices, atque internis animæ auribus inserturos. Quod ego non puto esse aliud, quã texére spirituales quasdam similitudines, & in ipsis purissima diuinæ sapientiæ sensa animæ contemplantis conspectibus importare: vt videat saltem per speculum & in ænigmate, quod nondum facie ad faciem valet vllatenus intueri.

Diuina sunt, & nisi expertis prorsus incognita, quæ effamur: quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente statum, & necdum propalata perspicui substantia luminis, iam tamen interim puræ interdum Contemplatio veritatis partes suas agere intra nos, vel ex parte præsumit: ita, vt liceat vsurpare etiam alicui nostrum, cui hoc datum desuper fuerit illud Apostoli. Nunc cognosco ex parte. Item: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Hæc 1.Cor.13. S. Bernardus: & ex eo Mystici, qui Angelorum ministerio Contemplationem puram procurari putant.

Quid in hoc genere naturali potentia possint Angeli diximus Pa Parte in *Theologia-varia* li. 3. Cõment. 22. quæ est de *Theologia-infusa Dæmonicolarum*. Breuiter. 1. Non potest Angelus immediate sua virtute intellectui humano nouas species intelligibiles infundere, vel in illo procreare: præsertim si illæ sint omnino spirituales, & nullam cũ corporibus adfinitatem habeant: si sint supernaturales: si mysteriorum transnaturalium repræsentatiuæ. Nihil enim efficit extra se Angelus nisi vel per motum, vel applicationẽ actiuorum ad passiua. Neutro autem modo produci possunt in intellectu species rerum diuinarum spirituales. 2. Ex eodem principio habetur, quod non possit habitum scientiæ ingenerare menti, nec facilitatem, aut promptitudinem indere. 3. Nec lumen aliquod spirituale caussare in anima, aut irradiationem qua veritas pure, absq; vllo simulacro vel velamento

Aa cogno-

cognoſcatur. Hęc enim vt cauſa princeps ſolus valet efficere, qui naturæ eſt, totiusque creaturæ Dominus.

IV. Poteſt autem Angelus in Contemplante ſpiritus, ac humores commouere in organis potentiarum: poteſt officinam memoriæ, phantaſiæ, æſtimatiuæ, cogitatiuæ adaptando facultates illas ad faciliores functiones diſponere, vt & facilius ſpecies ſibi proportionatas recipiant, & firmius retineant, ſiue motu locali noxia repellendo, ſiue iuuantia applicando. Poteſt intellectum ſubtiliorem ac meliorem quo ad exercitationes ingenij, & iudicij reddere per idoneas organi diſpoſitiones. Poteſt veritates à Deo acceptas intellectui hominis manifeſtare, quod facit aliquando in forma viſibili ſpectandum ſe præbens: aliquando phantaſmata commouens & conjūgens, aut diuidens. Poteſt aliquo modo illuminare intellectum per modum loquutionis & docentis: diuidendo veritatem vniuerſalem conceptam ſecundum capacitatem Contemplantis. Quod exequitur cum alijs quoque Angelis ſe inferioribus proponendo ſpecies intelligibiles, quas in ſe habet, ita diſtinctè, ita accōmodate, ita ſi ſic dicere conuenit, artificioſè, vt percipi poſſint ab inferiori.

Verum quoniam homines intellectu corpori immerſo naturaliter veritatē intelligibilē non capiunt nudam, nec ſine conuerſione ad phantaſmata: nec in Angelis eſt poteſtas progignendi ſpecies ſpirituales repræſentantes obiectum abſque velamento corporalium imaginum: ideo Angeli non poſſunt iuuare per ſe contemplantem niſi proponendo diuina quæ contemplationi objiciuntur in ſimilitudinibus rerum ſenſibilium.

Itaque Angelus format aliquod ſimulacrum, vel ſignum ſenſibile in hominis phantaſia, ex quo intellectus agens educit ſpeciem intellectilem veritatis contemplandæ, qua informatus intellectus patiens circa veritatem Contemplationem inſtituit. Angelus igitur fungitur vice Magiſtri, forma ſenſibili manifeſtans quidpiam, aut proponens, vti ſolent Magiſtri exemplis ac ſimilitudinibus exponere diſcipulis veritates quas docere habent in animo.

RESPONDEO ergo *Primo*. Quando Myſtici ſubleuantur ad eximiam quandam Contemplationem, per phantaſmatum productionem, vel depurationem: poſſe id contingere Angelorum miniſterio, quibus eſt in corpora & corporeas potentias agendi ea virtus. Conſtat ex hactenus diſputatis.

RESPOND. *Secundo*. Quando infunduntur intellectui Contemplantis ſpecies ſpirituales, non poſſe id facere Angelos tanquam cauſas principales, ac virtute propria: ſed velut inſtrumentales, quarum

rum opera Deus vti poteſt in omnib. quæ contradictionem non inuoluunt: qualis haud dubie eſt hæc ſpecierum productio. Vtrumque ſatis inſinuat S. Bernardus eod. Serm. in ſequentibus. Poſtquam enim dixit Contemplatores myſticos ex parte cognoſcere, & ex parte prophetare ſubiungit:

Cum diuinius aliquid raptim, & veluti in velocitate coruſci luminis interluxerit menti ſpiritu excedenti, ſiue ad temperamentum nimij ſplendoris, ſiue ad doctrinæ vſum: continuo, neſcio vnde, adſunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum ſimilitudines, infuſis diuinitus ſenſibus conuenienter accommodatæ, quibus quodammodo adumbratus puriſſimus ille, ac ſplendidiſſimus veritatis radius & ipſi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior.

Exiſtimo tamen ipſos formari in nobis ſanctorũ ſuggeſtionib. Angelorum: ſicut è contrario, contrarias & malas ingeri immiſſiones per Angelos malos non dubium eſt. Et fortaſſe hinc illud eſt ſpeculum, atque Ænigma, per quod videbat Apoſtolus, ex iſtiuſmodi puris pulchriſque imaginationibus Angelorum quaſi manibus fabricatum: quatenus & Dei eſſe (quod purum, & abſque phantaſia corporearum imaginum cernitur) ſentiamus: & elegantem quamlibet ſimilitudinem, qua id digne veſtitum apparuerit miniſterio deputemus Angelico. Quod ſignaſſe expreſſius videtur alia interpretatio dicens: Similitudines aurifabri faciemus tibi, cum diſtinctionibus argenti. Vnum eſt: cum diſtinctionibus argenti: &, vermiculatas argento. In quo mihi ſignificaſſe videtur, non modo ſimilitudines intus per Angelos ſuggeri: ſed nitorem quoque eloquij per ipſos extrinſecus miniſtrari: quo congrue atque decenter ornatæ, & ab auditoribus facilius capiantur, & delectabilius.

## QVINTA DISQVISITIO. An Myſticus ſpeciebus ad Contemplationem puram conceſſis vti poſſit in ſomno, phreneſi, & delirio?

RESPONDEO: Adfirmate. RATIO. Quoniam iſtiuſmodi ſpecies non requirunt vſum ſenſuum, neque pendent à conuerſione ad phantaſmata. Somnus autem, ſicut & amentia ſolum ligant ſenſus, & illorum vſum impediunt. CONFIRMATVR. Eadem eſt hic ratio quæ in vſu ſcientiæ per ſe infuſæ. Hunc vero non impediri ſomno vel delirio apud Theologos in confeſſo eſt.

Hinc colliges, quam vere potuerit gloriari Sponsa & cum ea Mysticus Contemplator, cui species diuinitus ad puram contemplationem sunt communicatæ: *Ego dormio, & cor meum vigilat:* Canticor. v. 2. Quo loco perfectus Contemplationis sanctæ status describitur, vel Amoris summi, vt docet ibi Delrius: quando amans Mysticus plane viuit in amato, atque à sensuum consuetudine, ac functione quantum potest, abstrahitur. nam sensuum connexio, illorumque vsus animum impediunt, eiusque libertatem, dum vel moram adferunt, vel retrahunt conantem ad diuina conscendere ijsque perfecte se copulare, ac inhærere.

## SEXTA DISQVISITIO. An ad Contemplationem-puram, præter species, requiratur habitus supernaturalis illis proportionatus.

RESPONDEO PRIMO. Posse Deum infundere habitum cum speciebus à phantasiæ vsu independentibus, quo constanter sit idoneus Contemplator ad diuina absque phantasmatum inuocluris consideranda. RATIO. Quia Scientia per se infusa præter species, designat etiam habitum illis conuenientem, si non necessario: saltem ita vt non implicet talẽ habitum simul infundi. Imo scientiam-infusam vtrumque dicere docet S. Bonauentura in 3. Dist. 14. Art. 3. Quæst. 2. Richard. Art. 3. Quæst. 4. Caieta. 3. P. Quæst. 11. Art. 6. ad 3. & colligitur ex S. Thoma 3. P. Quæst. 11. Art 4. & 6. ad 3. vbi inquit præter varias species obiectorum Scientiæ infusæ, esse quendam habitum infusum, qui sit ratio intelligendi ea quæ diuinitus reuelantur. Et in Christo D. præter similitudines impressas obiectorum fuisse habitum docemus Titulo Incarnatio, & P. Parte Theologiæ variæ lib. 3. Com. 8. Exercit. 3.

RESPONDEO SECVNDO. Non esse necessarium, vt mens eleuetur ad Contemplationem-puram instrui habitu superaddito.

RATIO. Quia potest iuuari intellectus influxu quopiam diuino, aut peculiari adsistentia, & auxilio supernaturali, quo vniuerse suppleri potest omnis habitus infusi efficientia: nec enim habitus, & principia inhærentia sunt per se necessaria ad operationes supernaturales licet conducant ad connaturalitatem operationum, & perseuerantem facilitatem. Imo Gabriel Vasquez. in 3. P. Disp. 54. cap. 2. docet: Nullum habitum luminis, vel alterius rationis fuisse in Christo ad vsũ Theolo-

Theologiæ-infusæ, præter species infusas rerum, tam comparatione obiectorum supernaruraliũ quam naturalium. Et quamuis alij inter quos Medina 3. Par. Quæst. 11. agnoscant in Domino singularem habitum, asserunt tamen illum non fuisse simpliciter necessarium: sed potentiam naturalem specie infusa instructam posse per se Contemplationem-puram perficere.

## Septima Disqvisitio. An Mysticus speciebus ad Contemplationem-puram infusis vti possit conuertendo se ad phantasmata?

RESPONDEO: Negatiue. RATIO. Non est in potestate hominis facere, vt vsus specierum ex sua natura independens ab operarione phantasiæ, indigeat illius concursu. At vti speciebus ad Contemplationem-puram datis conuertendo se ad phantasmata est vti cum tali dependentia. Ergo. Minorem probo. Intelligere per conuersionẽ ad phanrasmata, est intelligere cooperante phantasia circa illud obiectum, quod contemplatur inrellectus: ira vt sit connexio quædam inter operationem phantasiæ & intellectus: & non tantum per accidens se habeat cooperatio phantasiæ. Quia enim species adquiruntur per sensus, quę ordinarie deseruiunt intellectioni, hinc fit vt intellectio per illas sensuum consortiũ postulet: quod requirere nõ possunt illæ, quæ nulla ratione à sensibus, aut illorum operatione pendent, quales sunt quæ ad Contemplationem puram diuinitus conferuntur.

Neque contrarium colligas ex S. Thoma 3. P. Quæstione 11. art. 2. ad 3. Quamuis enim asserat: Animam Christi, quæ poterat intelligere sine phantasiæ concursu, potuisse etiam intelligere conuertendo se ad phantasmata: non tamen dicit potuisse hoc modo intelligere per species infusas, & correspondentem illi habitum: sed applicandum id est ad scientiam adquisitam. Hoc enim satis erat, vt ostenderetur, sensum phantasiæ non fuisse frustra in Christo, quãuis posset per scientiam infusam intelligere absque conuersione ad phantasmata.

## Octava Disquisitio. An dum Mysticus in pura Contemplatione hæret, vti possit eodem tempore operatione phantasiæ?

Respondeo: Adfirmate. Nulla enim est repugnantia in eo, quod simul cum intellectu vtente speciebus ad puram Contemplationem infusis, functionem propriam exerceat phantasia circa obiectu aliquod sensibile, illudque suo modo cognoscat. At hoc non est vti illis speciebus & scientia infusa cum conuersione ad phantasmata. Nec enim Beati post corporum readsumptionem vtentur scientia beatificante cum conuersione ad phantasmata: quod tamen alioqui dicendum esset. Siquidem quamuis Deum clare sint visuri, poterunt tamẽ simul cogitare de sensibili aliquo obiecto, operante phantasia haud sequus, quam cum in vita mortali agebant.

## Nona Disquisitio. An-non alio modò eleuari possit Mystici Contemplantis animus?

Respondeo: Posse: si auxilio diuino confortetur intellectus, vel infundatur lumen aliquod supernaturale, quo adiutus vti possit speciebus acceptis à sensibus absque actuali operatione intellectus: seu quo ita illustrentur species præexistentes, aut disponantur, vt menti puram veritatem absque phantasmatum concursu repræsentent. Habet hunc modum eleuandi Dionysius Carthasianus De Mystica Theol. Articulo 8. & ex illo Iacob. Aluarez Tom. 3. lib. 5. par. 3. ca. 1. Ratio. Quia cum concursus phantasiæ & cõcursus intellectus ad operationes sit realiter diuersus, potest vnus ab altero separari, & Deus supplere quicquid ab alterutro confertur quum illud non sit in genere causæ materialis. Confirmatur: Quia cum intellectus noster in cognoscendo non dependeat à phantasia nisi tanquam ab excitante: vel tanquam à potentia per quandam sympathiam simul operante: potest Deus immissione lucis multo efficacius intellectum excitare, & in eum veritatem, quam contemplatur inducere, & imaginationem sopire.

Deci-

## DECIMA DISQVISITIO. An aliquibus eximie Contemplationi deditis communicetur, per modum habitus, facultas pure contemplandi?

RESPONDET Suarez Tom. 3. de Relig. lib. 11. ca. 14. Num. 5. Non constare certo eam gratiam præterquam Christo fuisse communicatã alteri per modum habitus: pie tamen credi posse, aliquam illius participationem fuisse infusam B^{tæ} virgini, vel Ioanni Baptistæ.

RESPONDEO Tam certum esse, quibusdam puris hominibus communicatam facultatem perseuerantem pure contemplandi Diuinas, quam certum est, illos diuinitus accepisse Theologiam-infusam-perse. Hoc autem quam sit certum, & de quibus probabilissime existimari possit, disputauimus, multis nominatis PaPte in Theologia-Varia lib. 3. à Commentatione 11.

## VNDECIMA DISQVISITIO. An aliquibus olim gratiose sit concessa, & etiam-num concedaurt potestas contemplandi-pure Diuina per modum transitus?

RESPONDENT adfirmate communi cõsensu Mystici, nec est, q̄ refragemur. Ratione id stabiliri potest. Sit *Prima*. Sunt nonnulli, qui ad tantam vitæ puritatem peruenerunt, vt cum Angelis potius, quam hominibus eorum videatur conuersatio. An non ergo diuinæ benignitati, hominumque illorum conditioni est consentaneum, vt more cælestium spirituum: hoc est, absque vlla corporeæ imaginis admixtione in contẽplatione supernorũ versentur? *Secunda*. Non est impossibilis Contemplatio corporeatum expers similitudinum: estque magnum id ornamentum animæ, maxime conueniens Deo per eximiam caritatem vnitis: cur ergo id denegetur hominibus Diuina assidue tractantibus, & ad Dei vnionem intimam aspitantibus?

Exemplis id magis confirmatur. Vniuerse de Heroicis quibusdam, vt ipse loquitur viris ita scribit Dionysius Carthusianus libello de vita Inclusarum Articulo 19. quem inscribit de Contemplatione Dei. Beatitudo & merces sanctorum in regno cælorum est clara, immediata, ac fruitiua cognitio Diuinitatis: videl. beatifica visio diuinæ es-

næ essentiæ in se ipsa clarissime sine medio & absq; velamine. In hoc autem consistit profectus noster, & perfectio nostra in hac vita, vt præfatæ visioni beatificæ, & contemplationi fruitiuæ Dei cotidie, quantum est possibile, propinquemus, prægustemusque eam aliquo modo, suscipiendo desuper consolationes internas, delectationesq; spirituales ex Contemplatione, & dilectione Dei per fidem, & sapientiæ donum: ita vt cum Propheta psallamus, & ex sententia dicere valeamus: Cor meum & caro mea exultauerunt in DEVM viuum.

*Psal.85.*

Possumus igitur & debemus etiam in hac vita Deo aliqualiter frui inhærendo ei finaliter propter seipsum. Iam quoque possumus eum aliqualiter contemplari, non tamen perfecte: sed, vt ait Apostolus: per speculum in Ænigmate: vtputa per formas similitudinesque creatas secundum quod per eas, & in eis repræsentatur relucetque Deus. Interdum autem fit hoc per similitudines corporales, interdum per formas imaginarias: interdũ vero fit hoc sublimius, purius, atque diuinius per species, & radios intellectuales: hoc est per solam intellectualem illuminationem, & spiritalis speciei, aut luminis infusionem: sicque contingere solet PERSONIS PERFECTIS HEROICIS ac DIVINIS, quæ sæpe inopinatis excessibus feruntur, seu potius rapiuntur in DEVM, qui frequenter benignissime sic subito, & improuiso præuenit mentes illarum, quod absque proprio conamine mirabiliter illustrantur, & inflammantur à Spiritu Sctoramq; suauissime replentur & consolantur ab ipso, vt ineffabilem circa se Dei caritatem, pietatem, liberalitatem ac dignationem nequaquam mirari sufficiant. Atq; tam valide eleuantur, & afficiuntur in Deum, vt præ claritate Contemplationis, & præ feruore dilectionis diuinæ deficiant, & à seipsis alienentur, ac corpore infirmentur vndasque gratiæ desuper influentis ferre vix queant. Sicque Deo suum in eos continuante influxum à seipsis penitus defluunt, atque in abysso lucis æternæ, in fonte diuitiarum gloriæ infinitæ demerguntur, ac absorbentur, & igne amoris diuini quodammodo consumuntur: sicque dulcissime in Deo OBDORMIVNT, feliciterque REPAVSANT & conquiescunt, quousque hæc gratia tanta tollatur, & sibimet ipsis relinquantur, ad solitaque exercitia remittantur. Tales tam electi à Deo cum Propheta dicere valẽt: Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui. Itemque: Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Et rursus cum sanctisso Ieremia: Factus est

*1.Cor.13.*

*Psal.72.*

*Ier.20.*

eſt ſermo Domini in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſusque in oſſibus meis & defeci, ferre non ſuſtinens.

Itaque cum ad Caritatem perfectam, prout huic vitæ poſſibile eſt, peruenerit homo, donum quoque Sapientiæ in ipſo perficitur, & per illud fit homo velut CONSILIARIVS, & SECRETARIVS Dei, & ſubueniente ſpiritu Sto diſpoſitiſſimus eſt ad ſuſcipiendum vberrime, ac ſæpiſſime illuminationes diuinas, inflammationes internas, conſolationes ſupernas: ita, quod nihil ſibi facilius eſt, nihil ſuauius, nihil familiarius, quam per Contemplationem, feruidumque amorem ſe ad Deum leuare, in ipſo quieſcere magis ac minus diu prout Spiritus ſanctus conceſſerit.]

Hanc contēplationis ab omni corporeę fæcis cōtaminatione puritatem, poſt Chriſtū D. eius ſanctiſſimæ Matri liberaliter cōceſſam haud dubito: nec dubitauit Dion. Carthuſ. explicans illud Canticorū V. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat:* vbi & hoc docet, quod Diſq. V. aſſerebam Contemplationis huius exercitium illi fuiſſe in ſomno. *Hoc*, inquit, *præclariſſima Sponſa verbi æterni* ſanctiſſima Virgo, *præeminenter dicere potuit, quia* CONTEMPLATISSIMAM *vitam duxit, & ab exteriori tumultu, omnique inordinato ſtrepitu, & cura ſuperflua, atq; inquietudine culpæ penitus abſtinens & ſopita, vigilantiſſima mente* DEO *vacauit: pro Eccleſia orauit: actibusque virtutum in termino excellentiæ perfectiſſimis iugiter fuit intenta. Deniq; in* SOMNO *corporali cor eius peruigil fuit: & ex aſſidua aſſuefactione perfecte inſiſtendi diuinis, ex ardentiſſima, & exercitatiſſima caritate, ex ſplendidiſſima, & exuberantiſſima ſapientia ſibi infuſa, & cōtemplatione in vigilijs, pene aut prorſus continue, etiam tempore* SOMNI *vigili corde fuit* DEO *conjuncta.* Idem adfirmat S. Bernardinus Tom. 1. Ser. 61 Art. 3. cap. 3 & Tom. 2. Serm. 51. Art. 1. ca. 2. & Art. 3. ca. 3.

Addit Albert. M. Opuſc. de B. Virg. ca. 96. Deip. Mariam ſimul cū habitu fidei, habuiſſe habitū, quo perfectius, quā Adā in ſopore: & quā Ioannes ſuper pectus Domini recumbens: & quā Paulus in raptu cognouit Myſteria ſupernaturalia. Quod adfirmat quoq; S. Antoninus par. 4. tit. 15. ca. 7. §. 1. Probabiliſſimū veriſimilius quoq; cenſet Franciſ. Suarez diuinitus conceſſam B. Virgini cognitionem ſupernaturalem per ſe infuſam quo ad lumen, & ſpecies, ita vt obiecta Fidei modo Angelico per altiores ſpecies illi fuerint diuinitus propoſita independenter à phantaſmatib. Putat etiam obtinuiſſe habitū p ſe infuſum ſpeciebus illis proportionatum. De quo pluribus actum in Theologia-varia lib. 3. Comm. 9. Exercit. 1. *Suar. to. 3. in 3 p. diſp. 19.*

Iam vero ADAMO in ſtatu innocentiæ adſcribunt tum veteres, tum recentiores Contemplationem puram à phantaſmatum con-

ſortio liberam. Auguſtinus imprimis lib. 9. de Gen. ad litt. cap. vlt. vbi ſcribit Adamum in myſtico illo ſuo ſopore ita fuiſſe ſubleuatum, vt illius mens particeps facta fuerit cæleſtis curiæ ſeu Angelicæ. Quid hoc aliud eſt, quam Angelorum ritu ſine phantaſmatum vſu intellexiſſe. Addit: Intraſſe in ſanctuarium Dei & intellexiſſe noviſſima.

Auguſtini ſenſum ſequutus S. Thomas. Quæſt. 18. de Verit. Art. 2. ſic ſcribit. Secundum naturalem perfectionem Adamo competere nō poterat vt Deū cognoſceret niſi ex creatura. In nullo enim genere potentia paſſiua extendit ſe, niſi ad illa ad quæ extendit ſe potentia actiua. In natura autem humana duplex potentia ad intelligendū inuenitur. Vna quaſi paſſiua, quæ eſt intellectus poſſibilis. Alia eſt quaſi actiua, quæ eſt intellectus agēs. Et ideo intellectus poſſibilis ſecundum naturalem viam non eſt in potentia niſi ad illas formas, quæ per intellectum agentem intelligibiles fiunt. Hæ autem formæ non ſunt, niſi ſenſibilium rerum, quæ à phantaſmatibus abſtrahit.

Et inde eſt, quod nec Deum, nec alias ſubſtantias immateriales cognoſcere poſſumus naturaliter niſi per res ſenſibiles. Sed ex perfectione gratiæ hoc habebat homo in ſtatu innocentiæ, vt Deum cognoſceret per inſpirationem internam ex IRRADIATIONE diuinæ Sapientiæ. Per quem modum Deum cognoſcebat non ex viſibilibus creaturis, ſed ex quadam ſpirituali ſimilitudine ſuæ menti impreſſa.

Ita igitur in homine duplex cognitio erat. Vna, qua cognoſcebat Deum conformiter Angelis per inſpirationem internam. Alia, qua cognoſcebat Deum conformiter nobis per ſenſibiles creaturas. Differebat autem hæc eius ſecunda cognitio à cognitione noſtra ſicut differt inquiſitio habentis habitum ſcientiæ, qui ex notis conſiderat ea quæ quandoque nouerat, ab inquiſitione addiſcentis, qui ex notis ad ignota nititur peruenire. Nos autem aliter Deum habere notum non poſſumus, niſi ex creaturis ad eius notitiam veniamus. Adam vero Deum aliter ſibi notum ſcilicet per illuſtrationem internam ex creaturis conſiderabat.

Confirmat S. Thomas ſuam ſententiam ex Hugone ſcribente lib. de ſacram. Par. 6. cap. 16. Hominem in ſtatu innocentiæ per præſentiam Contemplationis Deum cognouiſſe. Adiungit autem reſpōſo ad 8.um Quamuis Adam Deum viderit per lumen contemplationis, non tamen fuiſſe ſuperuacaneam cognitionem illam, qua Deum ex creaturis conſiderabat: vt ſcilicet, idem pluribus modis cognoſceret.

ret. Et: vt non solum gratuitam, sed & naturalem haberet cognitionem.

Idem S. Doctor Opusculo eodem de Veritate. Quæst. 13. art. 2. ad 9. disputans, in quo censeri debeat differre Raptus Pauli à sopore Adæ, & raptu illo Ioannis Euangelistæ, qui dicit se in spiritu fuisse Apocalyp. 1. & excessu mentis in quo fuit Petrus actuũ 11. Asserit, duplicem Raptum distingui secundum mentem Augustini lib. 12. de Genesi ad litt. vnum, quo mens rapitur à sensibus ad imaginariam visionem. Sic autem accidit Petro & Ioanni Evangelistæ iudicio Augustini. Alium, quo mens rapitur à sensu & imaginatione simul ad intellectualem visionem. Et hoc quidem bifariam.

Vno modo, secundum quod intellectus intelligit Deũ per aliquas INTELLIGIBILES IMMISSIONES, quod est proprium Angelorum. Et sic fuit, inquit, ecstasis Adæ vt dicitur Genes. 11. in Glossa: quod ecstasis recte intelligitur ad hoc immissa, vt mens Adę particeps Angelicę curiæ, & intrans in sanctuariũ Dei nouissima intelligeret. Alio modo, secundum quod intellectus videt Deum per essentiam: sic autem existimat raptum Paulum.

Hanc Contemplationis excellentiam, imo eminentiorem, quam Visionem vocat, Adamo tribuit Gregorius li. 4. Dialog. ca. 1. Cuius verba, & alia ad hanc rem spectantia attulimus Pa Parte Theologia-varia li. 3. Comment. 11. Exercit. 11. Consentiunt autem iuniores S Sræ Interpretes, inter quos accurate de hoc agit Benedictus Fernandius in Genes. cap. 11. Sect. 11. docetque, Mentem illius à sensibus feriatam, liberiusque ad vsum rationis expeditam, diuino illustratam spiritu in Contemplationis excessu arcana cælestia fuisse contemplatum.

Est denique verisimile idem contigisse Ioanni Baptistæ, multisq; Prophetarum, & aliis quos Theologia-infusa illustres fuisse probauimus libro indicato; inter quos primas merito obtinent Apostoli, & viri Apostolici quam plurimi.

## DVODECIMA DISQVISITIO. An vacans Contemplationi-puræ Mysticus phantasmatum incursu turbetur?

ADfirmat Papa Gregorius fortasse experientia doctus, cur non credamus? Audiamus importunitatem imaginationis dum in peregrina mentem Contemplantis distrahit execrantem Pontifi-

 cem.

cem.Lib.10. Moral. cap. 8. explicans illa Iobi cap.11. Si ſubuerterit omnia vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei? ſæpe, inquit, contingit vt ad ſummariam mentem ſpiritus eleuet: ſed tamen hanc importunis caro tentationibus impugnet: cumque ad contemplanda cæleſtia animus ducitur, obiectis actionis illicitæ imaginib. reuerberatur. Nam carnis repente hunc ſtimulus ſauciat, quem extra carnem Contemplatio ſancta rapiebat. Cælum ergo ſimul, & infernus coarctatur, cum vnam eandemque mentem, & ſubleuatio Contemplationis illuminat, & importunitas tentationis obſcurat: vt & videat intendendo quod appetat: & ſuccumbendo in cogitatione toleret, quod erubeſcat. De cælo quippe lux oritur, infernus autem tenebris poſſidetur. In vnum ergo cælum infernuſque redigitur, cum mens, quæ iam lucem patriæ ſupernæ conſiderat, etiam carnis bello tenebras occultæ tentationis portat.]

Itaque dum pars ſuperior ſuauiſſime diuina Contemplatione fruitur, portio inferior phantaſmatum incurſu Contemplatorem turbat.

## TERTIA-DECIMA DISQVISITIO. An eleuatio mentis ad Contemplationem-puram ortum habere poſſit, vel inchoationem phyſicam ab induſtria hominis, vel operatione ſeduli Contemplatoris cooperantis diuinæ gratiæ?

RESPONDENT Scholaſtici plerique & præſertim Thomæ Aquinatis diſcipuli, Negatiue: quos ſequitur Franciſcus Suarez Tom. 11. de Relig. lib. 11. cap. 14. Argumento vtuntur: Quia modus contemplandi pure ſine conuerſione ad phantaſmata, non ſolum eſt omnino ſupra naturam quo ad gradum operationis, verum etiam quo-ad modum operandi, itaque non poteſt inchoari ab homine. Nituntur illo principio Philoſophi: Intelligentem oportet phantaſmata ſpeculari.

Vt magis illud conſtringant ad Contemplationem puram, adiungunt. Quamuis nulla operatio ſupernaturalis inchoari poſſit ab homine viribus naturalibus, vt contra Semipelagianos ſatis conſtat ex Eccleſiæ definitione, ac diſputationibus Auguſtini: initium enim omnis operationis ſupernaturalis eſt à Deo: tamen, poſtquam homo

per

per gratiæ diuinæ auxilium actuale est excitatus ad Contemplationem aliquam fidei potest suo modo sese applicare ad illum actum, & cũ diuino adiutorio eũ in suo genere inchoare. Verũ hoc ipso modo non potest conari homo ad Contemplandum pure sine conuersione ad phantasmata. Quia quo magis attendit per intellectum, eo magis etiam per phantasiam operatur, vt facilior sit intellectus applicatio, & apprehensio.

RESPONDENT Mystici: Posse contemplationis puræ supernaturalis originem esse physicam ex operatione hominis diuinæ gratiæ cooperantis. Vtuntur contrario argumento. Quia modus contemplandi pure quando est circa mere intelligibilia, & pure spiritualia non est supra naturam quo ad modum. Ergo potest ad illum homo cum diuina gratia conari adsurgere. Adsumptum probatur tum auctoritate Philosophorum, qui intra naturæ limites, etiam in Schola peripatetica agnoscunt dari contemplationem puram Dei, ac diuinorum. Eos nominauimus exercitatione II. Quibus adde Scholasticos, & in ijs Gregorium de Valentia qui loco indicato exercitat. III. exserte pronunciat: Postquam species semel adquisitæ fuerunt ab anima, dum est vnita corpori nihil obstare, quo minus sine concurrẽte alia operatione sensus, possit illas conseruare, atque iis vti. Atque id experientia ait constare, cum circa illa obiecta versamur, quę solo intellectu, aut voluntate attingi possunt.

Adde eundem & ante illum Dionysium Carthusianum docere, nisi hoc adseratur, non suppetere nobis argumentum naturale quo probetur efficaciter immortalitas animæ rationalis. Quocirca non est cur illa Mysticorum opinio, vt omnino improbabilis reiiciatur.

## QVARTA DECIMA DISQVISITIO. An Contemplationis puræ origo moralis possit esse ab homine diuinis gratiæ auxiliis sedulo vtente?

RESPONDENT tam Scholastici, quam Mystici, adfirmate. RATIO. Quoniã quemadmodum homines officiis virtutum, & piis actionibus mereri possunt quidpiam, quod excedit vires naturę: ita nõ est vlla causa cur non etiam hoc Dei donum promereri posse dicantur. Confirmatur. Eleuatur aliquando homo ad efficienda opera miraculosa, idque propter eximia quædam eius merita. Quare non eleua-

retur etiam ad nobile illud contemplationis genus ob sedulam in pietatis exercitiis collatam operam?

## Qvinta-Decima Disqvisitio. An contemplationis puræ donum desiderari possit à Deo, peti, procurari, intendi per propria opera?

Suar tom. 2, li. 2. c. 14. Est hic aliquod dissidium. Quidam enim vniuersè adfirmant: Neutiquam peti, procurari, intendi debere: fore enim genus quoddam vanitatis, & superbiæ, ac de se valde expositum illusionibus & deceptionibus.

Respondeo I. Non videri causam, cur contemplationibus diuinorum deditus non possit licitis modis procurare, petere, & intendere obtinere hanc à Deo gratiam. Ita sentiunt Mystici.

Ducuntur *Primo* auctoritate summi in hac disciplina Magistri, Dionysii Areopagitæ, qui cap. 1. Theologiæ Mysticæ hortatur sibi carum Timotheum ad hanc puritatem: & monet deserenda esse omnia sensibilia, imo & intelligibilia, ac ignote, sine vlla imagine adsurgendum ad Dei cognitionem. Ad quod exstimulat bonus Doctor obsequentem discipulum, id huic fas est postulare ab eo à quo omne donum optimum, & adhibere industriam, vt illud obtineat.

*Secundo:* Etiamsi detur contemplationem puram non esse simpliciter ac per se bonam: sed ex parte tantum, ideoque bonum ac malum vsum admittat: tamen non est minus bona, quam naturalia pleraque tum interna, tum externa, corporis, vel animi, cuiusmodi sunt ingenii perspicacitas, tenacitas memoriæ, artes, disciplinæ: robur, valetudo, pulchritudo, & sexcenta generis eiusdem. Hæc autem à Deo per orationem postulare licet. Ergo & contemplationem purā. Confirmatur. Honeste petuntur à Deo quædam bona supernaturalia, quibus æque, ac contemplatione pura abuti possent improbi (si tamen vere cōtemplationi puræ iunctus possit esse abusus) vt sunt quædam iustis ac peccatoribus communia: quales sunt gratiæ gratis datæ, donum linguarum, interpretatio sermonum, gratia sanitatum. Quæ est communis doctrina Scholasticorum cum S. Thoma S. IIdæ q. 83. art. 6. Ex eodem autem art. 7.

*Tertio*: sic licet argumentari. Hoc licet orare, quod licet desiderare: vt habet Augustinus ad Probam de adorando Deum epist. 121. ca. 4. 5. 12. vnde Theologi agnoscunt hic quandam reciprocationem. Vt fas sit optare, quicquid petere oratione licet: & contra: Ius sit pre-

cibus

cibus petere, quicquid desiderare est liberum. Supernaturalia autẽ bona licet iis quidam abutantur desiderare licet.

*Quarto*: Sunt qui existiment contemplatione pura quatenus est actus Theologiæ Mysticæ neminem abuti posse, sicut nemo abuti potest Theologia Mystica, quod suo loco examinabimus. Ita sentit Iacobus Aluarez tom. III. lib. 5. in proœmio. Vbi etiam docet: desiderium contemplationis perfectæ debere esse in viris spiritualibus creberrimum, imo iuge. Eam quietare, & satiare hominem: omnem virtutem inferre: contemplatione, tanquam efficacissimo medio homines in virtutibus crescere: per illam vniri Deo Mysticos: quæ aliaque contemplationis encomia, perfectissimæ, & ab omni phantasmatum tumultu liberæ maxime conueniunt. Eodem autem lib. cap. 7. postquam mire deprædicauit donum puræ contemplationis, monet, vt studeat animus diligenter suæ puritati per abiectionem peccatorum, & imperfectionum: ac per virtutum ornatum diuinã præsentiam exquirat dicens cum propheta: Quæsiui vultum tuum: vultum tuum Domine requiram. Demum per meditationum de creaturis gradus ad Deum cognoscendum, ac diligendum ascendat, & in his omnibus perseueret, vt quod in se est cum gratia Dei exequens se aptum atque idoneum reddat ad tantum bonum consequendum.

*Quinto*: Desiderabile bonum est ad perfectionem Christianam adspirantibus, postquam mentem habuerint à vitiis expurgatam à passionibus defæcatam, in caritate sincera stabilitam, instar speculi splendidissimi puram, nitidamque radios diuinæ sapientiæ excipere, & vel per intellectus donum, auxilio Dei singulari, & illustratione illuminari, sicque ad nudam, & quasi nudam intelligibilem veritatem contemplandam sustolli. Hoc autem nihil aliud est, quam contemplationem puram à phantasmatum contaminatione purgatam expetere.

*Sexto*: Si naturaliter haberi potest contemplatio-pura circa Deum & diuina quatenus naturaliter ab homine cognosci possunt, vt multorũ sententiis superius est stabilitum: confert haud dubie plurimum ad perfectiorem cælestium considerationem & intelligentiam. Ergo iure optimo procurari potest, tanquam præcipuum intellectus ornamentum, & optimum medium veritatis cognoscendæ. Ad cognoscendum igitur intimius & clarius, ac cum maiori quiete veritates supernaturales, optari potest, ac à Deo precibus efflagitari Contemplatio-pura supernaturalis quæ præcipua est theologiæ mysticæ operatio.

RESPONDEO tamen 2, optime facturos, qui optabunt, & petẽt hoc

hoc Dei donum adhibita cõditione expresse, vel tacite, quatenus est vtile postulanti ad maiorem in virtute progressum, ad mandatorum consiliorumque Euangelicorum obseruationem exactam, ad perfectionem citius, & expeditius consequendam. Hoc est secundum mẽtem Scholasticorum. Et satis per se constat. Sic enim petenda sunt, quæ alicui esse possunt mali occasio, aut minus bonum sortiri euentum. Hoc modo peti posse *Temporalia* monet S. Thomas, *tanquam adminicula, quibus adiuuemur ad tendendum in beatitudinem: in quantum scilicet per ea corporalis vita sustentatur: & in quantum nobis organice deseruiunt ad actus virtutum*, vt Philosophus dicit 1. Ethic. ca. 8. Quo pacto etiam

*Epist. 121. cap. 6.* Augustinus epistola ad Probam scribit: vitæ sufficientiam non indecenter velle, quisquis eam vult, & non amplius. Quæ quidem non appetitur propter semetipsam, sed propter salutem corporis & congruentem habitum personæ hominis, vt non sit inconueniens iis cũ quibus viuendum est. Ista ergo cum habentur, vt teneantur: cum non habentur, vt habeantur orandum est. Eadem autem est ratio donorum supernaturalium illorum, quorum potest esse abusus.

RESPONDEO 3. Contemplationis puræ donum, desiderandum, petendum, procurandum non esse absque ordine ad honestum finem.

Est assertum commune ad omnia bona, quæ non omni ex parte sunt talia. Eoque sensu S. Thomas, S. IIdæ q. 83. Art. 6. dicit: istiusmodi bona non esse à Deo petenda tanquam res in quibus finis petentis constituatur, quoniam peti non possunt propter solam excellentiam intrinsecam, quam habent, cum per sese ordinentur ad aliud: & illa intrinseca excellentia possit alicui minus cauto esse ruinæ occasio.

Quod si quispiam ex mera curiositate, vanitate, ambitione aut simili prauo affectu irreuerenter postulet hoc vel simile donum à Deo irreuerẽter (pertinet enim hoc ad irreuerẽtiam Numinis) punitur nonnunquam hæc irreuerentia illusionibus, quibus permittit Deus istiusmodi contemplantes decipi. Sicut in aliis puniri solet rerum indifferentium petitio illarum concessione, quibus deinde in multa mala, siue corporis, siue animi, præcipitantur. Hæc merces imprudentis ac temerariæ absque affectu moderato, & fine honesto sibi proposito postulationis.

RESPONDEO IV. Merito vanitatis ac superbiæ insimularetur, quisquis donum Contemplationis puræ à Deo peteret, tanquam meritis suis debitum. Cum enim sit gratuitum Dei beneficium, quod ne quidem optimis semper conceditur: neque vlli viatorum debea-

tur non poteſt non ex arrogantia,& immodica ſui æſtimatione oriri, opinio illa, quod ipſe præ ceteris dignus ſit, cui illud concedi debeat.

## QVINTA-DECIMA DISQVISITIO. Ob quas cauſſas DEVS beneficium Contemplationis-puræ Myſticis conferre ſoleat?

RESPONDET Franciſcus Suarez tom. II. de Relig. lib. II. cap. 14. Illud rariſſime concedi, niſi ob ſingulare priuilegium: aut magnam vtilitatem publicam: quia Deus ſuaui modo omnia diſponit & non facit hæc miracula ſine magna cauſa. Atque idcirco Contemplationem-puram non eſſe numerandam inter modos orandi mentaliter, qui vſu venire ſolent, & ad praxim, vel profectum noſtrum conferre poſſunt.

Quod de profectu dicit, ex ſuperioribus conſtat quomodo admittendum ſit: patebitque magis cum de vtilitate Myſticæ diſputabimus. Eſſe priuilegium ſingulare, Myſticorum nemo dubitat. Dari autem nonniſi ob vtilitatem magnam publicam, neſcio quomodo probetur: quum fere hoc beneficio adficiantur, qui ab hominum ſocietate ſemoti, in ſolitudinibus errantes, aut latitantes in ſpeluncis, & cauernis terræ, vel ſuis abditi in cellulis vni Deo ſibique vacare iucundiſſime conſueuerunt vitæ communis extorres: ex quorum puriſſima contemplatione, cũ in publicã notitiã non veniat, Deo ſoli nota, publicum aliquod emolumentum prouenire non poſſe videtur.

# COMMENTATIO CONTEMPLATIO IN CALIGINE MYSTICA.

CONTEMPLATIONIS huius genus, quam CALIGINOSAM vocare poſſes, nomen inuenit à Myſticæ ſapientiæ ſummo Doctore, poſt Apoſtolos, eorumq; Magiſtrum, Dionyſio Areopagita, qui duobus potiſſimum locis de ea luculenter differit, Prior eſt ca. I. de Theologia Myſtica vbi ſic ſtatim initio orditur.

Trinitas, essentia, diuinitate, ac bonitate superior, & præstantior Christianorum Theologiæ Dux dirige nos ad ignotissimum, splendidissimumque, ac summum Mysticorum scriptotum diuinorum cacumen, in quo simplicia, & absoluta immutabiliaque Theologiæ mysteria abstrusa sunt, præfulgente Silentii obscura docentis Caligine. Quæ & eo, quod obscurissimis Tenebris offusum est, id, quod est splendidissimum, maxima luce illustratum ostendit, ac prodit: & eo quod tractari cernique penitus non potest, pulcherrimis splendoribus mentes, quæ aspectu carent præter modum complet. Hoc quidem meum votum est.

Tum conuerso ad Timotheum Mysticæ Disciplinæ studiosum sermone docet, quomodo in Mysticam hanc Caliginem ingredi debeat, hic verbis Tu Timothee clarissime, pro maxima mysticorũ spectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte, & sensus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ & sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, teque ad eius, qui omnem essentiam, omnemque scientiam superat coniunctionem & vnitatem, pro virili parte Ignorando, excita. Libero enim solutoque ac liquido à te, & ab omnibus discessu ad Diuinarum Tenebrarum Radium (id est Caliginem Mysticam) qui omni essentia superior est, contendes, cum & omnia dempseris, & ab omnibus solutus fueris, ac liber.

Eodem capite pluribus demonstrat: Quisnam in diuinam Caliginem ingressus dici debeat. Bona, inquit, omnium causa & multis verbis & paucis simul & nullis exprimitur: quippe, quæ nec rationem habeat, nec intelligentiam ac notitiam, quod omnibus singulari modo præstet: ijsque solis sine integumentis, vereque colluceat, qui & immunda omnia, & munda transeunt, omnemque omnium sanctorũ fastigiorum ascensum superant: & diuina omnia lumina, sonos rationesque cælestes relinquunt, & in Caliginem ingrediuntur: in qua reuera est, vt scripta diuina tradunt, is qui est supra omnia.

Non enim frustra diuinus Moses mundari, expiarique primum ipse iubetur: rursusque ab ijs, qui non sunt huiusmodi secerni: ac post omnem expiationem audit tubas, quæ multos sonos edebant, cernitque multa lumina, puros, ac diffusos radios vibrantia. deinde à multis secernitur, & cum selectis sacerdotibus ad diuinorum graduum cacumen peruenit: atque in his non cum Deo versatur.

Hoc autem mihi significare videtur, ea, quæ diuinissima, ac sũma sunt in ijs, quæ cernuntur, & intelliguntur, subiectas esse rationes eorum, quæ ei, qui ei, qui omnia superat, subiecta sunt, quibus eius præ-

præſentia, quæ omnem cogitationem intelligentiamque ſuperat: & in ſpiritalibus ſanctiſſimorum eius locorum cacuminibus inſidet, oſtenditur: tumque demum, & ab iis, quæ cernuntur, & ab ijs, quæ cernunt, liberatur, & in vere MYSTICAM IGNORATIONIS CALIGINEM irrepit. In qua omnia cognitionis ſubſidia deponit. atque in eo fit, qui penitus tractari, viderique non poteſt, totus eius qui ſuperat omnia: nec vllius: nec ſuus: nec alterius. Sed ei qui omnino incognitus eſt, omnis cognitionis ceſſatione, præſtantiore modo coniunctus. Atque hoc ipſo, quod nihil cognoſcit mentem etiam cognoſcendo vincit ac ſuperat.

Poſterior locus, qui apud Areopagitam Caliginis Myſticæ explicationem continet, eſt Epiſtola V. ad Dorotheum: ex qua opportune poſtea, quæ ad rem noſtram, excerpemus.

---

# EXERCITATIO I.

## *CALIGINIS MYSTICÆ VARIA VOcabula. Vna ſignificatio. Eorum primum eſt lux.*

CONCIPITVR à Myſticis DEVS opt. Max. vel tanquam in immenſa quadam, ac in omnes partes diffuſa, nulliſque peruia oculis LVCE, quam eius vocant habitaculum, domicilium, veſtem, chlamydem, palatium, latibulum: vel tanquam in ſpiſſiſſimis tenebris: vel tanquam in denſiſſima Caligine, Nebula, Nube, Fumo, quæ eaſdem, quas lux denominationes participant. Sunt autem hæc diuinis conſentanea oraculis: quæ mirum in modum hanc Myſticorum conceptionem declarant.

I. Igitur dicitur Deus, *Amictus lumine ſicut veſtimento* Pſal. CIII. 2. Quod vetus Pſalterium, Auguſtinus, & Proſper legunt: *Circumamictus lumen ſicut veſtimentum*. D. Ambroſius lib. I. de Elia I. *Circumdatus luce* id diuerſa formula expreſſit Paulus I. ad Timoth. 6. 16. *Qui lucem inhabitat inacceſſibilem*. Sed circa hoc eſt

### PRIMA DISQVISITIO. An Lux qua amicitur Deus, quamque inhabitat ſit quid à Deo diſtinctum?

AVguſtinus Steuchus Eugubinus, lucem eam interpretatur Cælum Empyreum. Hoc namque exiſtimat lucem eſſe quandam, ſed In Coſmopœia.

ſed increatam, Deo coæternam, ex Dei eſſentia promanantem, in qua Deus habitet, & ad quam Beati admittantur, nec tamen ipſa ſit Deus. Vtitur ad id roborandum verbis Chriſti Ioannis 16.15. *Clarifica Tu me Pater, apud Temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet.* Addit: lucis illius ſpecimen quoddam datum in rubo Exodi 3. 2. & in vultu Moſis radiante Exo. 34. 29. 30. ac in Chriſti Transfiguratione Matthæi 17. 1. Neque abhorrere ab hac ſententia Baſilium Homil. 11. in Hexaem. vbi ſcribit arbitrari ſe, ſi quid erat ante mundi ſenſibilis conſtitutionem, id in lumine nimirum fuiſſe: nec enim Angelorum dignitates degiſſe in tenebris: hanc etiam hominibus iuſtis promitti Homerum tandem adducit, appellantem Deorum ſedem olympum quaſi totum collucentem.

Placuit hoc figmentum Socinianis hæreticis, qui & Lucem inacceſſibilem, quam inhabitare DEVS dicitur: & Mundum illum futurum de quo Paulus ad Hebr. 12. 27. Deo coæternum faciunt, ac increatum. Quod in Hollandia Remonſtrantibus perſuadere conatus fuit Caluiniſta Conradus Vorſtius lucem illam vocans nunc Dei Domicilium, nunc Thronum, nunc Domum, Acropolim, Ciuitatem, Regionem ampliſſimam, Habitaculum. Contra quem diſputamus & hanc opinationem vt omnino erroneam refellimus Lib. 1. Hydri Hollandici cap. 111. itaque

RESPONDEO 1. Lucem, Dei amictum ſeu Habitaculum non eſſe quid à Deo diuerſum. Quod ex aduerſariorum etiam poſitionibus neceſſario deducitur. Nam nihil præter Deum eſt ab æterno: imo, nec eſſe potuit, vt demonſtramus in Philoſophia. Quidquid autem non eſt Deus à Deo creatum eſt. Deinde, quidnam tandem lux illa eſſet: An accidens à ſubiecto ſeparatum? an potius corpus aliquod? an potius ſpiritus? quidquid dixeris ludibrio bene philoſophantium te expones, cum nihil tale Deo coæternum, & ab eius ſubſtantia promanare poſſit. Et ſi promanat, cum hoc non libere fieri dicendum ſit, ſed cum neceſſitate, non poteſt lux iſta eſſe quid finitum, vt eſt cælum empyreum, ſed omni ex parte infinitum, ac immenſum, quale nullum eſt ens reale præter Deum. Nec Chriſti claritas huc detorqueri poteſt, quæ innotuit mundo & clarificatus eſt, maxime poſt Paſſionem. De Baſilij mente agimus *Titulo*, De operib. ſex dierũ. Innuit ille quidem corpus aliquod materiale lucidum, quod Theologi paſſim ſupra cælos alios conſtituunt Beatorum domicilium, dictum, Cælum cæli Pſ. 113. 16. Cæli cælorum, ac terra viuentium Pſal. 26. 13. Regionẽ Viuẽtium Pſ. 141. 6. Tertium cælũ 11. Cor. 12. 2. Ciuitatem in quadro poſitam Apocal 21. 16. De quo, ac Baſilij ſenſu S. Tho-

Thomas in 11.Dist.11.& 1.P.q.66.art.3.Pererius lib.1.in Genes. Valentia 1.P.Disp.5.quæst.11.Puncto 1.Molina De opere 6.Dier Disp. 3.Conimbricenses lib.11.de cælo cap.5.quæst 11.art.2.Iacobus Salianus Tom.1.Annalium V.T.in Apparatu Scholiis ad ca.5.Aug. Torniellus in Annal.Sixtus Senensis li.5.Biblioth.

RESPONDEO II LVCEM, quam DEVS inhabitare dicitur, esse ipsam Dei ESSENTIAM. Sequitur necessario ex Resp.superiore. Et constat clarissimis SS^{tæ} testimoniis.Iæ Ioannis 1.5: *Hæc est annunciatio* (Enunciatū) *quam audiuimus ab eo* (Christo) *& annunciamus vobis, quoniam* Deus Lux *est*. Quomodo? non accidentaliter, quomodo Dominus quosdam vocat LVCEM MVNDI Matt.5.14. Sed essentialiter. Ob quam causam etiam dicitur Lux VERA Ioan.1.9. non quidem quasi lux alia sic vacari solita sit falsa: sed quoniam ipsa est natura sua talis, vt naturalis dici possit, & quia pura lux est, sicut purus actus. Sic Christus appellatur verus Dei filius 1.Ioann.5.20. Aut quoniam ratio lucis corporeæ, translatæ, per figuram ad Christū Deum, aut Deum essentialiter sumptum, multo magis perspicitur secundum spiritualem modū, quā in illo ipso accidente, quod Lux vocatur, quo pacto dicitur vitis vera Ioa.15.1. verus cib. potusq; Christus Ioa.6.56.

Nec solum Deus essentialiter, sed & personaliter sumptus Lux est: imo, singulæ personæ Diuinæ. Per Patrem luminum Iacobi 1.4. aliqui intelligunt Primam-personam. Verbum est lumen de lumine vt canimus ex symbolo Niceno. Spiritum-sanctum vocat Ecclesia lumen cordium. Quamuis Filium vocet splendorem, quia Pater eius lux est, Auctor libri de Deitate & Incarnatione apud Augustinum. *Tom.4.Tract.11.Et 14.* Et sane symbolice lux corporis luminosi refert Patrem: in medium diffusa, Filium; splendor spiritum-sanctum.

Dionysius Areopagita ingeniose confert, declarationis ritu, cum tribus luminibus indistincta quadam diuisione aliquod conclaue implentibus sanctissimam Trinitatem. Personarum, inquit, excellentissime vnarum (si ita dicendum est) in se inuicem mansio, & fundatio omnino supra modum vnita, & nulla in parte confusa, quēadmodum lucernarum lumina (vt exemplis, quæ sub sensum cadūt, & aptis vtar) quæ in domo vna sunt, & tota inter se ac mutuo in totis sunt: integram, certamque inter se, quæ proprie cohæret habent distinctionem: cum interim & coniuncta distinctione, & coniunctione distincta sint. Animaduertimus enim cum in eadem domo complures sunt faces, cum vno lumine omniū lumina coniungi, vnumque splendorem ex se, qui non distinctus est, effundere: neminemque arbitror posse huius, vel illius facis lumen

discernere, aut diuidere à ceteris ex aere, qui ambit omnia lumina, nec videre alterum sine altero, quod tota in totis sine confusione temperata sint. Quin etiam si quis vnam facem de domo detraxerit, simul totum quoque eius lumen proprium vniuersum abibit: cum interea nihil de aliis luminibus secum trahet, aut aliis aliquid de suo relinquet. Erat enim eorum, vt dixi totorum cum totis perfecta coniunctio, non permista omnino, & cum nulla parte confusa.

*Damasc. li. 1. de Fide cap. 11.* Optima similitudo, qua quomodo personæ diuinæ lucis proprietatem participent, innotescit. Quod exprimere volens Damascenus alio symbolo, tres soles iubet concipi inseparabiliter nexos. Vidi ego circulos hoc pacto copulatos ad eiusdem rei repræsentationem.

Qui Grammaticorum & Cabalistarum delitiis sese oblectant, considerare monent, & pendere trium linguarum in cruce dominica consecratarum nomen triliterum אור *Ohr, φῶς, Lux*. Atque in Hebraico quidem, primum elementum א designare Patrem, qui appellatur אב *Ab:* secundam ו *Vau*, quoniam vim habet copulandi, Filium: an quia humanitatem sibi copulauit hypostatice: tertiam ר *Resh*, Spiritum S. qui dicitur רוח הקדש *Ruah hakkadosc* inchoante hoc nomen literula ר *Resh*.

Ad profanos si deuoluamur, & apud hos non raro appellari Deum, *φῶτα*, reperiemus, ob nobilitatem huius qualitatis, quæ inter materiales, primatum obtinet: omnia subit, ac in momento quidem, & sine sui imminutione, efficacissima est, pulcherrima, nitidissima, inquinari nescia, quæ vt alia his adfinia, diuinitatis perfectiones varias hominibus manifestant.

*Ioh. 1. 9.* Illa LVX est illuminans omnem hominem, cui lucem quandam communicat, annon & lucem facit? Certe Græcis homo est *φῶς*, Hebræis איש *Isch*, tanquam אש *esch, flamma, ignis, lux*. Est de hoc ipso præclara dissertatio summi Doctoris Areopagitæ cap. 4. de nominibus diuinis. Postquam enim docuit Deum solum essentialiter bonum esse, & hoc illi nomen propriissime conuenire.

Ex bono, inquit, Lumen est, & bonitatis imago. Itaque lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine primum exemplar expressum. Vt enim diuinitatis omnia superantis bonitas à summis dignissimisque naturis ad vltimas pertinet atque etiam omnibus præstat: ita vt nec superiores ad eius præstantiam perueniant, nec inferiores complexum transeant: sed omnia, quæ possunt illustrat, & efficit, & viuificat, & continet, & perficit: estque eorum, quæ sunt & mensura, & æternitas, & numerus, & ordo, & complexus, & causa & finis.

finis. Sic etiam, qui clara expressaque bonitatis diuinæ imago est magnus hic Sol, luminis parens, totus lucens, ac semper splendidus pro minima ipsius boni similitudine, omnibus etiam qui eius lucem capere possunt collucet, habetque lumen per omnia diffusum, in omnem hunc mundum, quem cernimus radiorum suorum splendorem explicans, & sursum ac deorsum. Ac si quid est, quod eos non participet, id eius luminis diffusi tenuitati aut paruitati non est tribuendum: sed iis, quæ, quia apta non sunt, ad capiendum lumen, ad illud participandum non explicantur. Multa itaque eorum, quæ sic adfecta sũt (vt lumen recipere nequeant) radius pertransiens, ea quæ sequunrur, illustrat: nec quicquam est eorum, quæ subcernendi sensum cadunr, quo non immensa splendoris sui magnitudine penetret.

Quin etiam ad ortum eorum corporum, quæ sensu percipiuntur, conducit: eaq; ad vitã excitat & alit, & auget, & absoluit, & purgat, & renouat. Ac lumen mensura est, & numerus horarum, dierum, totiusque nostri temporis. Lux enim ea erat, etiamsi tum forma certi corporis carebat quam diuinus ille Moses primos etiam illos tres dies nostros definiuisse, ac distinxisse, commemorat.

Atque, vt omnia ad se conuertit Bonitas primaque. ea colligit, quę dispersa sunt, quasi vnius principiũ vnũq; efficiẽs diuinitas, eiusq; desiderio omnia, vt principii, vt ipsa continentis, vt finis renentur. Ac bonum est quemadmodum scripta diuina tradunt ex quo constiterunt omnia: & à qua, quasi causa perfecta in lucem prolata sunt: & in quo consistunt omnia quasi in fundo; quod capit omnia, custodiantur, atque capiantur: & ad quod omnia conuertuntur quasi ad suum quodque finem. & quod omnia appetunt: ea quidem, quę mente, & ratione prædita sunt, cognitione: ea autem, quæ sensum habent sensus iudicio: quæ vero sensu vacant, insito motu vitalis appetitionis: quæ vitæ expertia sunt, & tantummodo statum habent, vi quadam, qua ad solam essentiæ communionem apta sunt.

Eadem claræ similitudinis ratione lux etiam colligit conuertitque ad se omnia, quæ videntur, quæ mouentur, quæ illustrantur, quę calescunt: &, vno verbo, ea, quæ sub eius splendore continentur. Itaq; ἥλιος sol dicitur, quod omnia ἀολλῆ ποιεῖ, id est, congreget, colligatq; dispersa: eaque omnia eum expetunt, quæ sensu percipiuntur: aut, quod cernere cupianr: aut sentire, illustrari, calescere, omninoque contineri à lumine. Nec vero hoc dico antiquitatis fabulam sequutus, in qua est, solem, qui Deus sit, atque mundi huius effector, proprie mundum, qui videtur, gubernare: sed inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspici adfirmo, sempiternam

ternam quoque eius virtutem & diuinitatem. Verum hæc quidem ad Theologiam symbolicam magis pertinent.

*Deus qua bonus, lux mentis.*

Nunc autem spiritale ipsius Boni à luce ductum nobis laudādum est: dicendumque, Bonum lucem mentis dici; quod mentem quidem cælestem omnem spiritali luce impleat, omnē autem ignorationē, erroremq;, ex omniū animis, quibus insitus sit, expellat, eisque omnib. sacrum lumen largiatur, & ex mentis eorum oculis caliginem, quæ eis ignoratione offusa est depellat, & discutiat, excitetque & aperiat magno tenebrarum pondere contractos, participesque faciat: primum modici luminis: deinde cum lumen quasi degustant, & magis expetunt, magis se infundat abundantiusque illustret, quod multum dilexerit, eosq; semper ad ea, quæ ante sunt, pro ea ratione, quam ad contentionem habent, excitet.

Lux ergo spiritalis dicitur bonum, quod lucem omnem superat: quod quasi radius fontis, lucisque manans effusio, mentem omnem, quæ mundum superat, quæ circum mundum est, & quæ in mundo versatur, ex sua, vt ita dicam plenitudine illustret, omnesque mentis illarum facultates renouet, omnes complexu suo contineat, omnib. præstet superiora tenendo, & vno nomine, omnem vim rei, quæ lucem adfert quasi lucis principium, & luce superius ac præstantius in se comprehenderit, præstantiore modo habeat, & prius habeat: eaque omnia, quæ mentem, rationemque habent congreget, atque colligat. Vt enim eos, qui decepti sunt, diuidere solet ignoratio: sic spiritalis lucis præsentia, vim habet colligendi coniungendique eos, qui illustrantur, & perficiendi, conuertendique ad id, quod vere est à multis sententiis & opinionibus, variosq; aspectus, aut vt magis proprie dicam, visiones in vnam veram, puram vniusque modi scientiā colligat, denique, vno lumine, eoque vnius efficiendi vim habente compleat.

Ex his facile apparet quam apte Deus lux appelletur. Sed latet quidpiam nondum explicatum, in eo, quod à Mysticis luce amiciri, aut in ea tanquam domicilio, aut velamento abscondi concipiatur. Facile intelligitur, essentiam diuinam lucem esse, quia mentes hominum & Angelorum illustrat, ac à beatis videtur: at non æque facile est rationem adsignare lucidissimi illius habitaculi, maxime, si illud à Mystica CALIGINE non differat. sit

itaque

SECVN-

## SECVNDA DISQVISITIO. Quid significent Mystici, per lucis amictum in quo DEVM contemplandum esse præscribunt?

RESPONDEO. Eos significare, summam intelligibilitatem, quam in se habet: vt enim est primum Ens, sic & primum intelligibile: ac summam Incomprehensibilitatem respectu cuiuslibet intellectus creati. Luce nihil notius: nihil ignotius. Deo nihil magis intelligibile, nihil minus comprehensibile. Vere Domine, *Magnus consilio es & in* Iere.32.19. *comprehensibilis cogitatu. Quæ Dei sunt nemo cognouit* perfecte, plene, 1.Cor. 11 11 comprehensiue, *nisi spiritus DEI. Quam incomprehensibilia sunt indi-* Rom.11.33. *cia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis cognouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit?* Ob hanc causam Joa. Damascenus, & Dionysius Areopagita, Deum dicunt ἀκατάληπτον, ἀπερίληπτον, ἀπεριχώριστον. Quod vt demonstret libello de Theologia Mystica totus est in deprædicatione infinitatis diuinæ, ratione cuius eleuatum illum esse dicit supra omnem essentiam, & supra omnem intellectum ac cognitionem, omnesq; cognitionis terminos: & supra omne id, quod à creatura comprehendi potest: idque διὰ τὴν ὑπερούσιον ἀπειρίαν propter suam superessentialem infinitatem. quomodo loquitur Areopagita ca. 1. de diuinis nominibus.

Hoc indicat lucis illa immensitas, & inaccessibilitas, quæ Deũ ab oculis creaturarum, adhunc solem, magis, quam ad materialem vespertilionum improportionatis subducit vt plene videri nequeat. Eleganter S. Cyprianus, libro quod idola non sunt Dij: *Mundi vnus est Rector, qui vniuersa, quæ sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est: & ideo, sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.* Refert quidem ibi incomprehensibilitatem Cyprianus ad complexum seu tactum corporeum: at cum adiungat, esse inæstimabilem, de incomprehensibilitate respectu intellectus & cuiusque facultatis spiritualis intelligitur.

Similia habet D. Chrysostomus lib. de incomprehensibili Dei S. Chrysost. natura, cuius & illa est arguta collectio magis incomprehensibilem hom. iii. Deum esse debere, quam à nobis vel concipi possit, vel excogitari, cum domicilium quod inhabitat, Paulus dicat esse inaccessibile.

S. Quoque Damascenus statim initio libri 1. de fide orthodoxa cap. 1. Deum, ait, nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui est in si- 1. Ioan. 1. nu Patris ipse enarrauit. Ex quo infert: Ineffabilis igitur DIVINI-

TAS, atque INCOMPREHENSIBILIS. Quod deducit eo capite, quo vt eius Scholiastes obseruat, docet, Deum esse tam claram lucem, vt à mortalibus oculis videri nequeat, sed nec ab Angelico intellectu comprehendi possit: nam habitat lucem inaccessibilem.

Quam etiam circa Deum Mysticorum contemplatione considerat eloquentissimus Chrysologus sermone 82. vbi declarans stellam candidam, in qua visus Angelus, Christo resurgente, innuit illum participasse de luminoso amictu: Stola ista, inquit, non ex mortali vellere, sed ex virtute vitali splendens cælesti lumine, non colore terreno: & clara Creatoris munere, non arte fullonis, dicente Propheta, amictus lumen sicut vestimentum: & de iustis: tunc iusti fulgebunt, sicut Sol. Terreni terrenis velati sunt vestimentis: & ideo, sicut nouitate splendent, ita vetustate sordescunt: cælestes vero cælestis luminis amictu ambiuntur, & à terreno squalore suspensi nec fædantur vetustate vnquam, nec vllis sordibus obscurantur: sed vestes, quas semel dederit resurrectio, perpetuo lumine vestiuntur. Quod multo magis in Deo locum habet, qui non accidentaria aliqua, sed substantiali, & essentiali luce circumdatur, quæ illi est instar paludamenti, sedis palatii.

Matt. 17. 5 Verissime, *splendor in circuitu Dei nostri est* Ieremiæ 1. 4. Et adducit electos suos in luce maiestatis suæ, vt dicitur Baruch 5. 9. Nubes lucida adumbrat Deum nostrum, latitat in rubo ardente. Posuit in Sole tabernaculum suum: vel Solem posuit vmbraculum suum. Hanc ipsam lucem, in qua est Deus, vere absconditus, symbolice significare potuit vestimentum candidum, sicut nix, quod vidit in antiquo dierum Daniel: & in Christo transfigurato, quando aliquod diuinitatis incomprehensibilis specimen dedit, Apostoli. Exod 3. 2.

TERTIA DISQVISITIO. Ergo nulla spes est ad Deum accedendi? siquidē lucem inhabitat inaccessibilem. Quid se fatigat in cassum Mysticus, qui in lucidum hunc orbem oculos vibrare contendit? Ergon' videndi Deum omnis dempta facultas. Nam Deum nemo vidit vnquam, sed nec videre quisquam potest, quia lux est, mortalium oculis, imo & mentium æternarum inuisibilis, quia incomprehensibilis.

RESPON-

RESPONDEO. Apud homines, & naturæ solius viribus hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Apud illum non est impossibile omne verbum. Itaque gratia ipsius tanquam vehiculo ad inaccessibilis conspectum ferimur. Ferimur & virtutum carpento, ac caritatis pedibus. Monet Propheta. Matth. 19, 26.

Accedite ad eum & illuminamini. Dicit quod ipse probauit, inquit Augustinus. *Spiritalis enim quidam(*Mysticus*)in corpore Christi, vel etiam ipse Dominus noster Iesus Christus, secundum carnem, caput exhortans membra cetera, quid dicit?* Accedite ad eum & illuminamini. Ad quem? ad Deum. Sed lucem inhabitat inaccessibilem: idcirco scrutatores superbi Maiestatis opprimuntur à gloria. Hi de lumine tenebrantur: humiles Mystici accedendo illuminantur. Accesserunt, qui in tenebris erant: & qui non viderunt illuminati sunt: videntes autem ac de se nimium præsumentes, exoculati sunt. Eadem lux est: sed accedere volentium magnum discrimen. Psal. 33. 6.

Accede confidenter, inuitantis nixus gratia, ad hunc Mysticũ solem: sed accede, fide sectando, corde inhiando, caritate currendo. Pedes tui caritas tua est. Duos pedes habeto: noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei & Proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum: quia, & vt curreres ipse hortatus est: & ipse suum lumen aspersit sic, vt magnifice, & diuine se sequi possitis. Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri, non erubescent. Non erubescit vultus nisi superbi scrutatoris, non humilis Mystici. Quare? quia ille elatus est, facile confunditur: hic demissus facile illuminatur, ab eo, qui verum est lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Sicut enim lumen non potest confundi, sic & illuminatum confundi non sinit.

Accedere ergo possumus ad eum qui lucem habitat inaccessibilem, quique amictus est lumine, sicut vestimento. An fortasse idcirco amictus scribitur, vt hoc ipso intelligatur, quod quamuis lux sit immensa, tamen sui copiam facere efflagitantibus sibi hanc gratiam fieri velit? Est hæc ingeniosa commentatio Gregorii Theologi qui amictu denotari insinuat restrictionem quandam: quemadmodum, quando Deus præcinctus virtute dicitur: quia effrænatam potentię ipsius ac luminis vim τὸ ἄσχετον αὐτοῦ τῆς δυνάμεως, καὶ τοῦ φωτὸς non esset qui posset sustinere. Greg. orat. ad 150. Episco. in apol orat. 42 Psal. 92. 1.

Quare nouo quodam modo concipit subtilissimus iste Doctor Lucem, non vt paludamentum vel ad ima defluentem togam, sed vt Zonam, vere torridam, & perpetuo fulgurantem. Duplex inquit, Zonæ genus noui: alterum, quo tunica immodice expansa restringitur:

 qua

qua forma qui Pascha comedunt, lumbos accingunt: hoc est, superfluas cupiditates contrahunt. Alterum militare, à quo in lib. Reg. quosdam milites reperio Euzonos, & Monozonos vocatos: quod leuiter adstringantur, atque vnicam vestem substringant, Zona vna v-tentes. Ita Jobum fortasse accingi volebat Dominus ad fortitudinē exhortans: Accinge vt vir lumbos tuos. De ea quoque gloriabatur bellicosissimus Dauid Deo gratias agens, dicensque, Accinxisti me virtute ad bellum. Ac de Deo verba faciens: Indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se: ad uersus impios scilicet seipsum armās. Nisi forte dicas his verbis, Accinxit virtutem hoc significari Deum nequaquam omnipotentia sua aduersus impios vsum esse (quis enim eam sustinere queat?) verum ipsius exuberantem, ac redundantem copiam compressisse. Eiusmodi quoque generis est illud Dauidis Amictus lumine sicut vestimento: id est, induens, ac velut Zona restringens luminis exuberantem copiam, non sequus, ac vestem longam latamque, & ad talos vsque demissam. Etenim potentia Dei, & lumen nisi contrahantur æque omnibus intolerabilia sunt.

*Iob. 38.* *Psal. 17.*

Constringit itaque quodammodo Deus incomprehensibilitatem suam quasi Zona, vt intellectus creatus in illā ferri possit. Quod præclare declarat idem Theologus Oratione eadem contra Eunomium & Platonicos disputans. Quia enim Deus simplex est, omnis compositionis expers, contendebant Platonici, vel cognosci omnino non posse: vel debere plane comprehendi. Nihil enim simplex, inquiebant, partim comprehendi potest partim comprehendi non potest: verum siue corpus illud sit, substantiam habens similaribus partibus constantem: siue etiam quiddam incorporeum quisquis illius partem perceperit, totum quoque percepisse censendus est. At respondet Nazianzenus. Simplicitatē non ita se in Deo habere quasi Dei naturam constituat: i. e. non ita esse simplex, vt virtute non sit multiplex. Ex eo fieri vt dū cognoscitur, totus cognoscatur: ex hoc vt nunquā totaliter. Est itaq; tanquā lux immēsa visibilis, & inuisibilis: cognoscibilis ac incomprehensibilis; vere παμφανὴς ac πάγκρυφος, quia infinita lux reddit inuisibilē & inaccessibilem. Tamen vt recte & ad contemplatiuorū consolationem scribit Mysticorū Magister: Quisquis Deum nosse, ac videre meruerit ad hanc inuisibilem, incomprehensibilem, inaccessibilem lucem pertingit, & ab ea absorbetur.

*Omni ex parte lucens.* *Omnino latens.* *Diony. epist 5 & cap 7. de diuin. nom. theol. myst. cap 1. 2 3 4.*

Quod antequam contingat adspirat ad optatam sibi lucem nocturnis diurnisque votis Mysticus, ac frequenter secum reputat, quam sit Dei domus luminosa, speciosa, decora: exclamatque identidem carneis concupiscentiæ nexus vinculis. Quam diu his tenebor, & infimis,

mis,euolare cupientem alligabor? Quousque pulsabunt oculorum illecebræ ingemiscentem,& habitaculum meum, quod de cælo est, superindui cupientem? Pulchras formas,& varias,nitidos, & amænos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam: teneat eam Deus,qui hæc fecit,bona quidem valde: sed ipse est bonum meum, non hæc. Et tangunt me vigilantem totis diebus: nec requies ab eis datur mihi,sicut datur à vocibus canoris aliquando ab omnibus in silentio.

Ipsa enim regina colorum lux ista,perfundens cuncta quæ cernimus,vbi per diem fuero multimodo allapsu blanditur mihi aliud agenti,& eam non aduertenti. Insinuat autem se ita vehementer,vt si repente subtrahatur,cum desiderio requiratur,& si diu absit,contristat animum. O lux! quam videbat Tobias cum clausis oculis istis, filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede caritatis nusquam errās. Aut,quam videbat Isaac prægrauatis,& opertis senectute carneis luminibus,cum filios non agnoscendo,benediceret: sed benedicendo agnoscere meruit. Aut,quā videbat Iacob,cū & ipse prægrandi ætate captus oculis,in filiis prǫsignata futuri populi genera luminoso corde radiauit: & nepotibus suis ex Joseph diuexas mysticè manus,non sicut pater eorum foris corrigebat,sed sicut ipse intus discernebat, imposuit. *Regina colorum, an calor, lux.*

Ipsa est Lux,vna est:& alia non est:& vnum omnes, qui vident, & amant eam. At ista corporalis,illecebrosa, ac periculosa dulcedine condit vitam seculi cæcis amatoribus. Qui autem & de ipsa laudare te norunt, Deus Creator omnium, absumunt eam in hymno tuo,non absumuntur ab ea in somno suo. Sic esse cupio. Resisto seductionibus oculorum,ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viā tuam:& erigo ad Te inuisibiles oculos, vt Tu euellas de laqueo pedes meos. Tu subinde euellis eos,nam illaqueantur. Tu non cessas euellere:ego autem crebro inhæreo vbique sparsis insidiis,quoniam non dormies,neque dormitabis,qui custodis Israel, AMICTVS LVMINE, SICVT VESTIMENTO.

# EXERCITATIO II.
## DE CALIGINE MYSTICA.

### PRIMA DISQVISITIO. Quid Caligo propriè?

R. CALIGO est obscuritas proueniens ex nebulis,nubibus,aut puluere, radios luminosi corporis detinentib. aut luminis diffusio-

nem impedientibus. Quibusdam vmbra dicitur de spissitudine aeris effecta, quod aeris calore gignatur. Excitatur sæpe ex concitato hominum vel equorum cursu nebula, aut nimbus, quem Poeta nubem vocat. hinc caligo.

Æneid. 9. Hic subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri, & tenebras insurgere campis
Quis globus ô ciues caligine voluitur atta?

Cicero 1. Tusculan. Vt penetret, & diuidat omne cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur, quod & humidum, & caliginosum est, propter exhalationes terræ. Sic aer frequenter dicitur caliginosus, obscurus, tenebricosus. In oculis, caligo, est defectus claritatis: & caligare idem est, quod cæcutire.

Obscurum quoque est, quod caret lumine, si non omni, saltem multum illustrante: ponitur que pro tenebricoso, cæco, inuoluto, latente: cuius antitheton, apertum, prælucidum, illustre, clarum. Hinc obscura oratio, tenebris ac difficultatibus inuoluta. Nebula obscurat & quodlibet inuolucrum, quod rem abscondit, & subducit ab oculis.

Obscuritatem summam creant Tenebræ, apud Mysticos vsitatum est singulare, TENEBRA: eo significatur plenus defectus luminis: priuationem lucis dicunt Philosophi.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quid caligo symbolicè?

RESP. Multiplex est significatio CALIGINIS in Theologia symbolica. Quicquid enim, siue, tanquam causa obscuritatem inducit: siue tãquam effectus à luminis defectu prouenit: ipsaque luminis tum proprij, tum metaphorici orbitas CALIGO appellatur.

Isa. 59. Caligo nubis in qua erat Deus Exodi 14. designat symbolicè
Iob. 38. obscuritatem legis. Caliginosus locus, litteram legis non intellectam
Gen. 15. à Iudæis. Caligo, qua inuoluitur mare, obscuritatem præceptorum legis sub allegoriis. Caligo sub pedibus Dei, profunditatem scripturarum in sanctis, vel in Christo. Caligo tenebrosa facta super Abraham in occasu solis, iudicij diem, qui dicitur DIES CALIGINIS, propter eius ignorationem, & profunditatem scientiæ abyssalis Dei, & sententiæ diuinæ obscuritatem. Caligantes oculi Isaac & Iacob, defectum fidei & religionis in populo Hebræorum. Caligantes ocu-
Gen. 27. li Heli cæcitatem, ac ignorantiam maiorum Principum maxime Ec-
1. Reg. 3. clesiasticorum: sed præcipue Pontificum, ac scribarum Hebræorum.

Caligo,

Caligo, quam obseruat oculus adulteri Iob. 24. obscuritatem verborum, qua vtuntur hæretici ad decipiendos simplices. Caliginosi montes, tum sacramenta abscondita Ecclesiæ, tum in deteriorē partem, Dæmones caliginosus locus, Mundum tenebrarum, & ignorantiæ vallem. Sexcenta sunt istiusmodi Symbolices cultoribus perspecta. *Isa 13. 2. Pet. 1.*

## TERTIA DISQVISITIO. Quæ sit Caligo Mystica?

R. CALIGO Mystica, nuncupatione Maximi Doctoris nostri est Diuina. de qua ille his verbis disserit. Diuina Caligo est lux, ad quam aditus non patet, in qua Deus habitare dicitur. Quæ quidem nec cerni potest præ excellenti claritate, nec adiri eadem, propter singularem diuini luminis effusionem. In hac versatur omnis, qui dignus habitus est Deum nosse & videre, hoc ipso, quod non cernit, neque cognoscit, vere in eo aspectum, & cognitionem superat, versans, atque hoc ipsum noscens, quod est supra omnia, & quæ sensu percipiuntur, & quæ ratione intelliguntur: dicitque illud Prophetæ: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. Vt etiam diuinus Paulus cognouisse Deum dicitur, cum eum cognouisset omnem intelligentiam, cognitionemque superantem. Ob eam causam & inuestigabiles eius vias dicit, & inscrutabilia eiusdem iudicia: & munera inexplicabilia, & pacem omnem sensum superare, quasi eum, qui omnibus antecelleret, inuenisset, eundemque notitia, quæ mentis captum vinceret cognouisset, quod superet omnia cum Auctor omnium sit. Ex his expeditur *Epist 5.*

## QVARTA DISQVISITIO. An & Quomodo Caligo idem sit apud Mysticos, quod lux?

R. Cum Areopagita in recto prædicet Lucem de Caligine consequitur illam à Luce non distingui. Quamuis autem lux in genere qualitatis plurimum differat à caligine, ac proinde distinguantur significatione naturali: tamen significatione mystica omnino conueniunt propter eiusdem generis effectum. Lucis namque exuberantis est rem illa tectam abscondere & oculis in eam apertis intendentibus obscuritatem creare, imo & excæcare: idem autem facit Caligo, sub qua latet, quicquid illi inuoluitur, & visionem claram minimeque impeditam cohibet. Itaque, quemadmodum lux, sic & CALIGO mystica.

ſtica obſcuritatem cognitionis Dei, aut potius ignorantiam noſtram in Deo autem incomprehenſibilitatem ſignificat.

## QVINTA DISQVISITIO. An hæc Myſticorum conceptio nitatur ſcripturæ diuinæ loquendi formulis.

RESPONDEO: Adfirmate. Quid clarius illo Pſalmi 17.10? *Inclinauit cælos & deſcendit, &* CALIGO *ſub pedibus eius.* Agitur hic de Maieſtate Dei, quæ exhibetur, inclinatione cælorum, in quibus Deus tanquam in ſede reſidet: & Caligine, cui pedes tanquam ſcabello innituntur, ita tamen, vt & Maieſtas tota ea obuoluatur, quo fit vt clare videri non poſſit. Verum Inclinationem cælorum Græci, Latinique Patres Pſalmi illius Interpretes, & Chryſoſtomus, ac Cyrillus Ieroſolymit. & Ambr. de Incarnatione, ſeu exinanitione Diuinitatis exponunt. Caliginem autem pro velo carnis Chriſti ſumit Chryſoſtomus, tanquam inuolucro Diuinitatis. Quo pacto, Caligo ſub pedibus, eſt Deus in carne, tanquam ſol innube vt Bernardus loquitur. Sed magis myſtice, Caligo hic denotat vel obſcuram intelligentiam Diuinitatis ac conſiliorum Dei: vel eius incomprehenſibilem naturam, ob quam lucem habitare dicitur inacceſſibilem. Quod de Deo ſecundum ſe exponit Gregorius & Hierony.

*Chryſoſt. Orat. 4. de Aſc. Cyril. Catech. 12. Ambro. Apol. David. 12. Serm. 20. in Cant. Greg. lib. 27 mor. c. 13 vel 15. Hier. in ca. 29. Iſa.*

---

# EXERCITATIO III.

## *NVBES, NEBVLA, FVMVS Myſtice.*

IDEM his in Theologia Myſtica indicatur, quod Luce & Caligine: Dei obſcura cognitio, aut Incomprehenſibilitas.

Pſalmo 96.2. inducitur Deus, tanquam nube obuolutus: *Nubes & Caligo in circuitu eius.* Græce eſt, γνόφος, Hebraice ערפל hharaphel, quæ voces Caliginem, aut nubem caliginoſam ſignificant, in qua Deus tanquam habitaculo, ac poſt cortinam latitet aſpectibus noſtris inuiſibilis. Quod ſi videatur, ſic fere ſe videndum præbet, vt obſeruat Chryſoſtomus, vt cum legem dedit Exodi 19. tunc enim *cæperunt audiri tonitrua ac micare fulgura & nubes denſiſſima operire montem:* &

*Hom. 57. in Matth. Ex. 19 16.*

cum

cum responsa in propitiatorio reddidit, siue super oraculum Leuit. 16. 2. *In* Nube *apparebo super oraculum*.

Mystice per Nubem caliginosam in Dei circuitu designari existimant Euthymius, Nicephorus, Chrysostomus carnem adsumptam, quæ Diuinitatem occultabat. Magis ad rem nostram Basilius ac Theodoretus, & ex iunioribus Titelmannus Inuisibilem esse Dei naturam, alludendo ad apparitionem factam in monte Sina. D. Hieronymus, obscuritatem mysteriorum. S. Augustinus, Cassiodorus, Hanno, Hugo, Aiguanus Absconsionem Dei. Idem indicant alij, qui quamuis diuersa significari velint, tamen non nisi quatenus obscuritatem inuoluunt illa denotari putant. *S. Hier. Ezech. c. 40.*

Sic per ea symbola Apostolos & Prophetas indicari dicit Remigius, quatenus, quæ isti occulte, quasi quadam caligine tecta prædixerunt, illi clarius expresserunt. Vel vt Bruno Carthusianus habet, quia Apostoli caligine pleni fuerunt arcanæ, obscuræque scientiæ. Simili ratione Commentarius Hieronymianus per caliginem intelligit, mysticos arcanorumque sensuum sermones, quos ad Apostolos, nubes suas, Christus habuit. quemadmodum solus Moses ingressus est in montem Sina in caligine Exodi 19. 9. Veniam ad te in caligine nubis. *Matth. 13. 11.*

Simili schemate fingitur Nubes tanquam Dei thronus, sella, lectica, carpentum omni ex parte conclusum: imo tanquam iumentum velocissimum cui inequitet, *Ecce Dominus ascendet super* Nubem *leuem* Isaiæ 19. 1. Quod alia translatio habet *Ecce Dominus sedet in nube leui*, nempe vt in conclaui obscurissimo, aut quadriga vndique obducta. Ex originali lege possis *Ecce Dominus equitabit super Nubem leuem.* Quid hic per Nubem leuem designatur? Inuolucrum Maiestatis ob nimiam splendoris coruscationem inaccessibilis. Quare qui hoc dictum ad Christi tempora referunt, aut significare dicunt, Humanitatem, Deitatis velamen: aut verbum Euangelicum, in quo sensus absconditus: aut Deiparam, in qua carne virginali leuissima, & nullo semine humano prægrauata deuruit, ac velut in lectica portatus est in Ægyptum huius mundi Dei Filius. Qui historice Ægyptum accipiunt, per Nubem significare possunt occultum eius in illam regionē ingressum, venit enim omnino ignotus, latens in Assyriis vel Babylonis tanquam iustitiæ exequutoribus, vere Deus absconditus. Eodem symbolo velum obscuritatis quo diuina velantur Orpheus celebrat lib. de *Verbo* sacro, vbi de Deo *Ambro. Exhor. ad virg.*

*—— cernere quis sit*
*Nequaquam valeo: nam Nubibus insidet altis,*

Ec Ec

Et lib. quem ſcripſit ad filium ſuum Muſæum:

*Hunc ego non video Nubes quia denſa reſiſtit.*

*Nebula.* Hanc eandem ſignificationem habet NEBVLA, quæ æque Deum inuoluere concipitur. Ædificato templo Salomonis, in eius *3. Reg. 8 10.* dedicatione, egreſſis de ſanctuario ſacerdotibus: *Nebula impleuit Domum Domini: & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter* Nebulam; *impleuerat enim* gloria *Domini domum Domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit vt habitaret in Nebula* Moſi Leuitici 16. Nimirũ ſuæ præſentiæ inaſpectabilis ſignũ daturũ ſe in Nebula, aut Nube tabernaculo incũbente, Deique Maieſtatẽ velante. Ob quam cauſam dicitur Gloria Domini, quia & illam quodammodo obuolutam habet, & incomprehenſibilis præſentiæ gratiã hoc caliginoſo velo Deus conteſtatur: vti factum tum in tabernaculo tum in templo. Quare Machabæorum liber Deum præbuiſſe ſe videndum Salomoni, ſicut & Moſi ſcribit. *Apparebit Maieſtas Domini, & Nubes erit. Sicut & Moſi manifeſtabatur, & ſicut cum Salomon petiit, vt locus ſanctificaretur magno Deo.* II. Machabæor II. Itaque manifeſtat hominibus faciem ſuam Deus, quum illam nube nebulaue tectam iis contemplandam offert.

*Theodoretus legit Dixit, vt habitaret in caligine*

*lib. 2. Machab. II. 8.*

Qualis autem Nebula tanquam immenſi luminis inuolucrum concipiendum ſit videtur docere voluiſſe Ioſephus, exponens cuiusmodi fuerit Nubes, quæ Salomonis templum impleuit. *Poſtquam* inquit, *ſacerdotes ſanctuarium exiuerunt repente globulus* NEBVLÆ, *non aſper, nec qualis hiberno tempore, grauidus pluuia condenſatur, ſed diffuſus, ac temperatus in templum influxuit: & primo ſacerdotum viſum, vt vix ſe inuicem cernerent, obſcurauit: deinde in omnibus eam cogitationem excitauit, quod* DEVS *in templum deſcendens præſens ac libens hoc domicilium ſibi optaret.*

Verum ſiue Nubes illa fuerit denſior & caliginoſa, vt indicat Ioſephus, ſiue lucida, qualis in transfiguratione Domini: quæ cum luce ſua perſtringeret humanos oculos, non minus, quam ſi tenebroſa eſſet, vocari potuit Nebula & Caligo, vt habetur 2. Paralipomen. v. 14. vbi dicitur Domus Dei impleta nube, nec potuiſſe Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter caliginem, quia compleuerat gloria Domini domum Domini; vtroque modo concipi poteſt à Myſtico: nam tam vnoquam altero apta eſt Nebula, vt obſcuriſſimæ quam de Deo lucidiſſimo habere poteſt cognitionis ſit ſymbolum: ſiue eam nebulam, ſiue nubem voces. Nam nebula proprie eſt Vapor è terra & aquis ſurgens, qui vel ſtatim euaneſcit, vel in altum ſublatus in nubem conuertitur. Et nebula diminutiue nubem paruulam notat: vel nubeculam.

Hoc

Hoc certum est: Nebulam obscuritatem dicere;sic Nebula in quam ingressus est Moses occulta diuinæ potētiæ & sapientiæ multis denotat. Nebulam expandit Deus super solium suum, quando vt commentatur Gregorius,gloriam suam,sicut est hominibus abscondit: aut velamentum sacramentis mysteriisque cælestibus conficit. Nebula matutina, Amos 4.est cognitio Dei obscura, quæ in hac vita habetur,vt Hieronymus declarat:aut ignorantia præcedens cognitionem, quam Deus infundit post cognitam inscitiam. Nebulosa filia Sion,quid aliud,quam obscurata Synagoga solem iustitiæ & ignorans,& non recipiens.

*Exod.24. Iob.26. Greg.16. Mor.18. Psal.147. Iob.38. Mich.4.*

Eiusdem in Theologia Mystica,significationis est FVMVS,conuenit siquidem cum nube,ac Nebula,quod sit vapor obscurus & densus,sed ex humore lignorum virtute ignis comburentis exhalans, à colore furuo, vt autumant Grammatici,sic dictus. *Fumus.*

Insignis est locus Isaiæ 6.3. vbi vidit Propheta templi postes,ac limina graui motu concussa, & domum totam fumo circumfusam. *Commota sunt*,inquit sacer contextus,*super liminaria cardinum,& domus repleta est fumo.* Quod quamuis aliqui, qui Auctores eius sententiæ laudant SS. Hieronymum,Cyrillum, Thomam referant ad vastitatem Ierusalem, quam portendi volunt ea imagine: quasi succederet antiquæ gloriæ & splendori caligo,& fumus à Chaldæorum nimirum ac Romanorum incendio. Arridet tamen magis,quod probauit S. Hieronymus super ca.4.Isa.ad illud,*Fumum & splendorem ignis:* per *Fumum* intelligi velatam Dei gloriam. Quod omnino verum putat S.Ioannes Chrysost.ad illum vers.Hebræor.12.*Non accessistis ad tractabilem, & accensum ignem,& turbinem,& caliginem*:vbi multis docet Dei Maiestatem olim in fumo ac nebula fuisse absconditam. Sensum hunc confirmat ex recentioribus Caspar Sanctius,qui probat hæc non ad templi vastitatem Iudæorumq; interitum spectare, sed iis symbolis, diuinam Maiestatem, qualis olim obiici solebat hominibus esse demonstratam, ad quam etiam spectant prolixę vestimentorum laciniæ, quibus non minus magnifice, quam nebularum, aut nubium stragulis,infinitus diuini vultus splendor inuoluitur.

Similem Isaiæ visionem habuit Ezechiel cap.10. *Eleuata est*,inquit, *gloria Domini desuper Cherub ad limē domus,& repleta est domus* Nube *& atriū repletū est splendore gloriæ Domini.* vbi non pauca ad rē adducit Hieronymus Pradus. Sed illud de fumo ad Dei Maiestatē gloriamq; singularē relato est præclarum Leuit.16 *Assumpto thuribulo*(sacerdos)*quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu cōpositū thymiama in incensum vltra velum intrabit in sancta,vt positis super ignem aromatibus* Nebula eo-

*rum,& vapor operiat oraculum:* tanquam velamen gloriæ Domini.

Mystice Fumus implens domum Domini obscuram denotat Dei notitiam, qui ab ipso procedit, vt fumus ab igne: & infinitam Dei intelligibilitatem vt ignem in fumo absconditam. Symbolice: errorem & ignorantiam Iudæorum qua impleta fuit Synagoga, vt Hieronymus quoque interpretatur. Huc spectat illud Apocalyp. 15. 8. *Impletum est templum Fumo à Maiestate Dei, & de virtute eius: & nemo poterat*
*Apocal. 8.* *introire in templum.* Alibi vidit Ioannes ascendere fumum incensorum de Orationibus sanctorum.

---

# EXERCITATIO IV.

## *TENEBRÆ MYSTICÆ.*

MIrum sane apud Mysticos LVCEM TENEBRAS esse, & quidem de..ssissimas. Vbi nō sibi metuunt homines religiosissimi, ne in i-
*Isa. 5. 20.* psos detonet Propheta: *Va qui dicitis malū bonum: & bonum malū, ponentes Tenebras lucē, & lucē Tenebras.* Nihil hic periculi. Arguit Propheta illos iniquitatis Iudices, qui aut innocentes damnāt aut sontes absoluunt. Qui idcirco bono mali, & malo boni nomen imponunt. Prauos item Magistros, qui rudes decipiunt, dum lucis nomen obtendentes, tenebris errorum illos inuoluūt: veri tenebriones. Mystici, quod à No-
*1. Tim. 6. 16* menclatore cælesti didicerunt enunciant. Nam qui dixit Deum habitare lucem inaccessibilem, vt videri non possit, idem pronuncia-
*Ps. 17. 12.* uit, Deum posuisse Tenebras latibulum suum. Itaque idem inuolucrum sunt lux & Tenebræ: an non idem sunt inter se quæ idem sunt cum tertio?

Quid per Tenebras intelligat Psaltes explicat Chaldæus, qui paraphrastice vertit: Collocauit Maiestatem suam in caligine שכינתה *schechinteth.* Vbi ipsam Maiestatem Dei, Ens illud maxime intelli-
*Isa. 45. 15.* gibile, sed non minus incomprehensibile, ac ineffabile videtur nomi-
*Act. 17. 23.* nare Tenebras: quia vere est DEVS ABSCONDITVS in tenebris my-
*Apud Iustinum in Paranesi.* sticis: tam mortalibus notus, vt ei à gente qualibet locari possit Ara addito lemmate IGNOTO DEO tam clare videri solitus ab hominibus, vt iure merito nō vnus Aemon, cognominare eū possit τὰ [illegible].

SED quid TV Tenebras Deum facis, de quo veridicus Doctor
*1. Ioan. 1. 5.* per antithesim: *Deus lux est, & Tenebræ in eo nō sunt vllæ.* Si omnes à se abigit tenebras: si nullas omnino admittit: si pura puta lux est, quomodo & *Tenebræ*? vtrumque verissimum. In eo nullæ sunt Tenebræ sym-

ſymbolice: totus latet in Tenebris, imo ipſe eſt Tenebra myſtice. Explico. Tenebræ in ſymbolica notæ ſunt imperfectionis, turpitudinis in moribus: falſitatis in doctrina: erroris in intellectu, mutabilitatis in voluntate. Horum nihil eſt in Deo, omnis imperfectionis experte, tam procul ab errore, quam longe à mendacio: omnis mutationis incapace.

*Apud quem nulla eſt tranſmutatio, vel viciſſitudinis obumbratio* Iacob. 1. 17. οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα: ideoque merito audit Πατὴρ τῶν φώτων, *Pater luminũ, fons lucis, ſplendoris ſcaturigo*: vt primum ens, ſic prima lux: Primus purusq; Actus in quo nulla potentialitas, nulla mutabilitas, neq; in ſubſtantia neq; in operationib. nam quicquid in Deo, eſt inuariabilis ſubſtantia. Vt peccare non poteſt, ita nec errare poteſt, extra omnem defectibilitatis aleam. Quæ vt creaturæ omni, ſic homini innata eſt, quia ex nihilo ducens originem ad nihilũ iterũ tendit, ideoq; luci participatæ tenebras permixtas habet. Hæc ſors omniũ infra Deum rerum, non tam conſiſtẽtium, quam fluctuantiũ. Sunt n. omnes in perpetua mutatione, quia limitatæ, finitę, imperfectæ. Optime Theologorum Princeps: *Res, quæ actus quidem ſunt, ſed non purus, lucent tantum, non etiam* LVX *ſunt. Diuina autem eſſentia, quum actus purus ſit*, LVX *eſt. Vnde de hominum ſanctiſſimo dicitur tamen*: Non erat ille lux. *De Dei autem Verbo* Erat lux vera omnem hominẽ illuminans. *S.Thom. in 1. ad Tim. 6.* *Ioan. 1. 8 9.*

Quod de Philoſophis profanis pronunciat Paulus tenebris obſcuratum habuiſſe intellectum, ſano ſenſu omnibus intellectualibus conuenit, quamdiu gloriæ lumine non illuſtrantur. Quid quod in Angelis ſuis prima lux reperiat prauitatem, nempe in lucidiſſimis illis ſpiritibus aliquam obſcuritatem, & quibus inquinantur, ſordes. quanto magis in nobis qui ex luto coagulati, vaſa ſumus teſtea? *Eph. 4. 17.*

Ita fere Hieronymus exponit, in Deo non eſſe tenebras. Deus, inquit, *Lux appellatur, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Quando dicit nullas tenebras in Dei lumine reperiri; oſtendit omnia aliorum lumina aliqua ſorde maculari. Deniq; & Apoſtoli appellantur*, lux mundi. *Sed non eſt ſcriptum quod in Apoſtolorũ luce nullæ ſint tenebræ. Et de Ioãne ſcribitur: Hic venit in teſtimoniũ, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat* lux *vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde & de eo ſcriptum eſt : Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem. Et certe legimus immortales Angelos, immortales Thronos, & Dominationes, ceteraſque virtutes, & ſolus Deus eſt immortalis quia non eſt per gratiam, vt cetera, ſed per naturam. Quam ob cauſam idem Apoſtolus dicit*, DEVM *ſolum eſſe ſapientem, cum & Salomon & multi ſancti ſapientes vocentur, & dicatur iuxta Hebraicum ad Principem Tyri ſapientior Daniele es tu? Quomodo ergo ſolus* LVX, *ſolus immor-* *lib 11. contra Pelag. cap. 3.* *Matth. 5.* *Ioan. 1.*

*mortalis, & solus sapiens appellatur, cum multi immortales & luces, & sapientes sint. Sic perfectio hominis non ex natura sed ex gratia veniens, imperfectos eos, qui perfecti videntur esse, demonstrat.*

An fortasse in Deo tenebræ non sunt vllæ: quia ipsius cognitio est infinite lucida, nullam in se habens obscuritatem, qua substantiam suam infinite visibilem perfectissime comprehendit? Quælibet autem intellectus creati notitia, quia est potentiæ limitatæ, quæ non est capax luminis infiniti, tenebrarum aliquid continet, & idcirco Deum comprehendere non potest.

In Deo tenebræ non sunt vllæ, quamuis posuerit tenebras latibulum suum. non idcirco tamen tenebris obfuscatur. Quemadmodum nec obducto nubibus Cælo, Sol vllas in se admittit tenebras. Nobis ingens ille lux sunt tenebræ ob mentis nostræ impuritatem vinctæ corpori, eiusque angustias non capaces tanti luminis, vt contra Celsum lib. 6. disserit Origenes docens multo exactius litteras sacras Christianorum, quam profanas Platonicorum de occulta Dei notitia lectores erudire.

Psalmo decimoseptimo, inquit, dicitur: Deus posuisse tenebras latibulum suum, vt plane significetur obscura multis & incognita esse quæ de Deo nobis innotuerunt, vt quæ Deus ipse in tenebris occulat: & omnibus istis, præcipue qui minime tulerint suæ scientiæ radios, nec queunt se intueri, partim mentis gratia inquinatæ, qua humilitatis sit corpore hoc, & humano obducta, partim ob eius angustiorem in Dei notione virtutem.

Vt autem pateat rarenter ad homines peruenisse Dei cognitionem, & in paucis admodum hanc inueniri: Moses traditur vbi Deus esset caliginem subiisse, deque Mose rursum sic scribitur: Appropinquabit Moses solus ad Dominum, ceteri autem non appropinquent. Quin etiam Propheta vt diuinarum sententiarum ostendat profunditatem ab his minime posse comprehendi, qui spiritu careat vniuersa scrutante, vel Dei profunda, Abyssus, inquit, sicut vestimentum amictus eius.
Ps. 104. 6.

Ad eandem incomprehensibilitatem significandam memorat Isaias Seraphim operuisse pedes Dei vt Origenes exponit (alii volũt, suosmet) & faciem. Mystice igitur Deus ipse, qua incomprehensibilis Tenebris recte significatur, cum nullam sic imperfectionem, sed perfectionem longe maximam dicant; denotentque obscurissimam de eo à mortalibus haberi cognitionem. Quod Deus significauit caligine, in qua Moses legem accepit, vt notat S. Cyrillus lib. 11. in Ioan. & Paulus vocans visionem omnem nostram specularem, & ænigmaticam.

ticam. Hieronymus autem & illud adducit Isaiæ 29. 19. *De* Tenebris *&* Caligine *oculi cæcorum videbunt.* Tum istud Danielis secundo: *Qui reuelat profunda & abscondita, & nouit in* Tenebris *constituta, &* lux *cum eo est.* *Daniel. II. 22.29.*

Agnoscit easdem Mysticas Tenebras Gregorius li. 5 Moral. ca. 6. exponens illud: *Circumdedit eum* Deus *Tenebris:* ponderatque Sapientis dictum: *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit?* Nazianzenus autem, vt eum citat Euthymius exponit tenebrarum latibulum in quo Deus de crassa tarditate nostra, qua pauci & parum perspiciũt. Corporis vero densa caligo ita se habet vt illa olim inter Hebræos & Deum interiecta nubes. *Sap. 9. 16.* *Euthym. Panopl p. 1. ti. 3 & 4.*

Habet nonnihil de hac re Nazianzenus orat. II. de Theologia: vbi Dei naturam ait animo comprehendere omnino impossibile est, nonmodo ignauis ac languidis, deorsumque vergentib. sed magnis etiam & excelsis viris, Deique amore flagrantibus, ac mortalib. peræque omnibus, quibus ad veri cognitionem CALIGO hæc & carnis crassities TENEBRAS offundit. Et paulo post. Media inter nos ac Deum corporea hæc Caligo interiecta est, non sequus ac Nubes illa olim inter Ægyptios & Hebræos. Ac fortasse per TENEBRAS eas, quas posuit latibulum suum, nihil aliud significatur, quam crassities nostra, per quam pauci, iique parum omnino perspiciunt. *Exod. 13.*

Bene dubitationis particulam illi interpretationi adiungit, cum ceteri fere explanatores, & Mystici sane omnes per Tenebras & Caliginem intelligant quidpiam quod ex parte Dei obscuritatem in cognitione nostra caussat, vt est immensa lux, seu infinitus splendor incomprehensibilitatis. Quamuis Anastasius Sinaita referens hæc ad Christi Ascensionem, scribat Christum ascendisse super Cherubim, volasse per pennas ventorum: id est, Angelorum, posuisseque geminas tenebras latibulum suum, quia Christi duplex natura simul iuncta comprehendi nequit. *In 5. Hexam.*

Dum geminas Tenebras nominari audio in mentem veniunt duæ altissimæ turres tenebræ dictæ, quorundam expositione apud Hebræos celebri. Quod enim est Isaiæ 32. 14. *Tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas vsque in æternum:* in Hebræo habetur, *ophel vabachan* עפל ובחן: quas Hebræi vt ibi scribit S. Hieronymus duas turres in Ierusalem fuisse arbitrantur, excelsas atque firmissimas, quæ his appellantur nominibus: quarum prior OPHEL interpretatur Tenebræ, seu Nubilum, quod vsque ad nubes erigeret caput: Altera, probamentum, seu firmitas, siue, vt Symmachus vertit, inquisitio, eo quod in *Ophel. Bachan.*

in contemplando culmine eius oculi fallerentur. An non duas tales turres ex ipsis tenebris concipere licet,tanquam gemina latibula,alteram naturæ;alteram personalitatis diuinæ:nam in harum contemplatione æque falluntur oculi, cum æque nobis sint incomprehensibiles.

Verum non tam propria nomina turrium, quam appellatiua esse existimauit Hieronymus, vertens, *tenebræ* & *palpatio*: quibus vocculis egregie conditio & qualitas mysticarum tenebrarum exprimitur:sunt enim vere *tenebræ* & *palpatio*: idiotismo Hebraico; id est,tenebræ palpabiles,nempe,densissimæ,vt exponit Theodoretus. Quales olim in Ægypto,tam spissæ, vt palpari possent Exodi 10.inde Ægyptiæ tenebræ prouerbialiter:70.vertunt ψηλαφητὸν σκότος, CALIGINEM PALPABILEM. An hyperbolice tantum vt obscuritas maxima significetur? Ita quidam. An potius quia in tenebrosis locis homines palpabundi incedunt, quasi tenebras ipsas apprehensuri? Sic nonnulli. An etiam quia in densis tenebris iter manu exploramus, quod nequimus oculis vt aliis placet. An denique aer tenebrosus adeo condensatus erat, vt manibus tangi posset, tum radiorum solariũ subtractione, tum vaporum crassissimorum diffusione, vt Lyranus Abulensis, Caietanus commentantur.

Exo.10.21.

Quæ omnia in tenebras mysticas conueniunt, quæ summæ sunt, vt idcirco palpari posse videantur. In iis etiam dum Deum cognoscimus non tam oculis vtimur, quorum pene irritus est ducatur,quam manibus, nempe experientia quadam,dicitur enim Mystica omnis cognitio experimentalis: manuductione etiam creaturarum ad caliginem illam penetramus. quæ maior est in hac vita tum quia Sol iustitiæ,radios,id est,lumen gloriæ, quo videtur in altera vita Deus Deorum nobis subtrahit: quæ est causa priuatiua: tum quia crassissimi vapores ex imo sensualitatis eleuantur, & rationem obnubilant, ac intelligentiam inuoluunt, quæ est positiua causa.

De illa sic Salomon Sapient. 17.5. *Ignis nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Hoc omnibus in hac mortalitatis Ægypto degentibus conuenit:tam spissa enim mentis caligo, & tam densa ignoratio diuinorum intellectum occupat,vt nulla illam lux dissipare soleat.

Putat Oleaster in Ægypto tenebras fuisse similes caliginoso fumo calcariæ fornacis; quod incertum est;exhibet tamen optime, tenebricosum velum diuinitatis, quod in fumo quoque consideratur. Quo etiam faciunt *Cimmeriæ tenebræ* apud profanos nominatissimæ.

mæ. Nisi quod Cimmeriis, vt Cicero est author, ignis adetat, quorum vti lumine poterant, nobis ad diuinitatem comprehendendam, nulla scintilla immittitur. Omnibus ad illud cæcum est pectus: mens Cimmeriis, vt aiunt, tenebris atrior.

Si enim quæ Dei sunt, aut ab eo emanant, capere non possumus, quid de Deo ipso existimandum? Argumentatio est Nouatiani lib. de Trinit. cap. 7. *Si quæ præparauit* Deus inquit ille, *his, qui diligunt illum, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis, aut mens ipsa percepit: qualis, & quantus ille ipse, qui hæc repromittit, ad quæ intelligenda, & mens hominis, & natura defecit?* 1. Cor. 11. 8 Isa. 63. 4.

Atque ita sese habent Tenebræ Mysticæ, de quibus Mysticorum Magister Areopagita epistola ad Caium. T E N E B R Æ, *quæ ei obductæ, ac offusæ sunt, & tectæ sunt omni lumini, & fugiunt omnem scientiam.* Quod subodorati fuerunt, vel ab Hebræis acceperunt, vt pleraque Ægyptii Primum rerum principium appellanres *Tenebras incognitas:* Tenebras super omnem cognitionem: ter istud repetentes, quemadmodum Damascius Platonicus de iis retulit; qua quidem trina repetitione diuinas tres personas innuere voluisse, est credibile: nobisque indicasse, earum singulas tenebrarum velo obtectas omni mentis nostræ aspectui inaccessas esse.

Fabulis hoc obscuritatis, & incomprehensibilitatis diuinæ velum celebrarunt Poetæ, vt pleraque ad Deum spectantia. Apud hos Minerua, quæ Sapientiæ Dea habebatur, fingitur ex Iouis patris sui capite prognata: nempe ad insinuandum, quod fortasse è sacris Hebræorum hauserant, diuinam sapientiam, quæ est verus Dei Filius à diuina Patris æterni mente genitam: Vultus autem illius velo regitur, addita inscriptione vt refert Plutarchus libr. de Iside & Osyride: *Meum peplum nemo adhuc mortalium detexit.*

De eiusdem Mineruæ imaginibus ab Apelle depictis, vt Pausanias referr, constat, vt obscuritatis inuolucrum clarius indicarent, summæ difficultatis obscuritatisque inaccessibilis signis ac symbolis ingeniose inuentis, effictisque exornatas fuisse, quę ad posteros transmissæ fuerunt & etiamnum in variis visuntur statuis. Vidi ego multas galeato capite: in cuius cono eminebat sphynx ænigmatum inuentrix, & arcanorum sensuum. In aliis sunt Gryphes, aquilino capite, atque alis, quibus quam longe humanum obtutum superet, cælestis Sophiæ arcanum exprimitur. Adduntur in aliis Leonis vngues, ad eos qui temere & inconsulto ad lumen inaccessibile properant, discerpendos. Eodem spectat, eiusdem diuæ pectus, quod intortum vipereis crinibus Medusæ simulacrum, vultusque alii terribiles insi-

dent: vt iniecta formidine ad tam metuendæ imaginis ac formæ contemplationem nemo accedere præsumat. Alia eiusdē generis sunt, de quibus egimus in Theologia Ethico-Mystica, obscuritatis extremæ symbola, quæ quam longe mentis creatæ captum, conditionemque excedat diuinæ sophiæ, id est, Dei ipsiusmet incomprehensibilitas scite declaratur.

*Tom. 1. lib. 11. Comm. 8. Exerc. 7.*

Quod ipsum per tenebras facit Theologia Mystica: à quibus non differunt diuersæ quidem denominationis, sed significationis eiusdem, vt satis superque declaratum superius:

NVBES, NEBVLA, NIMBVS, NOX.

Hæc enim omnia vt terram naturaliter, ita mystice intellectum obscurare solent. Inaccessibilis enim Dei claritas, quasi

*Hom.*

νεφέεσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμοῦ, καὶ πόντον. ὀρύρει δ' οὐρανόθεν νύξ
——— nubibus atris
Abscondit terram, & pontum, & nox venit olympo.

*Virg. lib. 1. Æneid.*

*Eripiunt subito* nubes diuinæ obscuritatis, *cælumq; diemq;*
*Nostrorum ex oculis ponto nox incubat atra.*

O quam multis

*lib. 3. Æneid.*

*Inuoluere diem* Nimbi *&* Nox *humida cælum*
*Abstulit!*

Experimur cotidie contemplationi intenti, quod

*Cic. lib. 1. de Diuinat.*

*Tenebræ conduplicentur, marisque* illius immensi, *& nubium* densissimarum *excæcet* intelligentiam humanam *nigror.*

*Psal. 103. 6*

Significanter admodum idem designat vox ABYSSVS. Abyssus *sicut vestimentum amictus eius*, inquit Psaltes. Quod etsi proximo, ac maxime litterali sensu de terra videatur intelligendum, quæ in principio suæ creationis, aquis, aut vaporibus aqueis tanquam vestibus fuit cincta. Hæc enim est Abyssus super cuius faciem fuisse scribuntur tenebræ Genes. 1. Tamen ad Deum optime referri potest. Imo S. Hieronymus in cap. 1. Haggæi, itemque in primum cap. Zachæi, docet, quod quamuis secundum Hebraicam veritatem, intelligatur ea sententia, de terris, quæ ambiuntur Oceano: tamen secundum 70. translationem, qui vertunt τὸ περιβόλαιον αὐτοῦ, genere masculino, & non αὐτῆς genere fæminino compelli nos sentire de Deo id enunciari: eo quod inuestigabilis sit eius sapientia: & ponat Dominus Tenebras latibulum suum. Ex recentioribus Campensis ita effert de Deo exponēs, TV *lates in Abysso tanquā in veste* sed multo ante eandē interpretationē adprobarunt D. Chrysostomus & Euthymius, ac Origenes: qui Deum

*Orig. lib. 6. in Cels.*

Deum cuius iudicia dicuntur Abyſſus multa, velut veſtimento, obtegi ſua incomprehenſibilitate concipiunt.

Sed hæc omnia perfectiſſimo modo continet, vt primis poſtrema reſpondeant, lux, quæ Deo eſt amictus, veſtis, domicilium, latibulum: quid mirum, cum ſit ipſe Deus? eſt autem Deus omnia. Quod pulcherrime expreſſit Contemplantium ritu in Myſtica Theologia apprime verſatus Iacobus Aluarez de Paz. *Aluarez. III. lib. III. contempl. 24.*

O Deus meus tu es lux vera non quidem hæc creata, quæ oculis corporeis cernitur, ſed lux increata, quæ oculis mentis à te illuminatis videtur. Luce hac corporea nihil in corporibus prius (nam prima die facta eſt lux. Nihil mundius, nihil pulchrius, nihil ſubtilius, nihil communius, nihil celerius, nihil efficacius, inuenitur. Hæc omnia ô Creator meus habes lucis propria. Es namque ſimpliciter primus, quia prima cauſa, & origo omnium creaturarum. Es mundiſſimus, in quo nihil omnino imperfectionis reperitur. Cuius ſubſtantia, licet in rebus abjectiſſimis, imo, & in ipſis impiis ſit, nullam tamen ex illis immunditiam contrahis, ſed omnino purus euadis. Es pulcherrimus, & ſi delectabile eſt videre Solē, multo delectabilius eſt TE inacceſſibilem lucem aſpicere. TV ſubtiliſſimus, quia penitus ſimplex: communiſſimus, quia omnibus ades & auxilium præſtas: velociſſimus, quia ſine mora ſuccurris: efficaciſſimus, quia potenter ab omni malo eripis. Lux eſt ſpiritualis intellectus humanus, ſiue angelicus, quia omnia cognoſcibilia manifeſtat: quanto magis Tu eris lux, qui totus es intellectus omnia comprehendens, & vſque ad intima penetrans, & maxima perſpicuitate vniuerſa cognoſcens.

Totus Domine es Lux, abſque vlla admixtione tenebrarum. In rebus creatis aliquid eſt caliginis, quia nonnihil eſt in illis imperfectionis, aut potentialitatis. At in Te nihil obſcurum, quia nihil imperfectum, nihil potentiæ ad aliquid recipiendum reperitur. Tu Pater, es Lux, qui lucem habitas inacceſſibilem. Tu ô Fili es lux, quia eras lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tu ô Spiritus-Sancte es lux, quoniam lumen cordium, & lux beatiſſima quæ reples cordis intima tuorum fidelium. Es ô Domine, vt ſplendidiſſimus Sol, vt ſplendor è Sole prodiens: vt calor fulgidus ex Sole, & ſplendore procedens. Ponis quidem tenebras latibulum tuum: ſed in te tenebræ non ſunt vllæ. Quia hæc Caligo non eſt aliud, quam infinita tua Lux nobis inuiſibilis propter eximiā, & ſupereminentem ſubſtantię claritatem: tum inacceſſibilis, propter immenſam ſplendoris copiam. Totus ergo es lux licet ab oculis caligantibus propter eorum imperfectionem non videaris.

# EXERCITATIO IV.

## CONTEMPLATIO DEI IN CALIGINE Moisis exemplo inducta.

CONTEMPLATORIS MYSTICI personam sustinuisse egregie Mosem, tum sæpe alias, tum maxime in monte in quo legem accepit, & de altissimis mysteriis fuit eruditus, haud est dubium. Et quoniam ibi caliginis est mentio, hinc celebratur apud mysticos eius denominationis Contemplatio. quæ quid sit, & quales exigat conditiones facilius innotescet, si quid Contemplatori Mosi in accessu ad montem, & in colloquio cum Deo contigerit obseruetur. Paucis id declarat scriptura diuina, pluribus explicant DD. Mystici.

Historia habetur in Exodo. In qua obseruo PRIMO Fumum, Nubem, Ignem, Caliginem, quæ ad hoc Contemplationis genus spectant. *Totus mons Sinai fumabat: eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* Et, *Ecce cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulmina, & nubes densissima* (70. νεφέλη γνοφώδης, nubes tenebrosæ) *operire montem.* Dixerat autem Dominus Mosi. *Iamnũc veniam ad te in caligine nubis:* id est, nube caliginoso, per hendyadim Hebræis vsitatam. Sic Ps. 97. *Nubes & caligo in circuitu eius:* hoc est, nubes caliginosa circumdat eum. Iterũ. *Cũctus populus videbat* (audiebat) *voces & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumigantem. Moses autem accessit ad caliginem, in qua erat* DEVS. Exo. 19. 18 Exo. 19. 16 Ibid. 5. 9. Hendyadis Hebraica; duo substantiua pro substantiuo & adiectiuo. Exod. 20. 18. 21.

Secundo: Pensito mysterium Montis, Nubis, Caliginis: quod pertractant non Mysticæ solum amatores nouitij, sed & vetustissimi Patres. Egregie Cyrillus lib. 3. in Ioann. allegorice totam enarrans historiam, postquam cætera exposuit: Descendisse, inquit, non in valles, sed in cacumine montis Deus dicitur: vt intelligas, quamuis ad imbecillitatem mentis nostræ deitatis natura conscendat & seipsam nobis intelligendam quodammodo præbeat, altiorem tamen esse quam nos possimus intelligere. Sublimitas igitur dogmatum per Montem designatur, qui totus ater fumo efficiebatur. Acutæ namq; sunt nimium rationes, quæ de Deo à nobis habentur, & oculos mentis more fumi perturbant. Propterea etiam Paulus in speculo, & Ænigmate videre nos ait: & tenebras in occultationem eius positas esse Psalmista cecinit. Tenebrarum nomine INCOMPREHENSIBILITATEM eius significans, quam per FVMVM hic intelligimus. Oportebat Mons. Dogmatũ sublimitas 1. Cor. 13. 12 Psal 17. 14.

tebat enim Deum qui per legem ad cognitionem, & seruitutem suam Iudaicum populum inuitabat, vt Illuminatorem videri, ac Punitorẽ: quę ambo in igne sunt.

Iisdem symbolis significari, Dei naturam omnem humanam intelligentiam excedere egregie disserit Gregor. Nyssenus de caligine Mystica præclare disputans. Quid inquit significat, quod in Caliginem seipsum prius Moses intromisit, deinde in ea Deum prospexit? Contrarium enim id videtur quodammodo primæ visioni: nam tunc in Luce nunc in CALIGINE DEVM videt. Sed id quoque à serie anagogici sensus abhorrere non putamus.

Per hanc enim diuersitatem historiæ docemur, quod veritatis cognitio illis lux est, à quibus primo percepta est: veritatis enim oppositũ TENEBRA est, cuius depulsio non fit nisi lucis præsentia. Verum mens hominis ad maiora semper & perfectiora procedens, quanto magis ad Dei speculationem accedit: tanto magis perspicit, quod diuina natura Inuisibilis & incomprehensibilis sit.

Nam cum reliquerit non solum omnia, quæ sensu percipiuntur; verum etiã cuncta, quæ mente inspiciũtur, ac semper ad interiora progrediatur, tunc semper CALIGINE vndique circumseptus in inuisibili, & incomprehensibili Deum videt. In hoc enim consistit Dei vera cognitio: in hoc est eius visio, vt videas, quod videri non possit: quod omnem cognitionem cognitio eius excedit, quasi caligine quadam ipsa Incomprehensibilitate contenta vndique.

Quapropter diuinus etiam Ioannes, qui in splendidissimam hãc CALIGINEM peruenerat, non dubitauit exclamare. Deum nunquam vllus vidit: non solum hominibus: sed intellectuali omni creaturæ impossibilem diuinæ substantiæ cognitionem hac negatione determinans. Quare Moses etiam cum virtutibus maior factus fuit: tum confitetur in CALIGINE se Deum vidisse: id est, tunc Deum cognouisse Naturam diuinam illam esse, quæ cognitionem, & comprehensionem omnem excedit. Intrauit enim Moses, inquit Historia sacra, in CALIGINEM, in qua erat Deus. Quis-nam Deus? Qui posuit TENEBRAS occultationem suam, vt cecinit Dauid ille, qui etiam in eadem caligine initiatus fuit. Quam, qui intrauit, quæ per caliginem didicit profert: vt fiat firmior hæc sententia nobis diuina voce atque auctoritate comprobata.

Ita CALIGINEM Mysticam Nyssenus exponit, nec aliter Disciplinæ Mysticæ iuniores Magistri, qui Contemplationem in Caligine, Mosis ad montem fumantem accessu, & in eo commoratione significatam consentiunt. Omnium ore loquatur Richelius Carthusianus,

fianus, qui Commentario in Exodum ita disputat. CALIGO, in quam ingreditur Moses est æternæ, increatæ, infinitæque LVCIS diuinæ, superexcellens, incomprehensibilis, & superclarissima plenitudo abyssalis, interminabilis, atque supersimplicissima magnitudo, in qua Deus esse, & habitare censetur: qui ponit TENEBRAS, id est, infinitam hanc Lucem, omnem creatarum mentium capacitatem infinite transcendentem, ac superantem latibulum suum. Et ipsæ diuinæ TENEBRÆ cooperiuntur, & absconduntur omni visioni ac lumini ob incircumscriptibilem suam plenitudinem prorsus impenetrabilem, & immensam.

At quinã in tam spissam Caliginem, tam inaccessibilem Lucem admittũtur? Hoc TERTIO ex Mosis historia eruunt Contemplationis sacræ Doctores: Inter quos Nyssenus satis clare: Non permittitur, inquit, omnibus ad Mysteriorum cognitionem se ipsos intrudere: sed eligitur vnus è multis, Diuinarum rerum capax, cui ceteri auditum cum obedientia præbeant, illud sibi credendum, faciendumq; putantes, quod ab eo, qui initiatus est audiuerint. Non omnes ait, Apostoli sunt: sed Prophetæ omnes. Quod hodie in multis Ecclesiis parum seruatur. Nam multi, cum adhuc prioris vitæ maculam non absterserint, ipsi illoti, ac amictu vitæ sordido vtentes, irrationalem sensum in omnibus pluris facientes diuinum assensum rapere audent, vnde ipsi suis cogitationibus, quasi lapidibus obruuntur. Nam hæreticorum opiniones lapides quidam sunt, quibus prauorum inuentores dogmatum obrui solent. 1. Cor. 12. 29

At Papa Gregorius illos ad Caliginis Contemplationem idoneos esse insinuat, qui fuerint, velut Moses, & ad spiritalem sensum assueti. In quibusdam, inquit, sacræ-scripturæ locis simul historia tenenda est, & allegoria: vt & tardiores pascantur per historiam, & velociores ingenio per allegoriam. Vnde cum loquente Domino populus lampades, & sonitum buccinæ, & montem fumigantem cerneret, perterritus petiit, vt eis per Mosen Dominus loqueretur: scriptumque est: Stetit populus de longe; Moses autem accessit ad CALIGINEM in qua erat Deus. Turba quippe populi allegoriarum Caliginem non potest penetrare, quia valde paucorum est spiritualem intellectum rimari. Quia enim mentes carnalium sola sæpe historia pascuntur, loquente Deo, stetit populus de longe. Quia vero spirituales, quique Caliginem allegoriarum penetrant, vt spiritualiter Dei verba cognoscãt, Moses accessit ad Caliginem in qua erat Deus.

Fusius aliquantulum idem exequitur Gregorius Nazianzenus, docens, quanta puritate, & adfectuum moderatione sit oportet, qui

mystico ascensu Montem hunc Contemplationis conscendere desideret. Ingrediens enim disputationem vere Theologicam de Dei ineffabilis, & incomprehensibilis notitia, hunc in modum orditur. Mihi in Montem alacriter ascendenti, aut, vt verius dicam, ascendere cogitanti magnamque in eo contentionem adhibenti, vt Nubem ingrediar, & cum Deo colloquar, hoc enim Deus ipsi iubet, si quis adest Aaron se mihi comitem adiungat, atque prope consistat. Et si illic oportuerit extra Nubem manere loco sibi adsignato contentus sit. Siquis autem adest Nadad, vel Abiu, vel aliquis è numero seniorum, ascendat quidem, procul tamen stet secundum expiationis, ac puritatis rationem. Sin autē vnus è multis & indignis, altissimarum rerum cognitione imputus omnino fuerit, ne accedat quidem: est enim periculosum. Si vero temporaria specie religionis expiatus accesserit, omnino in Montis radicibus hæreat, & voces tantum, atque tubam audiat: hoc est, nuda, ac simplicia verba ad rudem pietatis institutionem pertinentia, & Montem fumantem, ac fulgurantem conspiciat: vt scilicet, minis, & rerum admiratione commoti in officiò maneant, qui ascendere nequeunt.

Greg. Naz. orat. 11. de Theol.

Qui vero fuerit Bestia immanis & fera ad disciplinam Contemplationis, & THEOLOGIÆ (præsertim MYSTICÆ) prorsus inutilis est: itaque impediendum, ne se subdole, & malitiose in siluam abdat, vt cum decreti, aut sermonis occasionem arripuerit, repente impetum faciat, & insultibus salubres sermones dilaniet: sed longe maneat, proculque à monte secedat: aliter enim lapidibus obruetur, aut contrucidabitur. Veri namque & firmi sermones sunt lapides ijs, qui feris moribus imbuti sunt.

Siue igitur Panthera fuerit cum multiplici varietate macularum, morietur: siue LEO rapiens & rugiens, & quærens quam animam, siue sermonem in cibum rapiat: siue sus speciosas, splendentesque veritatis margaritas conculcans: siue lupus Arabicus, & alienigena: siue alia quæuis fera ad fallacias tendendas acutior: siue illa sit vulpes, hoc est, anima dolis instructa, & sine fide; alias in aliam formam pro temporis, & necessitatis ratione commutata, vescens mortuis corporibus tetrum odorem afflantibus, breuesque vites carpens, altiores non attingens: siue denique aliud quoduis animal crudis carnibus pasci solitum, & à lege damnatum comedentes inquinans, ab omnibus istis vult diuini Verbi ratio seiungi, vt sic tandem valeat firmis & lapideis tabulis inscribi. Et hoc tum à fronte tum etiam à tergo propter apparentem legis speciem, & propter sensus intus occultatos: quorum alterum multitudini in infimo loco permanenti cogni-

gnitum:alterum vero paucis ad Montis fastigium succedentibus exploratum.

Quid interim mihi accidit ô Amici sanctissimis sacris initiati, mecumque diuinorum studiorum societate coniuncti? Cucurri vt Deum comprehenderem & sic in Montem ascendi, Nubemque ingressus, eam à materia, & rebus materia cohærentibus dissecui; & ad me ipsum quantum potui conuersus, postquam aspexi vix vidi posteriora Dei, & hoc Petræ, id est, Verbi propter nos incarnati præsidio tectus: & paullo diutius animaduertens non quidem illam primam & simplicem naturam sibi ipsi tantum cognitam, quanta manet intra primum velum à Cherubim velata: sed illam vltimam Diuinitatis significationem ad nos vsque permanantem, quæ quidem, quantum intelligere possum, & illa maiestas in creaturis, & in rerum conditione, & moderatione diuinitus elucens, quam diuinus Dauid appellat Magnificentiam. Posteriora enim Dei sunt omnes intelligentiæ de Deo ex aliis rebus à Deo conditis informatæ, quasi quædam vmbræ solis & imagines in aquis solis speciem infirmis oculis referẽtes. Nec enim fieri potest vt sensus imbecillitas sustineat tam puræ lucis splendorem.

---

# EXERCITATIO V.

## *CONTEMPLATIONIS IN CALIGINE proprietates Mysticorum sensu.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quid sit ingredi in Caliginem Mysticam?

RESPONDET Dionysius Carthusianus in Exodum art. 42. Cum Caligo Mystica sit æternæ, increatæ, infinitęque Lucis diuinæ superexcellens, incomprehensibilis, & superclarissima plenitudo abyssalis, quam Deus inhabitare dicitur: si quando mens æstuantissimo caritatis ardore succensa Deo ita coniungitur per Contemplationem theoricam, & sapientiam luminosam flammigeram, vnitiuam, dicitur INTROIRE CALIGINEM, instarque Mosis ab omnibus separari.

Vnitur enim Deo, tanquam prorsus incomprehensibili, & quo ad quid est, mere ignoto. Et tamen hoc ipsum sic intueri, est clarissime

contemplari: speciesque altissima Contemplationis huic vitæ possibilis. Idcirco tunc tota in lucem illam tam infinitam expanditur, increatæ veritati infigitur, super-essentiali Deitati, & super-beatissimæ Trinitati tam radiose, amorose & proxime copulatur, quod aliud nihil aduertit, nec proprium actum attendit: sed defluit à seipsa atque in proprium refluit fontem. Sicque in diuitias Gloriæ rapitur, in amoris increati, immensi igne comburitur: in Deitatis abyssum profundatur, & absorbetur, vt videatur quodammodo esse creatū exuere: & increatum idealeque esse induere. Non quod substantia muterur, aut proprium esse tollatur: sed quoniam modus essendi, qualitasque viuendi deificatur: hoc est, Deo, & superbeatissimæ beatitudini eius supernaturaliter & gratiosissime assimilatur: sicq; eminenter impletur illud Apostoli; Qui adhæret Domino vnus spiritus est. Imo, quod in Ioanne loquitur vnitas ipsa & Veritas increata, Vnigenitus Patris; Pater, rogo pro eis, qui credituri sunt in me, vt omnes vnum sint, sicut Tu Pater in me & ego in te, & vt ipsi in nobis vnum sint: Ego in eis & tu in me, vt sint consummati in vnum, vt dilectio, qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis.

Sumitur hæc Contemplationis declaratio ex Areopagita, qui breuius obscuriusque de ingressu in Caliginem Mysticam differit: sed conatur sensum Magistri sui illustrare B. Maximus. Itaq; Nota inquit ille ca. 2. Mysticæ Theologiæ, hoc esse sub Caliginē diuinam ingredi, non videndo, & ignorando, videre, & cognoscere, quod est supra aspectum & cognitionem: videre, inquam, & cognoscere hoc ipso, quod non videmus, neque cognoscimus. Et in epist. 5. ad Dorotheum illam caliginem, in quam ingressus est Moses in monte interpretatur Dionysius mystice esse ignorantiam istam, qua dicit Deum cognosci, ita vt in illa caligine sit, qui habetur dignus, vt vere videat, & cognoscat Deum hoc ipso, quod non videt neque cognoscit: hoc ipsum cognoscens, quod est super omnia intellectilia, & sensilia. Diuina igitur CALIGO ait Dionysius est illud lumen inaccessum in quo habitare Deus dicitur: inuisibile quidem propter exuperantem claritatem: & inaccessum propter nimiam, & supra naturam illuminationem. In hac CALIGINE Mystica, id est, in hac ILLVMINATIONE, interpretatur, vt paulo ante dixi, esse eum, qui non videndo, & ignorando videt vere & cognoscit Deum.

Ad intelligendum, quod dictum est: id est, quomodo Caligo est illuminatio: & ignorantia cognitio: Sume, inquit B. Maximus, exemplum ab oculo corporis. Quod enim efficit absentia luminis, sc. vacationem sensus oculorum: hoc efficit intendere fixe aciem oculorum aduersus solis radios meridie. SECVN-

## SECVNDA DISQVISITIO. An contemplatio in Caligine fiat per viam adfirmationis vel per modum negationis?

RESPONDEO. Contingere per modum negationis: imo in recto esse ipsam contemplationem negantem quam superius fuse descripsimus. Est expresse Dionysii Areopagitæ, qui cum de hac contemplatione agit, monet subtrahendas esse creaturas omnes, vt perueniatur ad incogniti notitiam. Tu, inquit, amice Timothee, relinque vehementi studio & exercitatione contemplandi arcana tum sensus, tum mentis intelligentias, & omnia, quæ sub sensum, & intelligentiam cadunt: ac omnia, quæ non sunt, & quæ sunt: & quantum viribus consequi poteris ad coniunctionem cum eo, qui supra omnem substantiam & intelligentiam est, ignorando adnitere. Tua enim libera, soluta, & pura auocatione à corpore & ab omnibus rebus ad radium suprasubstantialem diuinæ caliginis detractis omnib. & ab omnibus expeditus adduceris. Quæ dum exponit B. Maximus, monet Dionysium per ea, quæ nõ sunt, intelligere sensilia, quæ veteres dicebant non esse, vt quæ omnẽ mutationẽ caperent, ac non semper in eodẽ statu essent. Per ea quæ sunt, designare intellectilia: hęc enim antiqui dicebant esse, quippe, quæ semper essent immortalia voluntate auctoris, & substantiam non mutarent. Laxissime tamen superius, ea quæ sunt, & ea, quæ non sunt, accepimus. Vtraque autem transcendere docet Areopagita, vt per ignorantiam Deum cognoscamus. *Ca. 1 theol Myst.*

Idem autem repetit cap. 2. Theol. Mysticæ sic scribens: In hac Caligine, quæ lumen vincit, vt nos simus, precamur: & vt non videndo, & ignorando, videamus & cognoscamus: & eum, qui est supra quam substantia, supra substantiam laudemus omnibus rebus ab eo separatis: & illam caliginem diuinam, quæ ab omni lumine, quod in rebus est, obtegitur cernamus.

Iterum epistola ad Caium. TENEBRA lumine aufertur à conspectu omnium: & copioso lumine magis aufertur. Cognitiones auferunt ignorantiam: & multæ cognitiones magis etiam auferunt. Hæc superlate, & non priuanter intelligens pronuncia verissime: quod, qui habent quod est lumen, & habent creaturarum cognitionem, latet eos ignoratio Dei, & tenebra eius superposita, & omni lumine obtegitur, & omni cognitioni subducitur. Et si quis DEVM vidit, & cognouit, quod vidit; non vidit Deum, sed aliquid creaturarũ *Habere quod est lumen significat, habere cognitionem veritatis ex creaturis.*

eius,& eorum quæ cognitione percipiuntur. Ipse autem supra mentem,& substantiam constanter manens,hoc ipso,quod neque cognoscitur,nec est,est supra substantiam,& supra mentem cognoscitur. Et illa melior & ignoratio vniuersa cognitio est eius, qui est supra omnia,quæ in cognitionem cadunt. Ex quibus infert B.Maximus: Hanc solam Deum habere veram cognitionem, non cognosci. Ex iisdem conficit Ioannes Cyparissiota Deum esse supra omnem adfirmationem,& negationem:& nos solum ignorando perfecte, & non videndo Deum cognoscere. Sed ex Dionysii verbis oritur

*Cypariss. Decade 11. cap. 10.*

## TERTIA DISQVISITIO. Quomodo intelligi debeat, quod, cum Deum in caligine ignorando cognoscimus, id non *Priuanter*, sed *Superlate* explicandum sit?

RESPONDEO ex interpretatione B. Maximi, quam confirmat Franciscus Turrianus, Commentariolo in Decades Cyparissiotæ. Cum Dionysius,ait, Deum ignorando cognosci, non secundum priuationem:indicat id haud vulgari modo intelligendum:quod,sicut tenebræ lumine soluuntur: & multo lumine maxime soluuntur: aut,sicut ignorantia, quæ est tenebra quædam cognitione tollitur,& multa cognitione maxime tollitur: sic ignorantia de Deo similis fit ignorantiæ per inscitiam (quod est priuatiue accipere ignorantiam) Imo,quo magis quis illuminatur in cognitione Dei,&quo magis cognitionem colligit eorum, quæ sunt:idest, intellectilium,& intelligentium,nempe,Angelorum, & Animarum: eo magis ascendens ad altiorem cognitionem,cognoscet hoc ipsum, nō posse scilicet comprehendi,& ignorari,lumen esse & cognitionem supra omnia cognita. Non igitur secundum priuationem ignorari dicitur Deus sed secundum superlationem cognitionis.

## QVARTA DISQVISITIO. Quid significat,quod qui in Caligine Deum ignorando cognoscunt, eos lateat ignoratio Dei.

RESPONDEO. Quia neque sciunt hoc quod eum ignorent: sic n. cum ignorare,quod sciamus nos ignorare quoddā scire est. Non itaque sic ignoramus, quasi aliquis alius sciat:non enim alio sciente

nos

nos ignoramus,tanquam,qui non didicerimus: quod esset ignorare priuanter:siue,secundum priuationem. Sed ignoramus, quod ab omni creatura ignoratur: & omni creaturæ supra quam ignotum est: quod est,ignorare superlate.

## QVINTA DISQVISITIO. An Contemplari Devm in Caligine, sit videre illum in lucis inaccessibilis speculo?

ITA Gregorius Papa sentit,docens similiter quomodo ad eam contemplationem Mysticus paullatim adsurgat. Quicquid, inquit, de Omnipotente Deo humana mens potest cogitare Deus non est. Sed dum cogitando cuncta transcendit, dum quicquid potest intimæ lucis,quicquid internæ suauitatis,& dulcedinis, quicquid spiritualis delectationis sibi fingere,minus illa esse creditur: ad quandam lucē tamen peruenit,quæ non est Deus,sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc Electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur,cogitare compellitur, quam ineffabilis lux,dulcedo,&delectatio sit,qu[illegible]ipse est: si tam immensa lux est illa,quam inhabitat,& non est ipse. *Greg. lib. 4 in 1. Reg. ad cap. 2.*

AdDominum quippe in Bethel Moses ascenderat,quando cum eo in Monte loquebatur. Sed qui ad lucem peruenerat,quam inhabitat Deus,lucem,quæ ipse Deus erat,quærebat,dicens: Ostende mihi faciem tuam. De quo etiam scriptum est,quia loquebatur Mosi Dominus facie ad faciem. Quid est, quod facie ad faciem Moses cum Domino loquitur,& tamen Dominum obsecrat,vt faciem suam Dominus ostendat? Sed Facies Dei,cognitio eius est. Cognoscitur autem Deus per *speculum*: cognoscitur per seipsum. Per speculum hic:per seipsū in cœlo. Speculū v. est illa lux,quā habitat Deus. Ipse a. lux illa quæ ipse est. Moses a. qui facie ad faciē Deum videre dicitur,& eius faciem ad videndum postulare,quid rectius designat, quam perfectionem Electorum,qui iam speculum illius summæ lucis intuentur: sed tamen ad ipsam Lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Ista quidem cognitio Lucis Electorum desideria satiare non nouit;sed excitare: illa vero & satiare,& excitare. Nam,tam iocunda res est, vt ineffabiliter concupiscatur: & tam plena,vt, qui iam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur. Hæc Gregorius.

Ex cuius disputatione constat, illi notam fuisse speciem Contem-

templationis, terminatæ ad incircumscriptum Dei lumen, quod instar velaminis Deum ipsum tegat: quod est videre Deum in Caligine: ita tamen vt non tam ipse Deus, quam splendidissima quædam Lux, quæ speculum dici possit, in mentis oculos incurrat. Ex eodem expeditur

## SEXTA DISQVISITIO. An Mysticus, contemplans Deum in Caligine, videat Deum Facie ad faciem.

QVID sit videre Deum facie ad faciem diximus in THEOLOGIA-VARIA li. 4. Comment. IIda. quæ est de *Theologia-faciali*. Ex iis, quæ inibi pertractata sunt facile est discernere, an notitiam facialem habeat Mysticus dum contemplatur Deum in Caligine. RESPONDEO *Primo*.

Si videre facie ad faciem significet cernere clare & distinctè, ac intuitiue diuinam Essentiam: hoc non contingere in Caligine. Ita aperte Gregorius verbis paullo ante recitatis. Et consentit Richardus de eodem Contemplationis genere agens Tract. de grad. viol. Carit. Sæpe, inquit, sub hoc statu Dominus descendit de cælis; sæpe visitat sedentem in tenebris, & vmbra mortis: sæpe gloria Domini implet tabernaculum fæderis. Sic tamen præsentiam suam exhibet, vt Faciem suam minime ostendat. Dulcorem suum infundit: sed decorem suum non ostendit. Infundit suauitatem: sed non ostendit claritatem. Suauitas itaque eius sentitur: sed Species non cernitur. Adhuc Nubes & CALIGO in circuitu eius: adhuc thronus eius in columna nubis.

Est lene quidem & blandum admodum, quod sentitur: sed Nubilum omnino, quod cernitur: nondum namque apparet in lumine. Et quamuis appareat in igne: magis tamen in igne accendente quam illuminante. accendit namque affectū, sed nondum illuminat intellectum: desiderium inflammat: sed intellectum non illuminat. In hoc itaque statu anima Dilectum suum sentire potest: sed sicut dictum est, videre non potest. Et si videt quidem, videt quasi in nocte: videt velut sub nube: videt denique per Speculum in Ænigmate: nondum autem Facie ad faciem. Vnde & dicit: Illumina faciem tuam super seruum tuum.

RESPONDEO II. Si videre Facie ad faciem indicet eminentiam quandam Contemplationis: sic dici posse Mysticum in Caligine vi-

ne videre Deum facie ad faciem. Ita aliquando explicat S. Thomas illam dicendi formulam. P. Pte, quæst. 12. art. 11, ad 1. sic scribit. Secundum Dionysium dicitur aliquis in scriptura Deum videre in quantum formatæ sunt, & obiectæ illi aliquæ figuræ vel sensibiles, vel imaginariæ secundum aliquam similitudinem Diuinum aliquod repræsentantes. Quod ergo dicit Iacob: Vidi Deum facie ad faciem, referendum est non ad ipsam Diuinam essentiam: sed ad figuram, in qua repræsentabatur Deus, & hoc ipsum ad quandam Prophetiæ eminentiam pertinet, vt videatur persona Dei loquentis, vel Deus ipse loquens, licet per imaginariam visionem. Vel hoc dicit Iacob, ad designandam quandam EMINENTIAM intelligibilem CONTEMPLATIONIS supra communem statum.

## SEPTIMA DISQVISITIO. Quomodo in Contemplatione Caliginosa, præcipuum sit Nescire. & An illud contingat per Actus interni cessationem.

ITA opinari quis posset inductus verbis Ioannis Rusbrochij inter Mysticos nominatissimi, qui de Contemplatione in Caligine hunc in modum scribit Opusc. de Gradibus Amoris cap. 14. Septimus gradus Amoris est, quando supra omnem cognitionem & scientiam INFINITVM siue ABYSSALE quoddam NESCIRE in nobis sentimus, ac deprehendimus. Quando supra appellationes vel nomina omnia, quæ tum Deo, tum creaturis tribuimus EMORIMVR, atque transcendimus, siue excedimus in æternum quoddam omnis nominis expers, & innominabile, in eodem ipso nos amittentes. Et quando vltra quæuis virtutum exercitia intra nos perenne quoddam ocium conspicimus atque experimur, in quo nulli OPERARI liceat. Et supra cunctos spiritus beatos infinitam ac immensam beatitudinem, in qua nos omnes vnum sumus, & illud ipsum vnum, quatenus creaturæ possibile est quod ipsa beatitas in se ipsa est. Et quãdo deniq; omnes beatos spiritus essentialiter immersos, ac liquefactos sese amisisse cernimus in super-substantiali essentia, in IGNOTA quadam, & MODI-NESCIA CALIGINE.

RESPONDEO. In hoc Contemplationis genere non cessare aut Intellectus actum, ante voluntatis. Constat. Quia Contemplatio essẽtialiter, ac formaliter est operatio partis intellectiuæ: quatenus autem est Mystica dicit essentialem ordinem ad adfectum & operatio-

tionem voluntatis. Quam interuenire Rusbrochius aperte insinuat dum ipsam hanc Contemplationem,refert ad gradum amoris : eo quod Mysticus in ea magis spectet, vt amore inflammetur, quam vt cognitione erudiatur. Quia tamen in Caligine Mystica mens Contemplantis magis patitur, quam agit, secundum Dionysij effatum: hinc Mystici ijs nonnunquam vtuntur loquendi formulis,quæ actionis omnis orbationem insinuare videntur. Sed reuera ijs solum actionis quandam simplicitatem significant. Quod in Rusbrochio nominatim obseruandum. De quo contra Gersonis acerbitatem suo loco.

Idem autem,quod huc facit,in verbis recitatis, dum significat, Spiritus beatos essentialiter immergi, ac liquefieri & sese amittere in supersubstantiali essentia:non est sensus, Contemplatorem spiritualem essentialiter mutari, aut substantiam illius in Diuinitatem conuerti. Cui enim hoc Catholico in mentem veniret?sed hoc intellectu exponendum est, Mysticum Caligine circumseptum, & absorptum altissima Contemplatione,ita aliarum rerum, & sui ipsius esse immemorem,vt non idem videatur,qui fuit antea,mutatus in alium, & vnus cum Deo factus adfectu,& inflammatissimo amore; quo extra se quodammodo rapitur,ac veluti ferrum ignitum ignis putetur, quamuis substantiam suam non amittat. Hinc expeditur

## OCTAVA DISQVISITIO.] An Contemplatione in Caligine Mysticus Deo essentialiter vniatur?

RIderet Scholasticus hoc Quæsitum,si de eo dubitari apud Mysticos intelligeret. Sed nouit ille probe multa quærendi ritu proponi,de quibus nulla apud fideles est vel dubitandi suspicio, vt res ipsa declaretur commodius. Sic initio Scholasticæ,quærit S. Doctor, Vtrum Deus sit? Itaque

Dio. Carthus. Exo. 24. Art. 42. RESPONDEO negatiue. Neque vnquam Rusbrochius,aut alius quispiam è Mysticis contrarium asseruit. Clarissime Carthusianus,omnium sensu: Mens æstuantissimo caritatis ardore succēsa Deo coniungitur,per Contemplationem theoricam & vnitiuam. Vnitur enim Deo tanquam prorsus incomprehensibili. Et increatæ veritati infigitur: superessentiali Deitati: & superbeatissimæ Trinitati, tam radiose,amarose,& proxime copulatur, quod aliud nihil aduertit, nec proprium actum attendit: sed defluit à se ipsa,atque in proprium refluit fontem: amoris immensi igne comburitur: in Deitatis abyssum profundatur, vt videatur quodammodo esse creatum exuere, & increa-

increatum idealeque esse induere. At quomodo? subdit bonus Magister: quod Disquisitione prima etiam retulimus: Non, quod substantia mutetur, aut proprium esse tollatur: sed quoniam modus essendi qualitasque viuendi DEIFICATVR: id est Deo & superbeatissimæ beatitudini eius supernaturaliter & gratiosissime assimilatur.

Itaque Mysticorum sensu, Vnio cum Deo, seu vt cum Rusbrokio, loquuntur alij, Vnitas, quam causat in Caligine Contemplatio, vel potius, Deus ipse, non contingit per substantię mutationem, quasi animæ entitas mutetur, sed per adfectum, quo Dei similitudo quodammodo induitur. Quo pacto, qui adhæret Domino vnus spiritus est ex Apostoli enunciato.

## NONA DISQVISITIO. Quomodo Mysticus in Contemplatione caliginosa videndo non videat: & non videndo, videat.

EST hęc phrasis Mysticorum, quæ ex hactenus dictis facilè habet intellectum. Cum enim in hoc Contemplationis genere Deus obijciatur intellectui, non tanquam aliquid rerum sensilium, aut intellectilium: ideoque, quod nihil sit earum: & quidem circumseptus immensa quadam luce, ad quam oculi mortalium se habēt vt oculi noctuæ ad solem in meridie, quæ simul est caligo densissima & Tenebræ: dum intellectu videt, quod videri non potest, dicitur videndo non videre: & dum intelligendo Tenebras, vt Dei latibulum, eumq; concipiendo, vt quid piam supra omnia, dicitur non videndo, videre: quia sic maxime Dei supra omnia excellentiam, quodammodo oculis subiicit.

Fusius id declarat Iacobus Aluarez Pazius, & addit quædam ad explicandam qualitatem Contemplationis Caliginosæ admodum opportuna. Hæc, inquit, visio non est aliqua consideratio industria hominis à Deo perfectiones creatas subtrahentis elaborata: sed inspectio quædam simplex, & veluti improuisa, ac subita, intellectui Contemplantis immissa. Ea inspicitur Deus, vt id, quod non est; & tamen maxime cognoscitur secundum id quod est. Quia dum nihil limitatum & finitum apprehenditur, in quoddam ens illimitatum, & infinitum, cuius essentia, & substantia, & modus sine modo nescitur, intellectus pure inspiciens, raptatur. Nihil videt, sed id, quod totum est, & extra quod nihil est sibi videndum & amore amplectendum sibi proponi cognoscit. Igitur non videndo videt: & videndo

*Iac. Aluar. Tom. 3. lib. 5. Par. 3. ca. 13*

Hh non

non videt: quia velut quandam obſcuritatem, & quandam nebulam omnem lucem contegentem apprehendit. Vnde non videt, quia obſcuritas nõ videtur: & videt, quoniã immenſa lux, quaſi tenebris cooperta conſpicitur. Tenebræ autẽ iſtæ nõ ſunt in Deo, quẽ anima contẽplatur: Deus lux eſt, & Tenebræ in eo non ſunt vllæ ſed offundũtur oculis animæ, cui in quandam abyſſum: ingredi: in lucem autem illam ſplendidiſſimam ſe abſcondentem ſub abyſſum minime penetrare conceditur.

## DECIMA DISQVISITIO. Quomodo ſe habeat Myſticus in Caligine, dum non videndo, videre dicitur.

EXplicant id Myſtici duobus exemplis ad rem ſatis accommodatis. *Primum* eſt. Siquis ſudo maxime cælo, & nulla, vel tenuiſſima obductonubecula ſole, oculos in ſplendidiſſimum illud aſtrum vibret & non parua mora apertos, viſionique intentos detineat: fit naturaliter vt palpebræ luminibus velum obducant, ne obiecto tam vehementi, imo violento, nempe fulgoris nimij immiſſione lædantur. Clauſis tamen is oculis, licet ſolem ipſum non videat, videre tamen videtur eundem: vel ſplendorem quendam oculis obuerſantem habet, ſolis inſtar: aut lucis quendam globum vndequaque radios longiſſime emittentem apprehendit, ad quem, vt in ſe eſt conſpiciendum debilis eius viſus nequaquam ſit ſufficiens.

Haud ſequus, Animæ contemplatricis oculus, ſiue ille Mens vocetur, ſiue Intelligentia, amandatis rerum omnium creatarum imaginibus, ſimulacris, ac ſymbolis, in Deum ipſum, lucem inacceſſibilẽ conuerti amat, &, eo quam amat ſubleuante, in illum pupulam interiorem expedit, torquet, quantum quidem poteſt irretortum lumen: hæretque aliquantulum quietus & admirabundus. Sed immenſæ lucis radiatione oppreſſus animaduertit imbecillitatis inuolucro oculum claudi. Non videt interim Deum, ad id tamen quod illi obiicitur, velut in lucis interminabilis domicilio latitans intentus, illudque contemplans extra ſe quodammodo rapitur, ſtupore defixus.

*Secundum exemplum*. Iter facienti contingit aliquando, vt dum montes conſcendit, per eoſque progreditur paullatim denſetur nebula, in quam dum ſeſe illatebratum conſpicit, nihil rerum aliarum, non cęlum, non terram, non comites, non ipſam nubem qua eſt circum-

cumdatus conspiciat. Miratur hic se oculis, vt antea apertis, ac perpurgatis videre nihil. Sed videndo non videt: non videndo videt.

Aliquid est hic similitudinis ad Mysticam Caliginem illustrandam. Deum & lucem Contemplatiuo esse diximus, & Nebulam. Hanc Mysticus ingreditur post Montis fumigantis ascensum. Totus ea circumdatus immersum se animaduertit immensitatis pelago circumfert oculos nil occurrit, nisi immensitas, seu luminis seu Caliginis. Videt, non videt. Nam cæcutit ad immensitatem luminis, vel cæcatur; animaduertit tamen, nouo, miroque modo se in spissis licet tenebris illuminari.

## VNDECIMA DISQVISITIO. Sit-ne aliquod discrimen Contemplatiuorum in Mystica caligine.

RESP. Magnum equidem. Sunt enim in diuinis illis tenebris aut Caligine perfectionis diuersi gradus: & densiores, ac minus spissæ tenebræ. Huc aduocant Mystici illud Salomonis Prouerb. 4. 18. *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit, vsque ad perfectum diem.* Sicque aiunt contemplatiuorum caliginem & tenebras, vsque ad perfectam noctem excrescere, & condensari. Quo trahunt accommodatitio sensu illud Psalmi 138. 12. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius:* hoc est, vt ipsi exponunt: Sicut in lumine sunt perfectionis gradus, ita & in diuinis tenebris.

Inter puras animas, quæ caliginem diuinam penetrarunt, in eaque hæserunt absorptæ, merito nominatur Angela de Fulginio, quæ aliquoties donata videtur fuisse eminentissime hac cœlestis sponsi gratia. Capite 25. agens de suis visionibus ac consolationibus, scribit apertos sibi oculos animæ, & vidisse se amorem, seu, Deum, in quantum est amor infinitus, ita vt cerneret principium, nullum vero finem. Et *nescio*, inquit, *dicere aliquam similitudinem coloris. Et nolebam nec videre, nec audire, nec sentire aliquam creaturam.* Deinde

Capite 26. referens septimam consolationem, de visione, qua contemplata est Deum in Tenebra & Caligine. Quadam vice, ait, fuit eleuata anima mea, & videbam Deum in tanta claritate, quod nunquam ipsum videram in tanta, nec illo modo plenissimo: & non videbam ibi amorem, & ego perdidi illum amorem, quem prius portabam, & factus sum non-amor.

. Et post istud vidi eum in vna tenebra, & ideo in tenebra, quia est maius bonum, quod possit cogitari, nec intelligi. Et omne, quod po-

test cogitari, & intelligi, non attingit ad illud. Et tunc data fuit animæ fides certissima, vna spes secura, & firmissima, vna securitas de Deo continua: ita quod abstulit omnem timorem: & in illo bono, quod videtur, ita in tenebra recollegi me totam, & effecta sum ita secura de Deo, quod nunquam possim dubitare de eo, quin Deum habeam certissime: & in illo bono efficacissimo, quod videtur in tenebra est modo spes mea tota recollecta, & secura.

Frequenter igitur video Deum illo modo: & in illo bono, quod narrari exterius nō potest, nec etiam cogitari corde. In illo, inquam, bono certissimo, & incluso, quod intelligo cum tanta tenebra habeo totam spem meam: & in videndo, quicquid volo habere, totum habeo: quicquid volo scire, totum scio: & video ibi omne bonum. Nec anima in videndo potest cogitare de discessu illius boni: vel de discessu ab illo bono: nec quod debeat de cetero discedere: sed delectatur ineffabiliter in illo omni bono, & nihil videt omnino anima, quod narrari possit ore, nec etiam concipi corde. Et Nihil Videt, Et Videt Omnino Omnia. Et quia illud bonum est cum Tenebra, ideo magis certissimum, & magis superans omnia, quanto magis videtur in tenebra: & est secretissimum. Et postea video cum tenebra, quod superat omne bonum, & omnia: & omne aliud est tenebra: & omne quod cogitari potest, est minus illo bono.

Quomodo autem se habeat corpus & appetitus Mystici contemplatoris in caligine exponit paulo post experimento docta Matrona Fulginiensis. Isto, ait, modo, quando videtur Deus in tenebra non apportat risum in ore: nec feruorem, nec deuotionem in corde: nec feruentem amorem: quia corpus non tremit, nec mouetur, nec sic alteratur, sicut consueuit fieri in aliis. Corpus enim nihil videt, sed anima videt: & corpus quiescit, & dormit, & truncatur lingua, quia tunc nihil potest loqui.

Et omnes amicitias, quas Deus ostendit mihi multas, & inenarrabiles: & omnia verba dulcia ab eo mihi data: & omnia alia data & facta intantum sunt minus illo bono, quod video cum tanta Tenebra, quod non pono spem meam in illis. Imo, si possibile esset, quod essent omnia non vera, nullo tamen modo minuerent spem meam, nec minueretur spes mea securissima, quæ est certa illo omni bono, quod video cum tanta tenebra.

Ad istum autem prædictum modum altissimum, & omnino ineffabilem videndi Deum cū tanta Tenebra, & supermirabili gratia visionis, est mens mea tribus tantum vicibus eleuata: quamuis multis & innumeris vicibus viderim istud omne bonum semper cum Tenebra:

bra:sed non prædicto altissimo modo cum tanta tenebra. Paullo post subiungit:

Video Sanctam Trinitatem in Tenebra, & in ipsa Trinitate, quam video in tanta Tenebra, videtur mihi, quod ego stem & maneam in eius medio: & illud trahit me plus quam alia res aliqua, quã hactenus habuerim, vel aliquod bonum, quod viderim: ita quod istius non est comparatio ad illa. Et quicquid dico de hoc, videtur mihi, quod nihil dicam, tantum excedit illud bonum omnia verba mea.

## DVODECIMA DISQVISITIO. An in Contemplatione Caliginosa suas partes agat ratiocinatio.

RESPONDEO: Nequaquam. Est enim hæc Contemplatio simplex quædam inspectio, seu visio, menti à Deo immissa. Et quoniam cum intellectus humanus non discurrit, homo non animaduertit operationem, ita loquuntur aliquando Mystici, ac si intellectus in caligine nullam operationem exerceret. Sed cum visionem nominent facile est opinari, quod non omnem partis intellectiuæ operationẽ sublatam velint.

Huc spectat, quod ex Linconiensi adfert S. Bonauentura Itinere æternitatis Vto Distinctione VIta. Surge, & restitue te incognite, vt possibile est, ad vnionẽ Dei, id est, eius, qui super omnem cognitionem est. Quæ quidem restitutio, vel resurrectio fit per ipsius solius forte desiderium, & amorem superferuidum, quæ nulla ratiocinatiua inuestigatione potest esse cognita.

Adiungit idem Auctor cessans in ista Caligine ab operatione cognitionis, sed æstuans desiderio solius Dei perfecte ab ipso incogniti ipsi soli vnitur: & cognoscens, videt in ista caligine superintellectum: quia ad hoc cognoscendum non posset intellectus humanus, & inoculatus attingere. Non quod intellectus dicatur inoculatus à priuatione potentiæ visiuæ: sed à priuatione omnis actus visiui, dum ociatur in illa Caligine. Sed hæc moderate accipienda sunt, sicut & illud, quod S. Bonauentura ex ijs deducit.

Contemplationem in Caligine non fieri *per intelligibilem cognitionem: sed per ardentissimam, imo superferuidam dilectionem, & experimentalem notitiam*. Sed experimentalis notitia, nonne essentialiter est cognitio intellectualis?

## Tertia-Decima Disqvisitio. Qui sint gradus ascensionis ad diuinam Caliginem.

RESPONDEO: Ex S. Areopagita cap. 1. de Theologia Mystica tres colligi, vt notat S. Bonauentura Itinere Æternitatis Vto Dist. VIa *Primus* est, derelinquere omnia sensibilia: secundus, omnia intelligibilia: Tertius, ingredi ipsam Caliginem, vbi apparet Deus.

Exod. 19. Statuit hos ipsos gradus Vercellensis, Commentator Dionysij ex Historia Mosis ad caliginosum montem euocati. Animaduertitq; Mosem, *primo*, visum esse purgare se à multitudine sensibilium: *Secundo*, separare se à nō puris: *Tertio*, post omnē mundationē, audisse sonū buccinæ, & vidisse tonitrua, ac fulgura micantia, radiosque emittentia: *Quarto*, separatum à multitudine populari, cum Aarone, Nadab, & Abiu, ac septuaginta senioribus Israëlis, tanquam rationabilibus, ascendisse, & tunc fuisse illi reuelata intelligibilia: scilicet, æternas architypias, seu rationes exemplares omnium creaturarum, quæ in Deo sunt, quarum intellectuali inspectione, inquit, Deum cognoscimus, quibus nihil diuinius oculis intellectualibus intuemur.

Addit Vercellensis: *Quinto*, superesse principaliorem Dei cognitionem, quæ figurata fuerit in eo, quod Moses, post hactenus enarrata, auulsus fuerit ab his qui cū ipso tā mira audierant, & viderant: & subductis illis visis intrauerit in Caliginem ignorantiæ: in qua ait eū fuisse vnitum Incomprehensibilitati diuinæ, *quam non penetrat intelligentia, quæ omnium clarissima est, & in se claudit, & celat secretissime omnes cognitiones comprehensiuas.* Exemplo sit lux stellaris, quæ absconditur, & obnubilatur luce solari in meridie.

Tandem colligit, quod omnis vnitus Deo, per eum, qui est super omnia constituitur in excellentia, quam nec ratio inuestigat, nec intellectu speculatur: & quasi ab omnibus talibus, & quasi à seipso segregatur: & per vnitionem dilectionis, quæ est effectiua veræ cognitionis vnitur Deo intellectualiter, tamen ignoto, & cognitione multo meliore, quam sit cognitione in eos, quod intellectualis est: quia in eo, quod cognitionem intellectualem derelinquit, super intellectum, & mentem Deum cognoscit.

Hæc Vercellensis.

QVAR-

## QVARTA-DECIMA DISQVISITIO. Quæ sit praxis contemplandi Deum in Caligine?

HAnc siquis è Mysticis, certe Henricus Harphius per quam accurate tradere fuit conatus lib. 3. Theologiæ Mysticæ sermone 23. qui est de 3. habitatione caliginosa sub vmbra dilecti, vbi hunc fere in modum disserit. Anima Deo dilecta posteaquam contemplando per viam adfirmationis, & speculando imagines ac similitudines rerum creatarum sibi neutiquam satisfecit, ad altiora tendens, & summam affectans puritatem, relictis illis totis se præcordiis subleuat, ad videndum dilectum in sua gloriosa, & nuda essentia, deuotis suspiriis clamitans & dicens: Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis. Et iterum: Ostende faciem tuam & salui erimus: animaduertens, quod omnis intuitiua cognitio, qua Deum in hac vita cernere dicimur, in imaginibus ac similitudinibus versetur, quibus Deum tanquam per indumenta quædam cognoscimus & non facie ad faciem. *Ioh. 14. Psal. 79.*

Hinc protinus oculum suum intellectualem ab infimis imaginibus corporalibus, vsque ad supremas imagines diuinales denudare festinat: relinquitque ipsas imagines Diuinitatis, Vnitatis, Trinitatis, bonitatis, sapientiæ, ac similes, sentiens ipsa luce clarius, quod hæc omnia, quantumcumque præcelsa videantur Deum tamen in sua proprietate non repræsentent, sed solum secundum modum imperfectum, ac mensuram humanæ comprehensibilitatis ac intelligentiæ. Quapropter per nudam cogitationem suam superascendere nō cessat in illā CALIGINOSAM, & INFORMEM NIHILEITATEM: seu diuinam Caliginem: vbi in quadam Dei perfecta ignorantia constituitur; velut inter duas mensas: id est, duas agnitiones diuinæ veritatis, quasi fame interitura.

Siquidem ad Mensam inferiorem, vbi Deus in imaginibus creatis tantummodo tenuiter, & vmbratice cognoscitur, & intelligitur, inclinare se recusat. Ad superiorem vero Mensam vbi Deus in nuda sua gloriosa essentia cognoscitur, & diligitur, adire ei datur, quam diu in corpore mortali detinetur: Videmus enim nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Itaque felix anima Contemplationis supercressentialis auida in ipsa nuda caliginosa vacuitate, seu nihileitate cogitationis suæ coram immediata, ignota gloriosa diuinitatis præsentia suam habitationem constituit: eo quod illic sine medio lumen illud gloriosum in ipsa caligine refulgere non cesset: licet mentis humanæ tenebræ tam splendidum lumen comprehen-

hendere nequeant, nec clare cernere donec glorificata anima, sicq; ad mensam superiorem subleuata resideat, vbi gustare Deum possit ac bibere: id est, nudam in nuda gloriosaque essentia cognoscere, ac videre.

Interim tamen dum peregrinatur à Domino, habitationem suam in ipsa Caligine sub mensa superiore coram immediata, & ignota præsentia dilecti, veluti sub vmbra illius, quem desiderat, constituens, quadam anhelosa longanimitate inibi perseuerat, velut catellus micas de mensa Domini decidentes expectans. Neque existimandum est, esse ibi ociosam animam. Licet enim in excelso posuerit nidum suum, & in tuto collocasse videatur: tamen semper solicita est, quomodo Deo magis, ac magis placeat, diuinum beneplacitum semper demulcere quærens operibus virtuosis, exercitiis vigorosis, & affectibus amorosis; super omnes occupationes & multiplicitates sese exercens: & hanc habitationem continuo visitans per excessum quendam simplicem omnium cogitationum, similitudinum, & imaginum: imo, & super omnem Dei nominationem: & sic post omnem occupationem, secundum se totam in Caliginem, sicut in propriam habitationem reuertitur: ibique ociari dicitur, qui illic ociosam quandam occupationem habet: scilicet amarosam quandam anhelationem ad videndam nudam & gloriosam faciem dilecti sui. nimirum, ad sedendum cum reliquis electis ad mensam illam superiorem, vbi tandem ipse dilectus erit potus, & cibus illius.

Addit deinde affectus varios, quos animam in caligine sentire asserit, illosque nomine anhelationis amorosæ exprimi: nempe; Tædium, desiderium, & spem: de quibus suo loco agimus.

## QVINTA-DECIMA DISQVISITIO. Quomodo præparandus sit mystici intellectus per speculationem rerum creatarum, vt disponatur ad contemplationem caliginosam?

QVamuis contemplatio in caligine, non sit intellectualis visio Dei, industria hominis, à Deo perfectiones creatas subtrahentis, elaborata: tamen si præcedat mentis exercitatio, qua in Dei notitiam itinere subtractionis, negationisq; perfectionum omnium perueniat, erit haud dubie melius disposita intelligentia vt caliginem Mysticam ingrediatur. Manuductionem autem faciliorem, magisq; exquisitam non reperio, quam sit illa, quam dedit Picus Mirandulanus,

nus,rari vir ingenii & excellentis. Is philosophum agens lib. de ente & vno,arbiter inter Platonicos,& Peripateticos, disputat subtiliter, quomodo in Schola peripatetica multa Deo adscribantur, quæ de eodem negant Platonici:docetque qua ratione cognitio de Deo per negationes adquirenda sit,& paullatim ad caliginem ascendendum.

Deus,inquit,omnia est:& eminentissime, atq; perfectissime est omnia. Quod non erit, nisi in se claudat omnium perfectiones, vt quicquid ad imperfectionem spectat in rebus à se reiiciat. Possumus autem,quicquid imperfecti rationem habet,in his, quæ sunt duplici capite definire. Alterum est,cum quid in re est, quod in genere illius rei minus perfectum est. Alterum,cum perfectum quidem in suo genere est;sed ideo non simpliciter perfectum, quoniam vnius tantum generis perfectionem habet : & multa sunt extra ipsum genera suis perfectionibus honestata,quæ in illo includuntur.

Exemplum primi. *Cognitio sensualis* non ideo solum imperfecta est,quia cognitio tantum est, & non est appetitio:sed quia & imperfecta cognitio est: tum quia & organo eget bruto, & corporali: tum quia extrema solum attingit rerum;ad intima,id est, ad substantiam, non peruadit. Cognitio item humana,quæ rationalis dicitur,imperfecta cognitio est,quia vaga,incerta,mobilis,laboriosa. Adde, intellectualem cognitionem mentium diuinarum,quas Theologi vocant Angelos,& ipsa etiam imperfecta est cognitio:vel ob id saltem, quod extra se quærit,quod intra se scilicet plene non possidet:hoc est, veritatis lucem,qua eget,& qua perficitur.

Accipe vitam. Vita ea,quæ est in plantis, imo quæ in omni corpore est,non ideo solum imperfecta, quia vita tantum est, & non cognitio: sed, quia non pura vita: potius autem viuificatio quædam ab anima in corpus deriuata semper fluens, semper morti admixta magis denique Mors vocanda, quam vita. Incipimus enim,si forte nescis tunc mori,cum primum incipimus viuere: & mors cum vita protenditur, tuncque primum desinimus mori, cum à corpore mortis huius per mortem carnis absoluimur. Sed nec perfecta vita est Angelorum, quam nisi perennniter viuificus radius diuinæ lucis foueret,in nihilum tota dilaberetur. Eadem ratio est in ceteris.

Cum ergo Deum cognoscentem, Deum viuentem facis, illud primum attende, vt vita & cognitio,quæ illi adscribitur his omnibus detrimentis libera intelligatur. Sed non hoc satis: restat enim altera imperfectio,cuius exemplum hoc.

Concipe vitam perfectissimam,quæ scilicet tota sit vita, & pura vita,nihil habens mortale,nihil mortis admixtũ: quæ nullo egeat

extra se, per quod duret stabilis & permaneat. Concipe item cognitionem qua & omnia, & simul perfectissime cognoscantur. Adiice & hoc: cognoscentem scilicet in se hæc omnia cognoscere, vt non extra se quærat veritatem, quam cognoscat sed ipse ipsa sit veritas. Adhuc horum vtrumque quamquam suo in genere perfectissimum, & tale, vt extra Deum esse non possit, sic tamen acceptum, & ab inuicem distinctum Deo indignum est. Deus enim omnimoda, & infinita perfectio est: sed non ideo tantum omnimoda, & infinita, quia omnes particulares perfectiones, atque infinitas tales in se comprehendat; tunc enim, neque ipse esset simplicissimus, neque infinita essent, quæ in eo sunt: sed esset vnum infinitum ex multis infinitis, aut numero finitis perfectione collectum. quod aut dicere, aut cogitare de Deo profanum est.

At vero, si vita, quæ perfectissima quidem vita est: sed vita est tantum & non est cognitio: itemque si appetitio, siue voluntas, perfectissima quidem voluntas, sed voluntas tantum, & non vita, neque cognitio est, similiaque alia in Deo collocentur: manifeste futurum est, vt diuina vita finitæ sit perfectionis: quoniam eam habet perfectionem, quæ vitæ est; non habet eam, quæ cognitionis, quæ appetentiæ. Tollamus ergo à vita, non id solum, quod eam imperfectam vitam facit; sed, quod facit eam vitam tantum: & à cognitione, similiter aliis nominibus, quibus Deum appellamus: tuncque quod ex omnibus remanebit necessario tale erit, quale Deum intelligi volumus: vnum scilicet, perfectissimum, infinitum, simplicissimum.

Et quoniam vita quoddam ens est: sapientia item ens quoddã: pariterque & Iustitia, vtique, si particularitatis, & terminationum conditionem his adimas: quod supererit, non hoc, aut illud ens erit: sed simpliciter ens: sed vniuersale ens, non prædicationis vniuersalitate, sed perfectionis. Similiter, sapientia, bonum quoddam est: quia hoc scilicet bonum, quod est sapientia: & non est illud bonum, quod est iustitia. Tolle, vt inquit Augustinus hoc, tolle illud, id est, particularitatem hanc: tolle limitationem per quam sapientia ita est bonum, quod est sapientia, quod non est bonum, quod iustitia est: pariterque iustitia sic habet iustitiæ bonitatem, vt non habeat eam, quæ est sapientiæ. Tuncque in ænigmate faciem Dei videbis, id est, omne bonum, ipsum bonum: simplicissimum bonum: omnis boni bonum.

Ita vita, sicut ens quoddam est, ita est vnum quoddam, est enim perfectio vna: pariterque sapientia perfectio vna est. Abiice particularitatem, remanet, non hoc aut illud vnum, sed ipsum vnum, aut simpliciter vnum. Cum ergo Deus ille sit, qui, ablata omnium imperfectio-

fectione,omnia est:certe,cum à rebus omnibus,& quæ sub suo genere imperfectionem, & sui generis particularitatem abdicaueris, id, quod remanet,Deus est. Deus ergo ipsum ens, ipsum vnum, ipsum bonum, similiter & ipsum verum. Duos iam gradus promouimus ad caliginem ascendentes quam Deus inhabitat a diuinis nominib. omnem purgantes maculam, quæ ex rerum est significatarum imperfectione.

Adhuc duo supersunt gradus, quorum alter, nominum arguit insufficientiam: alter nostræ intelligētiæ accusat infirmitatem. Hæc nomina,ens,vnum,verum,bonum,concretum quid dicunt, & quasi participatum.Quare rursus dicimus Deum super-ens,super-verum, super-vnum,super-bonū esse,quia scilicet ipsum est, ipsa veritas, ipsa vnitas,ipsa bonitas. Verum adhuc in luce sumus:Deus autem posuit tenebras latibulum suum. Ad Deum ergo peruentum nondum est. Donec enim,quod de Deo dicimus, etiam intelligimus, & comprehendimus in luce versari dicimur: & tanto minora de Deo & loquimur & sentimus, quanto infinita sua diuinitate capacitas nostræ intelligentiæ minor est.

Ad quartum igitur gradum conscendentes,intremus ignorantiæ lucem,& diuini splendoris Caligine exoculati, clamemus cum Propheta:Defeci in atriis tuis Domine. Hoc vnum de Deo postremo dicentes:esse ipsum intelligibiliter, & ineffabiliter super id omne, quod nos de eo perfectissimum,vel loqui possumus, vel concipere: tunc super ipsam etiam,quam conceperamus vnitatem, bonitatem, veritatem, superque ipsum esse, Deum eminentissime collocantes.

Huc respiciens Dionysius Areopagita, post ea omnia, quæ in Symbolica Theologia,in Theologicis Institutionibus,&,quæ de diuinis nominibus:& de Mystica scripserat Theologia,postremo,in calce eiusdem libri,quasi qui iam in caligine esset,&,vt poterat,de Deo sanctissime loqueretur, sic post alia quædam ad idem attinentia exclamauit:Neque Veritas est,neque Regnum,neque Sapientia, neque Vnum,neque Vnitas,neque Deitas,aut Bonitas: neque Spiritus est,quantum ipsi scire possumus. Neque Filij,neque Patris est denominatio,neque aliud aliquid ex his, quæ nobis aut alteri cuipiam in mundo sunt cognita. Neque aliquid eorum,quæ non sunt:neque eorum,quæ sunt,est:neque ea quæ sunt,illam sciunt, sicut ipsa est: neq; scit ipsa quæ sunt,sicuti sunt: neque sermo ipsius est, neque nomen, neque scientia,neque tenebræ,neque lux est, neque error,neque veritas:neque est ipsius omnino vlla positio,neque ablatio.

## SEXTA-DECIMA DISQVISITIO. An Contemplator in Caligine formet conceptum Dei? & Qualem?

RESPONDEO: Formare conceptum, eumque positiuum, & perfectissimum, quod probatum est Comment. De Contemplatione per Negationes. Quæ illic enim dicta sunt, huius Contemplationis sunt propria. Idem demonstrat Carthusianus Articulo 8. in Mysticam Dionysij, vbi post disputationem pene Scholasticam, sic pronũciat: In hac Contemplatione fertur apex mentis, & intelligentiæ vertex, vt Deo vniatur, tanquam omnino ignoto, quod fit in omnimoda Caligine: censeturque nihil penitus de illo cognoscere: non, quod ab ipsius inspectione omnifarie vacet: præsertim, cum ista sit altissima, clarissima, perfectissima, ac profundissima Deitatis Contemplatio, Cognitio, Visio, huic vitæ possibilis, vt ipsemet Mag. Dionysius, & eius Expositores testantur. Sed quia in hac contemplatiua, & sapientalissima, ac, feruentissima Vnione cum Deo, mens acutissime, ac limpidissime conspicit, quam super-incomprehensibilis, & super-spleniddissimus, & super-luminosissimus, & super-pulcherrimus, & super-amabilissimus, & supergaudiosissimus sit ipse Dominus Deus omnipotens, & immensus.

Atque quam infinite & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, visioneque faciali immediata & clare intuitiua distet deficiat & occumbat. Ideo præ admiratione & amore deficit, & defluit à seipsa: gaudiose quoque, ac dulciter absorbetur, obdormit, & quiescit supr dilectissimo Deo Creatore, Saluatore, ac Miseratore: imo, & supergratissimo suo Sponso totius beatitudinis suæ superpiissimo fonte, omnipotentissima & liberalissima causa.

## SEPTIMA-DECIMA DISQVISITIO. Quomodo possit dici conceptus positiuus, qui non nisi negatione explicatur?

DEclarant hoc Mystici exemplo populari. Gustet quispiam dulcedinem Nectaris. Quid vetat formari istiusmodi conceptum? Nectar neque est lac, neque oleum, neque butyrum, neque ouum, neque caro, neque aliud generis consimilis esculentũ aut poculentũ: imo nec glycyrrhiza, nec saccharum, nec mel, nec ambrosia: sed aliquid

liquid ab his diuersum, quod suauitate indicibili vincit hæc omnia. Percipitur in caligine Deus: cognoscitur in ea quidpiam, quo non solum nihil maius cogitari potest: sed & quod infinite maius est omni eo quod potest excogitari: hæret mens, stupet intelligentia, concipit tamen aliquid, quod adfirmatione non potest exprimere, effari tamen conatur balbutiendo negatione creaturarum omnium, quia singulis & vniuersis est excellentius, nobilius, infinities infinite præstantius.

## Octava-Decima-Disqvisitio. An Contemplatio in Caligine, fiat per species intelligibiles, & Quales?

Respondeo. I. Qui diceret, Conceptum mentis posse à solo Deo produci in anima Contemplantis: hic admodum probabiliter adfirmaret, absque vlla specie intelligibili, non solum illa, quæ sit *Medium-quod*: verum & ea, quæ concurrit tantum ad intellectionem, vt *Medium quo*, Deum, Contemplationem Caliginosam in mente operari. Et ita videntur nonnunquam loqui Mysticorum aliqui. Certe Iacobus Aluarez Tom. 3. P. 3. lib. 5. cap. 14. qui semper circumspecte in hac materia loquitur, sic habet: *Infundit* Deus *animæ perfectissimum quendam conceptum sui: quem summum, & infinitum bonum sibi patefacere animaduertit* Mysticus. Verum, cum Conceptus, si proprie loquendum essentialiter sit actus vitalis potentiæ intellectiuæ, qui sine vitali concursu potentiæ non procedit, vt in Philosophia & Theologia Scholastica est demonstratum. *Aluarez. to. 3. p. 1458*

Respondeo II. Contemplationem in caligine fieri per speciem intelligibilem impressam: qua informata intelligentia, tendendo altissimo, ac subtilissimo quodam modo in lucem inaccessibilem producit speciem expressam, seu conceptum defæcatissimum, quo Deus eiusque gloria, sed in nube, densissimaque caligine cernitur. Quæ eâ ob caussam *Notitia Nubila*, vel *Nubilosa* dicitur: quia obiectum, quasi nubibus tectum contemplāti obiicitur: & videtur magis quid non sit, quam quid sit.

Respondeo III. Speciem, quæ ad conceptum illum formandum, datur, esse per se infusam. Quia nulli intellectui humano est debita: à nullo intellectu agente, quamuis perfectissimo, vel ex phantasmate, vel aliunde educi potest: nullus illam intellectus patiens postulat.

RESPONDEO. IV. Speciem concurrentem ad notitiam caliginosam non esse vllius determinatæ rei quæ sub sensum, aut intelligentiam cadit: ac proinde, nec certæ ac nominatæ perfectionis diuinæ, vel Attributi. Non enim repræsentat Sapientiam, non Bonitatem, non Amorem, non Misericordiam, non quid simile: sed repræsentando quandam perfectionem infinito modo perfectiones à nobis conceptibiles excedentem, hæc omnia repræsentare sed in luce quadam inaccessibili censetur. Quapropter *Species* hæc à Mysticis existimatur *Inexplicabilis.*

## NONA-DECIMA DISQVISITIO. An Contemplatio in Caligne, distinguatur à Contemplatione Pura?

RESPONDEO. In Theologia Mystica, (vt Scholastice: idest, dilucide exponamus, quod inuolute tradunt illius Disciplinæ Magistri) sumi potest *Contemplatio-Pura* generice, vel vt superius quid: sub quo collocetur *Contemplatio-pura* specifice, aut magis contractè accepta, tanquam vnum membrum, & *Contemplatio caliginosa*, velut alterum. Vel dici potest, quod sint duo gradus Contemplationis-Puræ. Vnum minus perfectum, siue operationem intellectus spectes, siue inde consequentes adfectiones voluntatis, & hoc simpliciter *Contemplationis Puræ* nomen sibi vendicat: Alterum perfectius, quod vocetur, *Contemplatio in caligine.*

Volunt itaque Mystici hanc ab illa differre, *Primo* per maiorem quandam approximationem ad visionem diuinam. *Secundo:* per maiorem illustrationem intellectus. Quamuis enim in Contemplatione-pura-mens passionibus tranquillatis, & phantasmatibus vel ablegatis, vel sopitis, quiete, ac pure Deum, sub quadam generali, confusaque Incomprehensibilitatis ratione, Deum simplici intuitu spectet: tamen dum in Caliginem ingreditur, eamque sibi quodammodo circumfusam animaduertit: palpat quodammodo nebulosum illum amictum (hinc palpabiles tenebræ) & sentire seputat caliginem, siue inaccessibile Dei lumen: quod postulat illustrationem pleniorem, in hoc monte vmbroso, nam acceditur magis ad solares radios, qui, quo viciniores, magis & illuminant, & calfaciunt. Ideoq; *Tertio,* distinguuntur istæ Contemplationes ex parte voluntatis. Nã *Pura* accendit quidem voluntatem: sed *Caliginosa* inflammat. Per *Puram* amoris vulnere anima sauciatur: Per *Caliginosam*, ligari dicitur, &

præ

præ amoris magnitudine languere,suspirare, diffluere:vnumque exposcere quo sedetur desiderium,quo flagrat,vniri Dilecto.

Caussat in Mystico Contemplatio caliginosa Caritatem violentam. Ita illam vocat Richardus,gradus illius solerter inuestigans. Ea autem agitata mens,*quicquid agat,quicquid fiat,inutile imo intolerabile videtur, nisi in vnum desiderij sui finem concurrat,atque conducat.Cum frui potest,eo quod diligit,omnia pariter habere se credit. Sine illo horrent omnia, sordent vniuersa.Si enim eo frui non possit,corpore deficit, & corde tabescit: consilium non recipit,rationi non adquiescit:nullam omnino consolationem admittit.In hoc autem gradu mens tabida,& amoris nimietate languida,sicut non potest alia meditari,sic nec potest aliena operari.* Addit postea: *Sitit & bibit: bibendo tamen sitim suam non extinguit: sed quo amplius bibit, eo amplius sitit.*

## VIGESIMA DISQVISITIO. Quare Contemplatio in caligine dicatur Modi-nescia.

EST hæc denominatio à Mysticis accepta, & significat intelligentiam in caligine eleuari ad intuitum quendam,quæ limitem, terminumque si rem ipsam spectes,non habet,est enim infinities infinite super omnia. Nec intellectum in ea Contemplatione habere modum aliquem certum aut definitum ex arte,aut humanis præceptionibus, cum ex sola eleuatione, & vnctione Spiritus Sti proueniat: nec vno aliquo modo,qui semper obseruetur à Mystico,sed diuersissimis cōtingat. Adde,intuitum illum simplicem sine modo fieri, cum nullibi firmari videatur:nec oculus mentis hic,ibi, aut illic consistat immotus,sed in omnia sine modo, & ordine, Deo rapiente feratur. Nam intuitus contemplantis in caligine sisperexaltatus, & superdilatatus nescit quo tendat,cum in infinitam quandā abyssum exspacietur. Excurrit etiam sine reuersione:vnde illum reuocare non potest pro beneplacito Mysticus. Tandem,sine modo,& inquirit intellectus,& æstuat affectus. Intellectus continuo impellitur ad videndū, quid sit Deus in se,& qualis sit:ad quod cum in hac vita nō perueniat, sine modo voluntas desiderat,& desiderando ardet:ideoque non cessat,gemendo, suspirando, anhelando exposcere desideratam videre faciem. Pulsat assidue adfectus ad portas diuinæ misericordiæ,vt ingressum impetret:excubat interim intellectus in caligine.

Audi Henricum Harpium lib. 3. Theologiæ Myst. sermone 29. Virtus intellectiua semper inclinatur, ad videndum quid sit Deus in se

in se,& quis sit: quoniã ad hoc à Deo dulciter allicitur, & inuitatur, ita, quod anhelosis affectibus ingeminare cogitur anima cum Mose: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis ostende mihi teipsum: id est, supra similitudines, & imagines reuelatum & nudum. Sed illic intellectus excubare cogitur, quia oculus eius ab immensa claritate reuerberatur, & caligat. Exultat tamen cũ sponsa, dicens: sub vmbra illius, quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Et in *Modũ, modi nescium* eleuatur: ita quod intuitus eius fit sine modo, nec sic nec sic, nec hic, nec ibi firmetur. Sed omnia quodammodo sine modo complectitur, eo, quod eius intuitus ei superexaltatus, & superdilatatus est, ita quod nescit vbi respiciat, veluti vagabunda & errans. Nec quidem intuitum reuocare potest, quia totus est ab eo diffluens sine modo, sine fine ac sine reuersione: quia, quod capere desiderat adipisci ad votum non præualet. Cum ergo nos ipsos sic excedimus in ipsam Caliginem, & inscrutabilem Modicarentiam irrepentes, ibi continuo lucet simplex quidam radius diuinæ claritatis in qua fundati sumus.

## VIGESIMA-PRIMA DISQVISITIO. Quomodo distinguantur in Schola Mysticorum Intrare Caliginem, & habitare in Caligine.

RESPONDEO I. Duo ista differre apud Mysticos occultiore quodam sensu.

RESPOND. II. Differre perfectione sicut duo quidam gradus vnius Contemplationis vt insinuant aliqui: vel tanquam duo actus diuersi, vt alij: vel tanquam duæ species Contemplationis puræ. Posita itaque distinctione Contemplationis puræ, à Contemplatione in caligine: per purã volunt ingressum fieri in caliginem: per caliginosam vero habitationem constitui. Explico, & declaro.

Mens Contemplatiui purificationibus mysticis expiata, & ab omni passionũ inordinatarum tumultu libera: illustrata etiam sapientiæ cœlestis irradiatione, dum transcensis rerum omnium creatarum imperfectionibus, imo & perfectionibus, quas de Deo negat, supra se eleuatur, ac Deum vt omnibus immenso quodam interuallo superiorẽ, & nullo creato intellectui comprehensibilem contemplatur: ex eaque Contemplatione, quæ nubila est, quippe Deo, vt nube tecto, aut ignoto intenta, in partem adfectiuam amor & delectatio diffunditur: qua delibuta suauiter conquiescit: tunc, phrasi mysticorum,

rum,à Dionyſio accepta,dicitur, intrare caliginem: vel extendere ſe ad radium diuinarum Tenebrarum: id eſt,ſuper-ſplendidiſſimam in ſe,nobis autem ignotam,& incomprehenſibilem Dei claritatem,regionemque lucis, veritatis,ac ſapientiæ Dei omnimodo immenſam. Tunc etiam dicitur,in ignorantia myſtica,ac per incomprehenſibilitatem ac inuiſibilitatem Deum videre : id eſt, intelligere, eum eſſe prorſus incomprehenſibilem.

Quando autem altius, ac diuinius eadem mens iam contemplationibus iſtiuſmodi condocefacta ſublimatur, vt intenſius & acutius in diuinam Caliginem vibret intelligentiæ oculũ:& palpat quodammodo nebulam illam,in qua Deus habitare concipitur, tunc & ipſa habitare in caligine cenſetur. Hic iterum reuocandum in memoriam, quod habet Dionyſius Epiſt. 5.ad Dorotheum; *Diuina Caligo eſt inacceſſibile lumen,in qua habitare* DEVS *dicitur: qua quidem Caligo aliud prorſus non eſt,quam incircumſcripta, ac penitus interminata & ſupereffluentiſſima plenitudo,ſplendidiſſima pulchritudo,ſerenitãs,& dulcedo lucis æterna.* Huius ergo Caliginis clariſſima intuitio,& in illã intelligentiæ quaſi defixio ocularis & habitualis eſt illa Contemplatio,per quam myſticus dicitur inhabitare Caliginem.

Ex hactemus diſputatis definiri poteſt clariſſime Contemplatio caliginoſa.Eſt ſimplex cognitio & nubila, qua tranſcurſis omnibus creaturis,& relictis vniuerſis ſimilitudinibus tum ſenſibilibus,tũ intellectualibus,mens in Deum vt incomprehenſibilem ignoto quodammodo fertur, & eo quaſi pelago immenſitatis penitus abſorbetur.

# COMMENTATIO

# CONTEMPLATIO SVPEREMINENS MYSTICA.

NONDVM,ſeu per Contemplationem puram,ſeu per Caliginoſam,ita Deus cognoſcitur, vt non perfectius illi iungi poſſit in hac vita tam Intellectus,quam Adfectus.Itaque Myſticorum opinione datur alia quædam,multo,quam priores duæ nobilior, altior,diuinior,quæ idcirco vocatur SVPEREMINENS, & putatur præcipua

functio Theologiæ-Mysticæ; imo ipsa Theologia-Mystica. Quæ vtrum ita sese habeant disquirendum est.

## EXERCITATIO I.

## RATIO CONTEMPLATIONIS SVpereminentis.

### PRIMA DISQVISITIO. An sit constituenda altior Contemplatio, quam Caliginosa?

RESP. Adfirmate. est communis Mysticorum sensus. Declaro. Ingredienti in Caliginem, & in ea habitanti, potest magis, minusq; illustrari, & confortari intellectus, siue per maiorem, & pleniorem influxum luminis intellectualis, quod Deus animæ contemplanti communicet: siue per immissionem, aut infusionem nouarum quarundam specierum, ad notitiam Dei excellentissimam idonearum: siue per peculiarem quandam, & accommodatissimam dispositionem, connexionem, complicationem, seu ordinationem specierum præhabitarum. Constat autem experimento Mysticorum hanc diuersitatem contingere consistenti in caligine. Siquidem rapiuntur nonnunquam admirando quodam modo ad interiora quasi caliginis, ibique tanquam in conspectu Dei, qui essentialiter lux est illuminationes nouas, & inusitatas recipiunt: voluntas quoque ita ardet & exæstuat, vt impetu quodam exilire videatur, & vt loquuntur Mystici transformari & deificari. quod postea explicandum est.

### SECVNDA DISQVISITIO. An Contemplatio supereminens, fundamentum habeat in sacra-scriptura?

RESPONDEO: Adfirmate. Vt enim Mosis exemplo stabiliunt Mystici Contemplationem puram & caliginosam: ita ex eodem probant Contemplationem sublimiorem. Explico. In Mosis ad Montem caliginosum accessu, & in eo commoratione varia spectari possunt. *Primū*: Ascensus in Montem: per quem symbolice intellige, vel Religionē, vel perfectionis studium, vel Contemplationis altitudinem.

nem. Exodi 19.3. *Moses ascendit ad* Deum. Specialem aliquam vocationem præcessisse est verisimile, quod colligere possis ex iis, quæ mox sequuntur: *Vocauitque eum Dominus de Monte*: nam particula *(que)* potest hic esse, vt alibi sæpe, rationalis, exponens caussam, cur Moses ascenderit, quia Deus eum vocauerat.

*Secundum:* Destinatio Dei, qua Mosem elegit cui se in caligine manifestaret. Exodi 19.9, *Ait Dominus (*Mosi*) iam nūc veniā ad te in Caligine nubis, vt audiat me populus loquētem ad te; & credat tibi in perpetuum.* Notandum hoc iudicauit Gregor. Nyssen. Qui, *non permittitur*, ait, *omnibus ad mysteriorum cognitionem seipsos intrudere: sed eligitur vnus è multis diuinarum rerum capax, cui ceteri auditum cum obediētia præbeant, illud sibi credendum, faciendumque putantes, quod ab eo, qui initiatus est, audiuerint.* Non omnes, *inquit Paulus*, Apostoli sūt, nec omnes Prophetæ, nec omnes Doctores. *quod hodie in multis Ecclesiis parum seruatur. Nāmulti, cum adhuc prioris vitæ maculā non absterserint, ipsi illoti, ac amictu vitæ sordido vtentes, irrationalem sensum in omnibus pluris facientes diuinum assensum rapere audent:* vt bestiæ monti appropinquantes, lapidatione digni.

*Tertium:* Quod euocetur Moses ad cacumen. Exodi 19. 20. *Descendit* Dominus *super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Mosen in cacumen eius.*

*Quartum*: Quod appropiet Caligini. Exodi 20.21. *Moses accessit ad Caliginem, in qua erat Deus.*

*Quintum:* Quod ingressus Caliginem iterum vocetur, vt Deo fiat proximior, eumque videat, ac cum eo familiariter loquatur. Exo. 24.9. *Ascenderunt Moses, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt* Deum *Israel, & sub pedibus eius, quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cælum, cum serenum est. Dixit autem Dominus ad Mosen: Ascende ad me in montem, & esto ibi. Surrexerunt Moses, & Iosue minister eius, ascendensque Moses in montem Dei: senioribus ait, expectate hic. Cumque ascendisset Moses operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Ingressusque Moses medium nebulæ ascendit in montem; & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

Ex his liquet, Mosen, post ascensum in montem, & post ingressum in caliginem, quo significatur contemplatio pura: post colloquium etiam diuinum in ipsa nebula, & intuitum diuinæ gloriæ, quo denotatur notitia nubila per contemplationem caliginosam, vocatum esse ad accessum viciniorem in ipsa caligine: quod signum fuit admissionis in maiorem familiaritatem. Hinc autem colligitur altissima

[illegible] qua supereminens & clarissima gignitur in men-
[illegible]ctus arctissime Deo coniungitur.

## Tertia Disqvisitio. Quando, & quomodo accidat contemplatio supereminens?

RESP. Mystici, experimento, vt sibi persuadent edocti, quod in se suauissime sentiunt, vix rudibus verbis, & sat obscure depromūt: dicam tamen quam possum, ipsorum sensu, meis verbis clarissime. Admissa anima contemplatiua ad caliginem diuinam, cum in ea sit pars intellectiua, & adfectiua. Illa, quæ & intelligentia, intuetur quodammodo in nebula dilectum: sed est intuitus tam obscurus, vt intuendo non intueatur. Itaque iacere censetur ante domicilij tenebrosi ianuam, vel adyta, ibique clamore, gemitu, suspiriis, votis & repetita supplicatione postulare manifestari sibi desideratam toties faciem. Ad quam videndam dum anhelat, rapitur pars adfectiua, quæ & voluntas ad inhabitantis caliginem familiarissimum congressum, foris consistente intelligentia: quocirca eleuatur per caritatiuam Dei subleuationem supra ipsam intelligentiam. Ibi autem constituta Voluntas incipit nouo quodā pacto per incitatissimū adfectum in Deum ferri, ab illo amari vt sponsa: illum amare vt vnice dilectum: ab illo dilectionis tenerrimæ vlnis stringi: illum vicissim indicibili modo internis caritatis delicatissimæ brachiis amplecti: ab illo vt vnicam columbam osculo dignari: illum vt vnicam spem suam ori suauissimo adprimere. denique ineffabili ratione Deo purissime coniungi, necti, vinciri: in eum transfundi, diffluere, transformari: vnico verbo, deificari, non substantiæ immutatione: sed adfectus & amoris intensissimi conuersione. Sic Dilectum suum percipit, gustat, eoque fruitur Voluntas vnita Deo. Tum vero Intelligentia singulari Numinis fauore & ipsa ad superiora euocatur: adyta, ac veluti sancta-sanctorum caliginosi templi ingreditur: perdensissimam incomprehensibilitatis nubem enititur: ad ipsum Maiestatis thronum adducitur, nouis splendoribus illustratur: & quamuis velum omne à Diuinitatis vultu non subducatur: tamen ita irretorto in Deum, luce inaccessibili circumdatum, obtutu, fertur, vt nō nisi tenuissima ex cai baso translucente, aut lucernali papyro cortina inter ipsam, & dilecti faciem intercedere videatur.

Hæc est illa altissimi gradus Contemplatio tot Mysticorum expetita votis, tot celebrata encomijs, tot nominum ignotissimorum obue-

obuelata inuolucris: tot rerum variarum designata symbolis, tot expressa vel adumbrata imaginibus: toties commendata, toties descripta, toties affectu, voce, lachrymis aduocata. Quæ à nobis defectu nobilioris vocabuli *Supereminens* vocatur: à D. Bonauentura *Super-intellectualis*: a nonnullis per antonomasiam, & excellentiam *Mystica*, ab alijs *Diuina*. Sed quæ in eius declaratione, vt concessa posuimus non carent difficultatibus quæ proprias Exercitationes postulant.

---

# EXERCITATIO II.

## QVALITAS CONTEMPLATIONIS *supereminentis.*

### PRIMA DISQVISITIO. An notitia Contemplationis eminentis, quæ habetur in caligine de Deo, sit clara & euidens: An vero obscura?

RESPONSVM Mysticorum est: Esse clariorem illa, quæ gignitur per Contemplationem caliginosam: seu, quæ antecedit vnionem mysticam voluntatis, cum Deo: obscuriorem autem, visione patriæ. Itaque statui potest triplex genus notitiæ, vel contemplationis supernaturalis: alij vocant Gradus Contemplationis. Primum est obscurum: Tertium omnino clarum: Secundum participans de vtroque, seu, medium: obscuro clarius: claro obscurius. Hæc imagine declarãtur, Crepusculi, Auroræ, & Meridiei. In Crepusculo multum est obscuritatis, lux dubia, vt ambigas dies ne sit an nox. Talis est cõtẽplatio caliginosa, quã dicere cũ Sidonio possis crepusculantẽ. In Aurora lux clarior spargitur. Vnde sunt qui auroram splendorem solis existimãt: tunc enim aër, velut auro sol s aurescit. Speusippus, primum à sole lumen appellabat. Certe passim dicitur, illuxit aurora, quæ initium est diei. Hinc comparatur contemplatio super-eminẽs, in qua Deus reuelat faciem suam non denso caliginis inuolutam velo: nec omni reducta cortina, in summa claritate, sed modo quodam intermedio. Meridies, quasi medius, vel merus dies nihil tenebrarum admittit: imo nec vmbram si Sol è directo in Zenith consistens radios iaculetur. Talis est patriæ contemplatio, quam visionem dicimus & beatificantem, in qua cernitur Deus clarissime, adeo vt nec vmbra speciei

interueniat, multo minus obſcuritas fidei : nam immediate vnitur intellectui tum in ratione obiecti, tum ſpeciei, vt videatur in ſe, ſicut in ſe eſt.

Pſa.73.16. O Domine! Tuus eſt dies: & tua eſt nox: Tu fabricatus es auroram & Solem. Quod quidem allegorico ſenſu exponunt graues interpretes, de claritate Euangelij, & legis obſcuritate, quæ pronuntiant Deum, Chriſtumque: Aut de juſtis & improbis, in quibus operatur mirabilia ſua Deus, illuminando illos, iſtos à peccatis mundando. Aut de Eccleſia, quæ ſit aurora, & Chriſto, qui Sol illuminans omnem hominem: Aut de Deipara Auroræ inſtar fulgente, Chriſtoque vt Sole rutilante. Sed accommodari haud inepte poteſt ad noctem, ſeu potius finem noctis, qui eſt crepuſculum contemplationis caliginoſæ in qua Deus ſub crepera ſe luce reuelat, & auroram contemplationis ſupereminentis, in qua clarius perfectionum immenſitatem manifeſtat: & Solem, viſionis beatæ, qua clariſſime in oculos intelligentiæ incurrit.

Respondeo I. Non eſſe protſus improbabile ſecundum omnes Scholaſticos notitiam Dei, quæ eſt contemplationis ſupereminentis, eſſe quidditatiuam, & euidentem ſaltem abſtractiue. Terminos fuſe explicauimus tom. 1. de Theologia varia lib. III. comm. 28. Probatur, ſi eſt cõcedenda ſpecies aliqua cognitionis Theologicæ de Deo abſtractiue euidens : illa eſt ſane quam habet Myſticus poſt arctiſſimam cum Deo vnionem in caligine : quia hæc eſt cognitio, vt ſupponimus, altiſſima omnium, quæ in hac vita habentur, & proxime accedit ad viſionem beatam. Sed multi Theologi Scholaſtici admittunt cognitionem Dei quidditatiuam abſtractiue euidentem: vt Scotus in II. diſtinct. III. quæſt. 9 §. ad quæſtionem. Quodlibeto 14. art. 2. & quodlib. 7. art. 2. Gabriel quæſt. 1. Prologi art. 2. Mayronius quodlib. 4. vbi oſtendere conatur; poſſe dari ſpeciem, quæ repræſentet *quidditatiue-abſtractiue* eſſentiam diuinam. Idem quæſt. 15. prologi artic. II. concl. 2. aſſerit: Intellectum humanum ſupernaturaliter eleuatum, poſſe per ſpeciem aliquam infuſam cognoſcere eſſentiam diuinam ſub propria, & ſpecifica ratione: & concluſ. 4. idem docet: itemque qu. 16. ac 17.

Conſentit Ioannes Maior. quæſt. III. prologi ad quartam dubitationem : vbi multis contendit poſſe Deum communicare viatori notitiam Trinitatis quidditatiue-abſtractiuam - diſtinctam. Idem adfirmat in II. diſt. III. quæſt. 5. concl. 5. Baſſolis quæſt. 1. prologi art. 2. Sed quicquid, & §. Ex præmiſſis. Okam quoque quæſt. 1. prologi art. 5. concluſione 2. 3. 4. Denique, eſt communis ſententia Scotiſtarum.

rum. Quam adprobant ex societatis Iesu Scholasticis Ludouicus Molina P.P.quæst.1.art.2.Disp.4.& quæst.56.art.3.Concl.1. ac Ioannes Salas Pa II.quæst.3.Tract.11.Disp.3.sect.9. & Disp.5.sect.2.& Disp.6.sect.7.

Itaque tot Scholasticorum suffragiis fas est Mystico adserere, infundi à Deo Contemplanti in caligine, post felicem illam cum Deo vnionem, speciem aliquam, qua Deus Diuinaque quam plurima manifestentur clare,& euidenter, quamuis non intuitiue.

RESPONDEO II. Probabilius esse, non reperiri talem euidentiam in Contemplatione supereminente. Argumenta multa produximus Tom.1.Theologiæ variæ lib.3.Comment.28.Exercit.4.in qua probatum est Non posse communicari Viatori cognitionem Essentiæ diuinæ ac Diuinorum Euidentem-abstractiue. Esset enim Quidditatiua,& non Intuitiua, quæ seiungi nequeunt: vt ibidem est demonstratum. Quemadmodum enim visio oculi quæ fertur in albedinem inexistentem parieti est intuitiua: ita & cognitio quidditatiua, quæ fertur in Deum existentem. Siquidem hæc cognitio non aliter dependet in repræsentatione clara & euidente actualis existentiæ Dei à conuenientia actuali eiusdem existentiæ respectu Dei, quam dependet visio oculi terminata ad albedinem ab actuali existentia albedinis.

RESPONDEO III. Esse in notitia contemplationis supereminentis minorem claritatem & euidentiam, quam in visione intuitiua patriæ maiorem tamen quã vel in actu ordinario fidei, vel in assensu Theologico. Ita explico mentem Mysticorum. Quæ probatur imprimis ipsorum experientia. Viris namque religione, pietate, ac insigni cum Deo familiaritate: & nonnullis ex iis doctrina quoq; scholastica conspicuis credendum in disciplina propria arbitror: maxime cum nec absurdi quicquam, nec insolentis nimium contineat.

Deinde sunt alia, quæ licet hanc rem non omnino certam faciant, probabilitatis tamen plurimum addunt. Nam non defuerunt olim Scholastici, qui non solum Mysticam Theologiam, sed & dogmaticam Scholasticorum euidentem esse adfirmarunt. Quod licet falsum esse existimem, siue sensu Francisci de Marchia apud Okamum qu.111.prologi initio: quem tamen sequitur Carthusianus qu.1. prologi §.*contra cuius*, Theologiæ principiis euidentiam tribuentis: siue Toletani qu.11.prologi.art.11. concl.4. euidentiam in Theologia agnoscentis, quatenus procedere potest ex aliqua reuelatione tanquam conditione extrinseca: siue Iacobi Appamei Theologiam euiden- *Dio.Carth. in 3. Dist. 24.q.1. Iac. de Apamiis apud Toletan q.2. Prol.art.3.*

uidentem adſerentis ex ipſomet ſupernaturalis fidei infuſo lumine, quo veritates reuelatæ,euidenter in ſe ipſis conſpiciantur.

Reor tamen abſurditatis nihil continere ſi adfirmetur, eſſe medium aliquod lumen Theologicum infuſum,ac ſupernaturale, quo clariſſime,quantum quidem contingere poteſt extra intuitiuam viſionem Contemplatrix anima Diuina per modum ſimplicis inſpectionis cognoſcat. Hoc fortaſſe haud improbabiliter firmant ea argumenta,quibus Henricus Gandauenſis P. Parte ſummæ art. 13. q. 6. & Quodl. 12. quæſt. 12. ad 2. vniuerſe probare conatur Theologiæ communis lumen eſſe iſtiuſmodi medium.

Nam *Primo*,inſinuat alicubi Scriptura,eſſe ſcientiam quandam Diuinorum, cæleſtia à quibuſdam ſingulariter Deo dilectis clarius, quam ab aliis intelligi: eſſe notitiam quandam peculiarem quæ non omnibus conueniat. Hæc autem plus aliquid quam obſcuritatem meram innuunt. 1. ad Corinthios 12. 8. *Alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ:* vbi loquitur Paulus de Gratiis gratis datis, inter quę ſit diuinorum ſcientia,nēpe notitia admodum ſcientiæ clara. Iſaiæ 7.9. *Niſi credideritis non intelligetis.* Vulgatus legit: *Si non credideritis non permanebitis.* Priora explicans S. Auguſtinus docet quoſdam poſt fidem ad clariorem rerum diuinarum intelligentiam eleuari. *Sic accipite*, inquit, *ſic credite, vt mereamini intelligere: fides enim debet præcedere intellectum, vt ſit intellectus fidei præmium. Propheta enim apertiſſime dixit:* Niſi credideritis, non intelligetis. *Quod ergo ſimpliciter prædicatur credendum eſt: quod ſubtiliter diſputatur intelligendum eſt.* Et Tract. 39. in Ioan. *Fide præcedente, quod intelligimus ſine obſcuritate capiamus: quod non intelligimus ſine dubitatione credamus.* Epiſtola vero ſecunda ad Voluſianum inſinuat, neminem quamuis altiſſime aſſurgentem peruenire in hac vita ad claram viſionem nempe abſq; ſingulariſſimo alterius generis priuilegio: *Tanta*, ait, *non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt; verum etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrātiſſimiſq; cupiditate diſcendi, hoc contingat, quod eadem ſcriptura*, Eccl. 18. *habet*: Cum conſummauerit homo tunc incipit.

Huc etiam faciunt illa Auguſtini contra epiſtol. Manichæi, ſeu fundamenti cap. 14. initio. *Ego catholicam fidem profiteor, & per illam, me ad certam ſcientiam peruenturum præſumo.* Quæ, quamuis Durandus qu. 11. prol. num. 21. de ſcientia beata accipi debere contendat: Aureolus tamen qu. 1. prol. art. 2. paulo poſt initium, de ſcientia Theologiæ interpretatur, nec refragantur recentiores, nominatim Hieronymus Faſolus 1. p. q. 1. art. 11. dub. 11. nu. 61. Ego ad contemplationis ſupereminen-

minentis notitiam clariorem æque, vt arbitror probabiliter referenda censeo.

Sicut & illa Anselmi, quæ fortasse protulit post altissime huius contemplationis delitias, *Gratias tibi bone Domine, gratias tibi: quia, quod prius credidi te donante, iam sic intelligo te illuminante, vt si te esse nolim credere, non possum non intelligere.* Claritatem quoque maiorem quam fidei ordinariam haberi posse à quibusdam innuit Richardus de S. Victore scholastice disputans in prologo li. de Trinitate, quo loco paulo ante medium sic scribit. *Nitamur semper, inquantum fas est, vel fieri potest, comprehendere ratione, quod tenemus ex fide.* Et iterum: *Parum debet nobis esse, quæ vera sunt de æternis credere, nisi detur, & hoc ipsum, quod creditur, cum rationis attestatione conuincere.* Et lib. 1. cap. 4. initio. *Erit itaque intentionis nostra, in hoc opere ad ea, quæ credimus, in quantum Dominus dederit, non modo probabiles, verum etiam necessarias rationes adducere.* In quibus vniuersaliter dictis licet defecisse Richardum scribat Carthusianus in 1. dist. 4. quæst. 3. immerito tamen illum reprehendi cautelæ illæ satis demonstrant: *Inquantum fas est: Inquantum fieri potest: in quantum Dominus dederit;* quibus omnis arrogantiæ suspicio tollitur. Domino autem dante, & in altissimum contemplationis culmen eleuante, nihil prohibet Mysticum diuini fulgoris radiis magis quam eximios alios Theologos illustrari. *Ansel. cap. 4. proslog. fine.*

Neque hic valet, quod Henrico solet obiici. Lumen distinctum à lumine fidei & lumine gloriæ reliq. omnes Theologi in se ipsis neque viderunt, neque experti sunt, & ideo putandum est esse *omnino fictitium*, vt illud appellant Ioannes de Neapoli & Durandus. Mirum sane, neminem reperiri, qui experiatur luminis illius virtutẽ. Siquidem è Mysticis non desunt, qui claritatem Contemplatiui luminis experimento comprobant. Veteres sileo. E recentioribus Diuis S. Ignatium Loiola hoc à Deo lumine egregie fuisse illustratum haud obscure, ex vita ipsius colligitur. Is enim, vt Ioannes Petrus Maffeius refert in vita, conuersionis initio, cum cotidie maiores efficeret in solida virtute processus, mirificis rerum diuinarum contemplationibus fuit & pastus & eruditus. Nam agenti Minoressæ, nec opinanti repente diuina quædam oborta lux est tanta, tamque eximia, vt momento pene temporis, nullo Magistro, quam plurima clare perspexerit, non solum de Fidei Christianæ mysteriis, verum etiam de aliis, vel subtilissimis Philosophorum quæstionibus, atque decretis, quasi nitidissimo quodam in speculo perspicue cerneret ea quæ post multam accuratamque lectionem, maximosque labores ac vigilias vix demum solent homines intelligentia comprehẽ- *Ioan. Neap variar. q. q 18. punct. 4. §. sed hac. Dur. q. 1 in prol. nu. 12. Lib. 1. c. 7.*

dere: atque in eo cælesti prorsus intuitu, non sine summa animi voluptate diutius adquieuit.

Eodem in loco, die quodam alio subito in Deum ita rapta eius mens fuit, quasi per apposita quædam, & maxime illustria symbola Trinitatis ipsius numen augustissimum cerneret distinctum personis vnum essentia. Rursus, per significationes arcanas, & mystica quædã exempla oblatus est eius menti modus ipse, quem in huius vniuersitatis molitione summus ille rerum opifex tenuit: quas illustrationes atque doctrinas, vt omnes vires naturales excedunt, sic postea negabat Ignatius posse verbis adumbrari nedum exprimi.

Tom. III. lib. 5. par. III. ca. 4. Quocirca non dubitat scribere vir grauissimus Iacobus Aluarez, existimare se ad Contemplationis supereminentis gradũ peruenisse atque in eo multo tempore permansisse S. Patrem: qui sicut ex eius vita & multo magis ex quibusdam manuscriptis codicibus, quos legi, manifeste colligitur S^tæ Trinitatis præsentia ita clarissime illustrabatur, vt hoc genus Visionis, & perpetui amoris ipsum depascentis adsequutus videatur.

Idem adfirmare ausim de S. Matre Teresa quæ nunquam litteris consignasset tam multa, ac præclara, tum de omni alio, tum de hoc potissimum Contemplationis genere, nisi experientia illius delicias degustasset.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quale sit lumen illud supernaturale, quod à Deo datur ad Contemplationem super-eminentem?

RESPON. I. Non esse lumen Gloriæ, quod non nisi beatis datur, aut Deum cernentibus. II. Non esse lumen fidei ordinarium, quod communicatur passim fidelibus: non enim omnes, neque ex iis multi, quamuis eximij ad illum Contemplationis gradum euehuntur.

III. Non videri esse lumen sapientiæ solum. Hoc enim multi donati contemplationis summæ gratia carenr.

RESPONDEO IV. Probabiliter dici: quod sit lumen, quale fuit in Prophetis, aut illi non absimile, quo Fides, & Sapientia, in Mystico Contemplatore roboretur, magisq; perficiatur: Ratio: quia per tale lumen omnia saluari possunt, quæcunq; de contemplationis super-eminentis claritate adferuntur, & quibusdam difficultatem ingerunt. Dici potest hoc Lumen Theologiæ Mysticæ: vel Contemplatiuum.

TER-

## TERTIA DISQVISITIO. An,& Quæ species impressa concurrat ad Contemplationem super-eminentem?

RESPONDEO. Cum in Contemplatione super-eminente non videatur Diuina essentia clare: illa ipsa vicem speciei supplente, vt contingit in visione patriæ: dari oportere ad illam contemplationẽ speciem quandam supernaturalem, quæ sit medium quo, simplicissimi illius intuitus. Hæc autem species sicut per sensuum portas non ingreditur, ita nec è rebus sensibilibus educitur: nec ex formis imaginatis resultat: nec ex formis præhabitis componitur, sed infunditur diuinitus. Est vero perfectissima in suo genere, vt Deũ clarissime accuratissimeque repræsentet: modo tamen, qui à viatoribus non sit alienus.

## QVARTA DISQVISITIO. Quomodo cognoscatur Deus per Contemplationem supereminentem.

RESPONDENT Mystici. Proprium esse huius Contemplationis, quod in ea non cognoscatur Deus negando, aut remouendo ab illo aliquid, quæ cognitio exprimi solet nominibus negatiuis, vel adfirmatiuis cum particula negante; vt, Deus non est corpus; non est finitus: est inuisibilis: Neque etiam in ea cognoscatur per positionem, adfirmando, vel tribuendo illi quidpiam: vt cum dicimus, Deus est bonus, verax, sapiens, misericors: sed per illam quietissime, ac serenissime Maiestatem diuinam intuendo contempletur. Id quia mirum videri potest, exemplo sic declarant. Dum lucem oculis corporeis conspicis, nec compositionem facis, dicendo: lux non est caligo, aut, lux est qualitas: sed simpliciter in lucem oculos conijcis: haud secus anima, nihil adfirmat, nihil etiam negat cum sic contemplatur: sed tantum intelligentiæ lumen in Deum ipsum cum summa reuerentia detorquet, illumque tranquillissime videndo se pascit.

QVINTA DISQVISITIO. Quo sensu dicunt Mystici, per Contemplationem supereminentem, eum, qui contemplatur, Deum non videre: & simul, Deum videre. Nam si Deum non videt, quomodo videt? si videt, quomodo non videt? Platonicum hoc videtur ænigma.

SED expedita est RESPONSIO. Videt, quia lumine mystico, clarius, quam lumine fidei ordinario perspicit. Non videt, quia lumine gloriæ nondum collustratus intuitiue non cognoscit. Et dum videbit Deum in patria sicut est, Deum se non vidisse in via, etiam tunc cum maxime se videre arbitrabatur, animaduertet.

Exemplo id declarant Mystici ad popularem quoque intelligentiam accommodato. Est virgo naturæ dotibus excellens. illi desponsus est adolescens eiusdem sortis: sed quem nunquam illa coram conspexit. Porro antequam fidem suam illi obliget, curiosissime inquirit, cuius ille sit formæ: qua corporis statura, quo colore, è qua familia: & si habendi sit spes eius exposcit imaginem, aut è gypso, vel in plumbo simulacrum. Audit staturа esse procera, grato, ac pleno dignitatis aspectu, colore candidum & rubicundum. caput eius aurū esse optimū, comas, sicut elatas palmarū: oculos, sicut colūbas, super riuulos aquarū lacte lotas: genas, sicut areolas aromatū cōsitas à pigmentariis: labia, sicut lilia stillantia myrrhā primā: manus tornatiles aureas, plenas hyacinthis: ventrem eburneum distinctum sapphiris: crura velut columnas marmoreas, fundatas super bases aureas: speciem illius, vt Libani, electū, vt cedrum: guttur eius suauissimum: denique, totum desiderabilem.

Ex his venustatis admirandæ notis format virgo in mente imaginem (conceptum vocant) pulcerrimi, speciosissimique adolescentis: quoties a. de eo sermo incidit, aut priuatim sponsi memoriā iuuat recolere, offert sese menti elegātissima illa species, cuius intuitu suauissime se oblectat, & promptissime absque omni violento conatu, vel etiam discursus labore absentis sponsi recordatur. Venit ille interim, & spectandum se præbet: tunc animaduertit virgo effigiem animo impressam multis partibus superari à viua sponsi forma, quæ incredibiliter sit venustior, quam eam antea conceperat. Nonne de hac virgine dicere possis, quod ante sponsi aduentum eum viderit, & non

non viderit. Viderit, quo ad illam formam animo infitam, & internis obiectam oculis quæ sponsum aliquatenus repræsentabat: non viderit, quia non sicuti est, coram sit intuita.

Haud sequus, Contemplatori Mystico dum in Caligine habitat immittitur perfectissima quædam species, veluti imago Dei, ac Diuinorum, qua supernaturalia obiecta, ad eum fere modum, quo lucem corporeis oculis conspicit. Videt Monadem in Triade : & in Monade Triadem contemplatur. Videt & naturæ diuinæ communiter perfectiones absolutas, & separatim singularum personarum proprietates respectiuas. Videt omnes vnum esse rerum creatarum principium: omnes vnum finem: omnes vnum ad felicitatem præsidium. Videt quomodo Deus omnesque personæ animam inhabitent, quomodo hominem sanctificent, quomodo ad beatitudinem eligant, paulatimque promoueant: denique videt alia innumerarum ad diuina mysteria, tum ad animæ salutem spectantia, idque non successiue, sed momento temporis, quo pacto dum amicum cernimus simul vultum in eoque frontem, genas, os, labia, mentum conspicimus. Visione autem hac mirum in modum in amorem Dilecti inardescit. Sed nondum est hæc visio perfectissima, qua perfruetur anima dum lumine gloriæ perfusa, absque vllo velamine exoptatissimam faciem sicuti est intuebitur.

## SEXTA DISQVISITIO. An & Quomodo in Contemplatione super-eminente volūtas altius eleuetur, quam intellectus?

EST Mysticorum doctrina in contemplatione altissima voluntatem magis Deum diligere, quam illum intelligentia cognoscat, vel comprehendat. Quod non esse absurdum inde liquet, quod caritas, qua Deus diligitur inter virtutes principem locum teneat, & in hac vita animam proxime & arctissime Deo coniungat. Porro vniuerse poſſe quidpiam magis amari, id est, intensius, ac feruentius, quam cognosci, docet S. Thomas pª. 2. quæst. 27. art. 2. vbi disputat, vtrum cognitio sit causa amoris: & non quidem negat, vt recte obseruat Caietanus, quod maior cognitio causet maiorem amorem : sed quod maior amor, necessario exigat maiorem cognitionem. Cuius caussam hanc adsignat S. Thomas, Quia aliquid requiritur ad perfectionem cognitionis, quod non requiritur ad perfectionem amoris. Cognitio enim ad rationem pertinet, cuius est distinguere inter ea, quæ secundum rem sunt coniuncta, & componere quodammodo

ea, quæ ſunt diuerſa vnum alteri comparando : & ideo ad perfectionem cognitionis requiritur, quod homo cognoſcat ſigillatim, quicquid eſt in re, ſicut partes, virtutes, proprietates. Sed amor eſt in vi appetitiua, quæ reſpicit rem ſecundum quod in ſe eſt. Vnde ad perfectionem amoris ſufficit, quod res, prout in ſe apprehenditur, ametur. Ob hoc ergo contingit, quod aliquid plus ametur, quam cognoſcatur, quia poteſt perfecte amari etiamſi non perfecte cognoſcatur. Patet id in ſcientiis, quas aliqui amant propter aliquam ſummariam cognitionem quam de eis habent. V. C. audiuit quis Rhetoricam eſſe ſcientiam ad perſuadendum idoneam, & idcirco maximopere incitatur ad illius amorem. Et ſimiliter inquit S. Thomas dicendum circa amorem Dei.

Ratio originalis huius doctrinæ eſt diſcrimen apprehenſiuæ, & appetitiuæ potentiæ in modo operandi. Apprehenſiua enim trahit obiectum ad animam : Appetitiua tendit in ipſum obiectum vt in ſe eſt extra ipſam animam. Itaque perfectio cognitionis attenditur ſecundum modum, quo perficitur ratio: qui eſt diſtinguere etiam, quæ ſunt ſimplicia : atque ob eam rem ad perfectam boni cognitionem expetitur, & quod bonum ſecundum ſe apprehendatur, & quod diſtincte cognoſcatur ſecundum partes, proprietates, virtutes, & alia. Perfectio autem appetitus amoris, vt monet Caietanus, non exigit tot cognitiones boni, ſed prima ſufficit illi: ſcilicet, quod bonum ſecundum ſe apprehendatur, quoniam appetitus ad bonum, vt eſt, tendit. Nimirum, quia bonum perficit appetitum, ſecundum quod inuenitur in rerum natura : apprehenſionem autem ſecundum intellectus negociationem: ideo amor poteſt eſſe perfectus cognitione exiſtente imperfecta : ſat enim eſt appetitui repræſentatio illius boni, quæ non ſufficit intellectui.

Approbat eandem doctrinam ex recentioribus ſcholaſticis Gregor. de Valentia tom. II. diſput. III. punct. 2. aitque notandam eſſe pro materia de Caritate, qua Deum licet in hac vita non ſatis cognitum diligimus. Exempla manifeſtiſſima ſunt in artibus, pictoria, ſculptoria, verſificatoria, quas accidit aliquem vehementer amare licet illas perfecte non agnoſcat, ſed in addiſcendarum illarum ſtudio verſetur, aut primum applicet animum ad aliquam ex iis perdiſcendam amore incitatus, quem ex rudi cognitione percepit. Vnde S. Auguſtinus lib. 10. de trinit. cap. 2. *Quilibet ſtudioſus, quilibet curioſus non amat incognita, etiam cum ardentiſſimo appetitu inſtat ſcire quod neſcit.*

Fuſius S. Bonauentura Opuſc. de ſeptem Itiner. Æternit. Itinere 5.

te 5. Dist. 5. vbi probat esse reuelationem, vel notitiam, aut vnionem cum Deo superintellectualem: quæ pugnare videntur, quia vnio supponit intelligentiam vniti, & notitia, ac reuelatio, est ipsa intellectus functio, quomodo igitur potest esse superintellectualis?

RESPONDET Seraphicus. Obseruandum, ex mente SS^{rum} Augustini, Gregorij, Dionysii & aliorum homini à Deo donari diuersos habitus supernaturales, ad suū finē, qui est supernaturalis comprehēdendum, vel consequendum. Donati autem intellectui habitus supernaturales ad finem suum cognoscendum, Fidem, scientiam diuinorum, ac similes: voluntati vero ad diligendum, Caritatem, siue amorem gratuitum. Porro, habitus Caritatis excellit omnes habitus intellectus, vt expresse docet Apostolus 1. ad Corint. 13. vbi enumeratis actibus, & habitibus quibusdam intellectus, ac voluntatis, disferte scribit, maiorem esse Caritatem. Et docet nullum actum, vel habitum Caritatis esse meritorium sine Caritate. Item habitum intellectus aliqualiter euacuandum in patria: voluntatis autem habitum ob perfectionem sui permansuram: præfertur igitur actus dilectionis, actui intellectus. quocirca Matt. 22. dicitur, quod dilectio sit primum, & maximum mandatum. Adhæc: actui dilectionis conuenit vnire, & transformare, ex Dionys. de diuinis nom. ca. 4. hoc autem nemo proprie attribuit intellectui.

Ex his patet plane, inquit Bonauentura, quod actus dilectionis excellit, & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. Inquantum autem illum excellit, intantum eum excedit attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis ad quem actus intellectualis extendi non potest, quia superintellectualis est saltem in hac vita, quia in patria videbimus Deum sicuti est, vt dicitur Ioannis 1. 3.

Nec obstat quod dicit Augustinus: incognita nequaquam possunt amati, quia est notitia quædam non intellectualis: sed adfectualis, seu experimentalis. Vnde Gregorius exponens illud Ioannis 15. Vos dixi amicos meos, inquit, Cum adfectus discipulorum imprimuntur diuino amori fit in eis prælibatio quædam, & per consequens quædam notitia experimentalis: quia Amor notitia quædam est. Itaque non est contradictio in adiecto, cum dicitur, notitia, amor, vel vnio superintellectualis.

Cum prædictis concordat Hugo Commentator Dionysij in 7^{mum} Angel. Hierar. lib. 6. sic scribens. Intelligas, quanta est vis veri amoris & dilectionis: si tamen intelligi potest, quoniam dilectio supereminet scientiæ, & maior est intelligentia: plus enim diligitur quā intelligitur. Intrat dilectio, & appropinquat, vbi scientia foris stat. Et red-

reddit rationem, quia amor, inquit, præsumens & confidens amatō suo acumine penetrat omnia, impetum sequēs ardentis desiderii sui, nec dissimulare valens donec ad amatum perueniat: & eo ipso amplius sitiens intrare ipsum, & esse eum ipso, & esse tam prope, vt si fieri possit hoc idem ipsum sit, quod ipse. Ecce expresse dicit, quod verus amor Dei vnit Deo immediatius, quam intellectio, & quod intellectus non capit. Sic ergo talis notitia affectualis est superior intellectuali.

Cum his concordat per omnia Vercellensis super Cantica, dicens: quod affectus, & intellectus simul coambulant vsque ad nouissimum defectum intellectus, vbi habet suæ cognitionis, & sui luminis consummationem. Affectus autem adhuc continet principalia in Deum suspiria, superintellectuales extensiones, & immissiones, feruidos fulgores, & fulgidos feruores ad quorum omnium sublimes excessus, & excedentes sublimitates intelligentia trahi non potest, sed solum principalis adfectus Deo vnibilis: & hoc idem post dicit. Tanta est virtus veri amoris, & pulcri, quod non solum facit homines & Angelos excedere propriam naturam, vt in Deum ascendant: sed etiam Deum, quasi naturam propriam egredi, vt ad creaturas, quasi infra naturam suam procedendo condescendat. Et hoc, vt dicit Dionysius, audendum est dicere pro veritate, cum tamē sit inegressibilis à se, licet ipse suam immensitatem nostræ capacitati contemperet ea immutata.

Itaque non male adserunt Mystici, voluntatem, in qua est amor ad Deum magis sustolli, & eleuari quam intellectum. Hoc autem contingere in contemplatione supereminente: in qua voluntas altissima quadam eleuatione attollatur, intellectu in inferiorib. relicto: sicque arctissime voluntatem Deo vniri: in qua vnione mystica Deus ipse, qua sapidus gustari dicitur, post quem gustum sequitur in intellectu nobilissima Dei notitia. Sed hic est

## Septima Disqvisitio. Qui fieri possit, vt post prægustationem sequatur in intellectu excellentissima illa notitia?

PErsuasum id est Mysticis. quod declarant hoc exemplo. Si nunquam gustasses saccharum, audisses autem multa de illius suauitate, conceptum formares in animo dulcis edulii: sed si deinde illud palato admoueres, sentiresque eximiam quandam in sensu dulcedinem,

nem,

nem, longe perfectiorem notitiam, quam antea consequereris. Ita contingit diuina contemplantibus. Antequam enim gustent perfectiones diuinas habent quidem in animo Dei quandam imaginem, minus tamen excellentem: postquam vero spiritualem illum gustum perceperint, incredibiliter augetur, tum repræsentatiuitas imaginis, tum intellectualis inde orta cognitio.

## OCTAVA DISQVISITIO. Quasnam alias qualitates habeat contemplatio mystica supereminens?

RESPONDEO. Perfectiones contemplationum aliarum huc confluere. Docent itaque Mystici hanc contemplationem esse 1. Perfectissimam. 2. Spiritualissimam. 3. Independentem à sensibus. 4. Eam non esse in imaginatione, sed in apice mentis: nempe, gustum siue vnionem in parte suprema voluntatis: notitiam autem in intelligentia. 5. Esse tranquillissimam, in qua anima, inquit Iacobus Aluarez, non solum clare, verum & quiete Deum aspicit intra se: & non tantum feruentissime supra omnes aliarum contemplationum gradus, sed tranquille diligit, & sine strepitu proficit, admodumque ædificationis templi Salomonis proficit, in quo malleus, & securis & omne ferramentum audita non sunt. Affectus autem non turbari, aut facillime, inspecta voluntate eius, qui intus regnat ad priorem pacem componi. 6. Non admittere secum ecstases, & raptus aut rarissime, quia anima facta capacior multo maiora recipit, & tamen vsum sensuum non relinquit. 7. Vocant Mystici hanc contemplationem, admirandam Dei manifestationem in caligine. 8. Quid Deus in anima faciat dum se illi tam aperte manifestat, dicunt nec lingua explicari, nec stylo exarari posse. Nonnulla attingit Aluarez, inter quæ præcipua sunt: quod ita colligat sensus, vt vix ad necessaria se effundat: quod tranquillet adfectus: quod imaginationem cohibeat: quod cor, animamque vniuersam liquidissima voluptate perfundat. Hinc terrenorum & sui etiam ipsius obliuio: cælestium amor: firma expectatio futurorum, Dei amor feruentissimus.

Tom. III. li. 5. par. III. cap. 14.

Li. III. reg. 6. 7.

## NONA DISQVISITIO. An diuturna possit esse contemplatio mystica supereminens?

S. Thomas S. II. q. 180. articulo 8. disputans vtrum vita contemplatiua sit diuturna? Respondet illam esse diuturnam secundum se,

tum quia versatur circa incorruptibilia, & immobilia; tum quia non habet cōtrarietatem: delectationi enim, quæ est in considerando nihil est contrarium, vt dicitur Topicorum 1. cap. 13. Quo ad nos etiam vitam contemplatiuam diuturnam esse: siue quia competit nobis secundum actionem incorruptibilis partis animæ, scilicet secundum intellectum: siue quia in operibus contemplatiuæ corporaliter non laboramus. Vnde magis in huiusmodi operibus continue persistere possumus, vt Philosophus ait lib. 10. Ethico. cap. 7.

Respondeo I. Contemplationem Mysticam non posse esse tam diuturnam, citra peculiare, ac singularissimum priuilegium, vt non interrumpatur aliquando dum mortales in hac vita agimus. Est omnino certum auctoritate & experientia. Exserte Cassianus Collatione 1. cap. 13. Inhærere quidem Deo iugiter, & contemplationi eius, quemadmodum dicitis inseparabiliter copulari impossibile est homini istius carnis fragilitate circumdato. Et Collat. 23. cap. 5. Quis vnquam, quamuis præcipuus omnium iustorum, atque sanctorum corporis huius vinculis illigatus summum hoc bonum ita possidere potuisse credendus est, vt nunquam à diuina contemplatione discedens, ne paruo quidem tempore, ab eo, qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur abstractus. Qui nunquam vllam cibi, vllam indumenti aliarumq; carnalium rerum gesserit curam: nunquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellulę structione solicitus, aut opem aliquam humani concupiuerit adiumenti, aut inopiæ sterilitate vexatus illam sententiam dominicæ increpationis incurrerit. Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini? Denique ipsum illum Apostolum Paulum, qui omnium sanctorum laborem, passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter adstruimus, ipso in actibus Apostolorum discipulis attestante. Ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ: vel cum Thessalonicensibus scribens, in labore & fatigatione nocte & die operatum se fuisse testatur. Quibus licet magna eidem meritorum stipendia pararentur: tamen mens eius, quamuis sancta, atque sublimis non poterat non ab illa cælesti theoria intentione terreni operis aliquando diuelli.

Respondeo II. Contemplationem supereminentem, non posse in hac vita esse admodum diuturnam, vt non per interualla tēporum interrumpatur. Ita Scholastici, & imprimis S. Thomas Quæst. indicata art. 8. ad 2. vbi sic scribit: Nulla actio potest diu durare in sui summo. Summum autem Contemplationis est, vt attingat ad vniformita-

mitatem diuinæ contemplationis ex Dionys. ca. 1. cœlest. hierar. Vnde quantum ad hoc Contemplatio diu durare non potest. Idem repetit Quæst. 180, art. 4, ad 3. ex Gregorio Homil. 5. in Ezechiel. vbi absolute ait, quod *Mens nostra stare in cogitatione non valet: sed omne, quod de æternitate per speculum & in ænigmate conspicit, quasi furtim hoc & per transitum videt.*

Quo loco Gregorius, vt obseruat Suarez, potest videri id asserere, non tantum de summa, ac perfecta Contemplatione: sed simpliciter de toto negocio mentalis exercitationis, prout ab exteriori actione distinguitur: loquitur enim de vita contemplatiua & actiua ac de necessaria vicissitudine inter se. Quocirca subiungit postea, necessarium esse à vita contemplatiua ad actionē descendere; & ab hac rursus ad contemplationem adsurgere. *In qua*, inquit, *quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursus opera rediens suauitatis DEI memoria pascitur, & foris piis actionibus, intus vero sanctis desideriis nutritur.* Negat igitur vitam contemplatiuā posse esse longo tēpore vniformem, & non interruptam ob corporis imbecillitatem, &, quæ mentem deprimit, habitationem terrenam. Quod si verum est, haud dubie magis id obtinebit in ipso Contemplationis supremæ actu, quē in transitu, & quasi furtiue degustat, vt Gregorius ibidem loquitur. *Tom. 11. de Relig. li. 11. cap. 10.*

Cuius rei causam reddit Homil. 14. in Ezechielem sic scribens: *Anima ad contemplandum* DEVM *nititur velut in quodam certamine posita, modo quasi exuperat, quia intelligendo & sentiendo incircumscripti luminis aliquid degustat: modo succumbit quia degustando iterum deficit.*

Et lib. 5. Moral. cap. 23. *Nec enim in suauitate Contemplationis intimæ diumēs figitur, quia ad semet ipsam immensitate lucis reuerberata, reuocatur: cūque internam dulcedinem degustat, amore æstuat: ire supersemet ipsam nititur: sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur: & magna virtute proficiens videt, quia videre non potest hoc quod ardenter diligit: nec tam ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret. Non ergo stat, sed transit Spiritus, quia supernam lucem, nostra nobis Contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit.*

Eodem sensu S. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 17. *Rapiebar à te decore tuo moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu, & pondus hoc consuetudo carnalis.* Rursus lib. 10. Confession, cap. 40. eandem causam adferens huius interruptionis, grauem mortalitatis sarcinā. *Neque in his omnibus, quæ percurro consulens te inuenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec à te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit: scio, quod vita*

*ista non erit. Sed recito in hac ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degrauat. Hic esse valeo, nec volo: illic volo, nec valeo: miser vtrobique.*

Clarissime etiam Bernardus agens de hac ipsa Contemplatione lib. de Amore Dei cap. 4. *Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium in spiritu S. hoc est silentium in cælo. Quamdiu quippe sumus in hac vita hoc felicissima pacis silentio in cælo: id est in anima iusti, quæ sedes est sapientiæ, aliquando fruitur adfectus: sed hora est dimidia, vel quasi dimidia, intentio vero de reliquiis cogitationum diem festum aget Tibi perpetuum.* Denique è Mysticis Richardus lib. de Præpar. ad Contemplationem cap. 76. exponens illa verba Psalmistæ: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Rarum* (inquit) *valde est in hunc montem ascendere: sed multo rarius, in eius vertice stare, & ibi moram facere: rarissimum autem ibi habitare & mente requiescere.*

Rationibus idem constat, quas suis sententiis Patres inserunt. *Prima*, quæ & radix ceterarum. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animã: & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Sapientiæ 9.15. Non permittit igitur diu mentem in contemplationis vertice morari. *Secunda*, S. Thomæ: Nulla actio potest diu durare in summo: summum autem Contemplationis est, vt vniformitatem: id est, simplicem animi intuitum abstractum, & eleuatum conseruemus. *Tertia* sumitur ex Dionysio cap. 1. Theologiæ Myst. Vt quis adsurgat ad Contemplationem supereminentem necesse est relinquere sensus, & quę sub sensus cadunt: intelligibilia etiam omnia transcendere, ac discursum suspendere, & simplici quodam intuitu cum quadam immobilitate circa rem altissimam & maxime spiritualem occupari. Hæc autem non contingunt sine corporis molestia, sine defatigatione sensuum exteriorum, & interiorum, quibus quodammodo vis infertur, ac violenter à functionibus sibi maxime naturalibus impediuntur. Hinc non raro sensibilis in corpore debilitas, languor, defectus virium, ægritudo. *Quarta*. Intuitus Dei, ac Diuinorum in hac vita, qualis qualis, est imperfectus, cum non sit clarus, sicut in patria. Ergo intellectus illo non plene satiatur. ac proinde in eo non omnino conquiescit, saltem longo temporis tractu.

Confirmat hoc bene Francis. Suarez ex Contemplatione naturali speculatiua. Est enim perquam difficile post inuentam aliquã veritatem per discursum in simplici intuitu illius veritatis mentem conquiescere non solum longo tempore, verum etiam per horam: nisi circa veritatem cognitam & inspectam aliquid aliud anima negocietur, aut veritates alias educendo, aut deductionem priorem exami-

examinando. Sic igitur postquam intellectus ad supremum illum Contemplationis actum fuerit, hæret quidem aliquantulum in simplici illo intuitu sed haud diu, nisi nouo intelligentiæ, aut volũtatis actus circa Deum ita cognitum eliciat. Idem pronunciat de actu simplici Amoris mystici, in quo manente omnino inuariata putat mentem diu non posse consistere ac proinde necessarium esse, vt noui actus accedant, quales sunt, reuerẽtiæ, timoris casti, aliorumq; adfectuum his similiũ. Itaq; format Conclusionẽ. *Loquendo de proprio actu Contemplationis, non est possibile homini in hac vita diu in illa actione durare.*

RESPOND. III. Singulari Dei priuilegio Contemplationem supereminentẽ posse esse diuturnã. Hoc responsum est ex mente Mysticorum, qui experientia pugnant: & producunt quosdam in Contẽplationis palæstra eximios, qui diutissime in ea perseuerarint. Imo è recentioribus Jacobus Aluarez diserte adfirmat. *Hæc in Caligine perfectissima ac spiritualissima visio, non est breuis, & quasi transiẽs, sed satis longa & per multũ tempus protracta: nam mensib. & annis & vsque ad finem vitæ, non tamen in eadem intensione in aliquibus iustis solet durare. Vnde & interdum per modum habitus datur, vt anima quoties voluerit se colligat ad DEVM in interioribus suis, & Domino visione, & affectione iuncta persistat.* Ideoq; vim illius verbi Domini intelligit, quod de spiritu-sancto dixerat. *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Addit idem auctor: quando anima hanc intellectualem Dei visionem quasi ex habitu habet, & ab ea aut minus, aut magis intense nunquã discedit, tunc illam supremum gradum Contemplationis assequutam esse. Nam pro omnib. meditationibus & adfectibus, pro omnibus simplicibus intelligentiis & amoribus pro omnibus excessibus & raptibus, vnam sinceram & apertam Dei visionem, qualis esse potest in hac vita, & vnum amorem perfectissimum habet, qui omnia alia continet. Adhęc asserit, posse sic contemplantem (nisi quando hæc visio nimium intẽditur) & loqui & manibus laborare: imo & studiis vacare, & debitis occupationibus, ac negociis insistere. Quia Deus animam tam mirabili modo secum vniens, non eam impedit sed expedit: imo & ad iura animarum impellit. Subiungit etiã, se existimare S. Ignat. Loiola ad hunc Contemplationis gradum peruenisse, ac in eo multo tempore permansisse.

*Aluar. to. III. lib. 5. par. III. ca. 14.*

Accedit Thomas à IESV lib. 1. de Contemplat. cap. 10. Vbi asserit, multos longo tempore, non sine magna Spiritus suauitate in hoc genere cõtemplationis persistere. Suarez etiam, mitigans illud, quod de impossibilitate protulerat in fine disputationis ait, totum hoc negocium à Diuina gratia maxime pendere, cui nihil impossibile est: se

*Suar. tom. II. de relig. cap. 10.*

autem explicasse id,quod videtur esse naturæ consentaneum,ac proinde,ordinarium:quia gratia se accommodat naturæ,idque experientia comprobari. Qui aliquid altius expertus fuerit secundum illā experientiam loqui posse,quæ in hac re plurimum valet.

RESPOND.IV.Quamuis altissima Contemplatio ordinarie nō sit diuturna,vitam tamen Contemplatiuam longissimo temporis tractu perdurare.Hoc docet S.Thomas:& satis per se constat. Nā vita contemplatiua complectitur omnes illas mentis operationes, quæ contemplationem vel præcedunt,vel comitantur,vel subsequuntur, quales sunt, meditatio, lectio,oratio, gratiarum actio, adfectus pij, motiones anagogicæ:iucundum autem est grata quadam vicissitudine,non horas solum,& dies aliquot, sed menses etiam,annos, ac vitā totam functionibus istis tam præclaris,ac nobilibus impendere.

## DECIMA DISQVISITIO. An in Contemplatione super-eminente corporaliter Mysticus laboret?

S Thomas S.IIdæ Quæst. 180. art.8.inde etiam probat vitam contemplatiuam,quo ad nos esse diuturnā, quod in ea corporaliter non laboremus.quod de Contemplatione ipsa potissimum est intelligendum, & proportionaliter de alijs vitæ contemplatiuæ actionibus.

Sed notat Cajetanus,particulam,*Corporaliter*,non sumi, vt distinguitur contra *Spiritualiter*,hoc est,*immaterialiter*.Quoniam cōstat, inquit,sic corporaliter nos laborare contemplando in parte sensitiua ministrante intellectui, cuius signum est fatigatio in continuando, cum exinanitione quadam spirituum.Sed accipi, *Corporaliter*, vt distinguitur contra *Animaliter*, quemadmodum corpus distinguitur contra animam.Sic enim solum corporaliter laborant, qui membris corporalibus operando vtuntur, vt artifices, argricolæ & similes mechanici:Contemplatio autem fit sedendo,& quiescendo, non autem membra localiter mouendo, & ideo dicitur absque corporali labore fieri.

RESPONDEO.I. Quamuis Mysticus contemplando non laboret membris corporis, defatigari tamen etiam quo ad corpus. RATIO:Quia corpus defatigatur non solum agitatione,& laboribus localem motum concomitantibus,verum etiam attentione continua, & spirituum consumptione, quæ contemplatiuis contingit. Et hæc est

est causa,vt etiam superius diximus, cur in vita contemplatiua opus sit intermissione.

RESPONDEO II. Licet,quia in Contemplationis exercitio nō est labor corporeus,durare magis possit, quam opus aliud laboriosū: tamen ex illa ipsa radice oritur vt minus possit continuari. Explico,& probo. Negari non potest,quod à labore vacatio, sit nonnulla causa diuturnitatis in contemplando:nihil ominus,quia Contemplatio est mentis actio spiritualissima atque altissima, quod est fundamentum cur ad illam non requiratur laborcorporeus,difficilior est in illa duratio longior:nimirum,propter altitudinem illius,ac corporis grauitatem,quæ ab illa altitudine Contemplationis hominem retrahit,vt S.Thomas ad calcem Quæstionis 181. ex Gregorio docet. Recte igitur obseruat Caietanus ad quæst.180.art.8. Dū S. Doctor dicit,magis continue posse Mysticum persistere in operibus Contemplationis,id minime intelligendum *totaliter*: sed hinc aliquam diuturnitatis rationem peti posse,quæ tamen ex alio capite diminuatur.

Adde,quod,vt bene notat Suarez vitæ genus mysticæ, & contemplatiuæ magnam adfectuum moderationem ac puritatem requirat: quoniam exposcit corpus recte dispositum ad spirituales actiones, & animum pacificum, desideriis vacuum & variis phantasmatibus haud turbatum: quæ difficile est in hac mortalitatis lucta obtinere: vsu tamen, exercitatione continua,& Dei potissimum adflatu, ac præsidio, quæ homini sunt maxime ardua facillima redduntur.

MAXI-

# *MAXIMILIANI SANDÆI*

# THEOLOGIÆ MYSTICÆ

## LIBER SECVNDVS

## *CONTINENS MYSTICÆ THEOLOGIÆ Synonyma, Gradus, Adnexa, Effectus.*

TOT nominibus vtor, vt variis Auctoribus dictionem accommodem. Quod enim nonnulli Contemplationem vocant, alij synonymo vocabulo exprimunt. Id ipsum vero quibusdam est Contemplationis Gradus, quos multiplices constituunt. Ex iis autem quædam Contemplationem mysticam comitantur, tanquam conditiones, & adnexa: quædam consequuntur, vt Effectus haberi possint ac dici; aut, si mauis, Appendices, & Ornamenta.

# COMMENTATIO I.

## INTVITIO MYSTICA.

QVONIAM Contemplatio Mystica est simplex quidam veritatis obiectæ intuitus: hinc præscindendo à Contemplatione, quicquid non dicit in recto, relinquitur pura *Intuitio* obiecti, quæ censetur *Primus Gradus* Contemplationis: sed profecto non est aliud, quam ipse perfectus actus Contemplationis. Qui quatenus eam habet denominationem peculiare quidpiam designat Disquisitionibus Theologicis opportunum.

EXER-

# EXERCITATIO I.

## INTVITIONIS MYSTICÆ RATIO.

### Prima Disqvisitio. Quamobrem Contemplatio Myſtica, vocetur Intuitio?

Resp. Non idcirco, quod Deũ clare & abſq; omni velamine, & ſine medio *quo*, ſeu, ſpecie impreſſa creata intueatur Cõtẽplator, ſicut in patria Beatus. Nec enim, quemadmodũ oculis corporeis cernimus hominẽ præſentẽ cum quo loquimur, & coram agimus; ita oculo intelligentiæ videt Deum in hac vita Myſticus. Sed quia ſimplici quadam, ac clariori notitia, quam ſit vel fidelium ordinaria, vel Theologorum tum Scholaſticorum, tum ſymbolicorum communis, & abſque diſcurſu in Contemplatione verſatur: ſicque Deum quadamtenus, modò in ſuperioribus declarato, intuetur.

Eleuat enim Deus animam Contemplatoris myſtici ſupra omnem diſcurſus, & ratiocinationis laborioſæ eminentiam, & collocat, tanquam in altiſſimi montis vertice, ſeu ſpecula: in qua accenſa ſapientiæ face, illam admirandum in modum illuſtrat, vt quodammodo cernere videatur, id ad quod alij longis ratiocinationũ anfractibus non pertingunt: & tunc quoque obſcuriſſime conſpiciunt.

Huc accommodant Myſtici illud Ieremiæ 31. 21. *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulaſti.* Nam & Deus ſtatuit ſpeculam animæ ſibi familiari, dum illam in altum extollit: & ſtatuit ſibi ſpeculam anima, quoniam dilecto ſuo innixa intelligentiam ad ſublimia rerum cæleſtium ſubleuat. Ibi autem conſtituta, dum poſt Dei contuitum oculos ad ſe flectit, multa intuetur, ob quæ ponere ſibi poſſit amaritudines, quas, dum in ſe ſuſcitat in gemitus, ac ſuſpiria prorumpit: & ad viam non ſolum mandatorum, ſed & conſiliorum currendam: aut potius in curriculo, quod iam dudum ingreſſa eſt perſeuerandum magis magisq; animatur.

## SECVNDA DISQVISITIO. An, & Quomodo Deus in Myſtica intuitione cernatur?

RESPONDET Dionyſius Carthuſianus in Commẽtario ad Theologiam Myſticam Areopagitæ: cerni immediate, obiectiue ſingulari quadam claritudine licet non tanta, quanta videtur in patria. In contemplatione, inquit, ſeu viſione myſticæ Theologiæ *obiectiue* videtur, non tamen *quid* eſt, ſed *quia* eſt, per appropinquitatem grandem ad notitiam quidditatis. Verumtamen in hac contemplatione dicitur apex mentis, & intelligentiæ vertex Deo vniri tanquam omnino ignoto: & in omnimoda caligine fieri, nihilque penitus de illo cognoſcere: non quod ab illius inſpectione omnifarie vacet: præſertim, cum iſta ſit altiſſima, clariſſima, perfectiſſima, ac profundiſſima Deitatis contemplatio, cognitio, viſio huic vitæ poſſibilis, vt ipſemet M. Dionyſius, & expoſitores ipſius teſtantur. Sed quia in hac contemplatiua, & ſapientialiſſima, ac feruentiſſima vnione cum Deo mens acutiſſime, & limpidiſſime conſpicit, quam ſuper-incomprehenſibilis, & ſuper-ſplendidiſſimus, & ſuper-luminoſiſſimus, & ſuper-pulcherrimus, & ſuper-amabiliſſimus, & ſuper-gaudioſiſſimus ſit ipſe Dominus Deus omnipotens, & immenſus: atque quam infinite, & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, viſione faciali, immediate, & clare intuitiua diſtet, deficiat & occumbat.

Docet igitur Carthuſianus, & conſentiunt Myſtici, intuitione illa intelligentiam cognoſcere Deum immediate, & obiectiue: nempe, vt non cognoſcat per medium, quod habeat rationem obiecti, quamuis interueniat medium, habens rationem ſpeciei intelligibilis: quoniam Deum intuetur per formas & ſimilitudines creatas, non autem clare in ſeipſo.

Quæ doctrina impoſſibilitatis nomine damnari non poteſt: nõ enim inuoluit implicantiam, Deum repræſentari per ſpeciem aliquam creatam immediate ac obiectiue cognitione non omnino manifeſtiſſima, & faciali, & quantum ad *quia*: & ſecundum aliquod quantum ad *quid* eſt, non omnino perfecte, ac diſtincte.

Imo S. Thomas Commentario in Boëtium de Trinitate iſtiuſmodi cognitionem admittit, & in ea tres gradus conſtituit. Vt primus, ac ſummus ſit: quando cognoſcitur obiectum non ſolum quoad quia, ſed etiam quoad quid, aut perfecte, aut confuſe & ſolum in genere. Aliquando enim cognoſcitur ſolum ſecundum prædicata genera-

neralia: vt cum de homine cognoſcitur, quod ſit animal. Aliquando vero ſecundum ſpecialia ac propria; vt dum homo cognoſcitur per genus & differentiam: ſeu per definitionem. Volunt itaque Myſtici, quod per intuitionem cognoſcatur Deus non tantum quoad *quia*: ſed etiam quoad *quid* loquendo de cognitione quidditatiua vniuerſali ac confuſa: quæ tamen proxime accedat ad quidditatiuam perfectam, cum ſit altiſſima, ac profundiſſima, quæ de Deo hac in vita habetur.

---

# EXERCITATIO II.

## *QVALIS SIT MYSTICA INtuitio.*

### TERTIA DISQVISITIO. An intuitio Myſtica ſit cognitio intuitiua?

DE re ipſa conſtat ex hactenus diſputatis: de nomenclatura ita decernit Carthuſianus. Si cognitio intuitiua dicatur, qua res in ſe ipſa, & quoad ſuam quidditatem cognoſcitur, mentaliterque videtur: Dicendum eſt: quod Deum non valemus in hoc ſeculo intuitiue cognoſcere. Si autem loquendo extenſius dicatur intuitiua cognitio: dum quid obiectiue cognoſcitur, & quoad eſſentialia ſua, ſeu propria ſibi, quamuis nõ clare, ac diſtincte ſecundum quod in ſe ipſo eſt, poteſt dici, quod in vita hac cognoſcimus Deum etiam intuitiue quoad quia eſt, non autem quoad quid eſt, niſi valde obſcure, & imperfecte. Nihilominus diſtinctam de Deo habemus: ita, quod multa de ipſo cognoſcimus, quæ ei ſoli conueniunt: vt quod eſt eſſe increatum, independens, purum, perfectum, & penitus ſeparatum, quamuis ignoremus, quid hoc ſit. *Comm. in Theo. Myſt. Dionyſ.*

Hinc ſuper librum Boethii de Trinitate Thomas fatetur: De nulla re poteſt ſciri an eſt, niſi aliquo modo ſciatur de ea quid eſt, aut perfecte aut confuſe ſecundum Philoſophum initio Phyſic.

Ex his quoque apparet dicendum: quod vltro, & præter notitiam Dei experimentalem, affectiuam, & myſticam, haberi etiam poteſt iam de Deo notitia intellectualis myſtica abſtractiua, & abſoluta: abſtrahendo ipſum eſſe ab omni prorſus imperfectione, accipiendoque illud cum omnimoda excellentia, nobilitate, & perfectione,

ac perfectionali infinitate. Queadmodũ ẽt Alphorabius, & Auẽ-pace dixerunt, q́ intellectus noster cognoscẽdo quidditates sensibiliũ, ac materialium substantiarum, abstractissime cognosceret quidditatem substantiæ separatæ. Quorum tamen opinio fuit non vera, quia ex tali sensibilium abstractissima cognitione non sciretur propria & vltima differentia cuiuscumq; separatæ substantiæ: quemadmodum etiam ex prętacta Deitatis abstractiua contemplatione non agnosceretur quidditas esse Diuini.

Docet igitur Dionysius & cum eo reliqui eius disciplinæ magistri, Intuitionem Mysticam, non esse proprie cognitionem intuitiuam: si per intuitiuam intelligatur, qua res in se ipsa, & quoad suam quidditatem perfecte cognoscitur. Quod si intuitiua cognitio laxius sumatur pro ea, qua obiectiue res cognoscitur, & quoad essentialia, seu propria sibi, quamuis non clare, & distincte, secundum quod in se ipsa est, posse dici intuitiuam.

## QVARTA DISQVISITIO. Quomodo fieri possit, vt per intuitionem Mysticam, contemplator, obiectiue, ac intuitiue Deum cognoscat, nec tamen perfecte, ac secundum se totum videat?

RESP. Cum Deus sit Sol iustitiæ, concipiatur instar solis, quẽ oculis corporeis intuemur. Huius a. varia est illustratio: nũc maior, nũc minor: aliquando se totum videndum exhibet: nonnunquam per densam nubem radium mittit: interdum per raram aliquam nebulã lucis plusculum spargit. Quod naturaliter facit Sol, voluntarie Deus efficit. Quandoque luminis aliquid, sed minimum in animam sibi familiarem iaculatur, vt eam ad dilectionem sui alliciat: alio tempore amplius, & tanquam conglobatos radios in spirituales oculos traiicit, quibus & cor ad amoris incendium inflammatur, & sponsi amplexus ardentissime amica mens concupiscit: quandoq; immensitas illa lucis incomprehensibilis obtutib. sese offert, & non radios sed se ipsã quodammodo oculis intelligentiæ insinuat: sed tantæ claritatis minime capax mens mortalis, quippe lumine gloriæ nondum roborata, stupet, hæretq; attonita. Contemplatur tamen eminentissimo quodammodo præsentem, ac quadam tenus intuetur, indistincte tamen, ac velate, non tam tenebris, quam lumine: licet hoc ipsum lumen sint tenebræ. Tunc igitur dicitur DEVM obiectiue, & intuitiue, vt status morta-

mortalitatis patitur, DEVM cernere, non tamen perfecte ac secundum se totum.

Declarant id Mystici istiusmodi exemplo. Si contractis inter absentes sponsalib. spōsa spōsi aduentu ardentissime ac cōtinue expeteret: deinde vero etiam precibus, lachrymis, gemitibus & epistolis cotidie perurgeret, vt quā citissime fieri potest eius præsentia frueretur, ac amori satisfaceret: tādē si post longas molestissimasq; moras, si post tot supplicatiōes calamo signatas, post tot suspiria ad dilectū trāsmissa, inexpectato spōsus adueniret, sed nō omnino detecto vultu: ea tamē de se documēta daret salutādo sponsā, consolādo, osculando, amplexādo, vt nullū amplius posset esse dubiū, aduenisse illū tanto tempore exoptatissimum. Porro in hoc euentu diceretur sponsa sponsum obiectiue cognoscere, imo intuitiue, coram, præsentialiter: gustare etiam illius suauitatem, frui amplexu, iungi osculo, vniri dilecto: non tamen plane, pleneque, non perfecte, non distincte oris lineamenta perspexisse.

In hunc fere modum, Deus animarum puritatem, ac eius familiaritatem ambientium Sponsus, post vota, obsecrationes, suspiria, prosilit aliquando repente, & se gratiosissime videndum præbet: sed amictus lumine sicut vestimento, quo reuerberata mens, an etiam exoculata? certe obtenebrata, quem cernit, haud cernit: cernit obiectiue, non cernit facialiter, clare, distincte, perfecte: vti cernet, quando reuelata facie, per seipsam in patria oculum intellectualem, cœlesti confortatum lumine afficiet. Sic tamen obscure visus aufert omnem à sponsa ambiguitatem, vt se esse non dubitet; eamque consolatione spirituali replet, eam exosculatur, illi se infundit, & arcano nexu vnitur. Tunc voluntas amore sponsi inardescit, ineffabili quodam gaudio perfunditur, tranquillantur in ea passionum motus, exultat, iubilat, pene extra se rapitur, aliaque sentit, quæ vt iucundissima sunt diuinitus illustrato, & internam suauitatem degustanti, ita humano censentur ineffabilia eloquio.

## QVINTA DISQVISITIO. Per quam speciem fiat Mystica Intuitio?

RESP. Ad Mysticam intuitionem concurrere speciem, quæ conducit ad Contemplationem, à qua intuitio non differt. De ea autem actū est in superiorib. & probatum: Ad Contemplationem conferre species triplicis generis. Primi sunt, acceptæ à rebus sēsibilibus, quas imaginatio recondit, & respicit phantasia quādo intellectus contemplatur,

platur. Sic Deum intuemur vt lucentissimum Solem, splendidissimum ignem, pulcherrimum hominem, quæ dum oculis corporeis vidimus transmiserunt speciem ad sensum interiorem, & phantasma dicitur, quod intelligens speculatur: id est circa illud intelligentis imaginatio negociatur. Secundi generis species, non sunt immediate à rebus sensibilibus acceptæ, sed ex harum speciebus elicitæ, vel compositæ. Coniungit enim animus, quæ separata sunt, & instar vnius cogitat, vel apprehendit, quo pacto montem aureum imaginamur. Elicit etiam & confingit noua simulacra rerum nunquam visarum: quod in naturalibus manifestum est: in supernaturalibus vero ac cœlestibus, Deus Angelorum plerumque ministerio idem in anima præstat, nouas similitudines formando, aut antiquas connectendo: sicq; mentem ad diuina contemplanda eleuat. Tertii generis sunt species diuinitus immissæ, seu infusæ, quibus ad modum Angeli cognoscit Contemplator, phantasia otiãte, vel in aliena distracta. Quod contingere in Contemplatione pura, caliginosa, & super-eminente ex Mysticorum sensu, non refragantibus Scholasticis demonstrauimus.

At enim, quomodo poterit species aliqua Deum immediate obiectiue repræsentare, cum species vel debeat esse immaterialior, vel æque immaterialis, ac res ipsa quam repræsentat? ob quam causam negari solet species beatis ad visionem fruitiuam patriæ. Debet quidẽ aliqua esse proportio inter repręsentatiuitatẽ speciei, ac repręsentabilitatem obiecti, maxime, quando obiectum debet cognosci clare & perfecte, non requiritur tamen ad omnem speciem, vt tanta sit eius spiritualitas, & immaterialitas, quanta est obiecti, & tunc præsertim, quando non procedit ab ipso obiecto, nec causat visionem intuitiuam, quæ hic locum non habet.

COM-

# COMMENTATIO II.
# SECESSVS MYSTICVS.

HVnc tanquam secundum Contemplationis gradum nominant aliqui, quem recte dixeris Solitudinem, Eremum, Collectionem Mysticam: vel Ingressum ad interiora, seu solitudinem.

---

## EXERCITATIO.

## *ARCANA SECESSVS MYSTICI.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quid sit Secessus Mysticus?

RESPON. Est animæ contemplatiuæ, omniumque eius potentiarum ab exterioribus auocatio, & ad interiora collectio. Itaque dum anima, veluti recens ab ortu, neque per sensus exteriores diffunditur, aut euagatur: neque interiorum phantasmatibus attendit aut distrahitur: neque rem corpoream vllam pensi habet: sed sibi tantum Deoque vacat, secessisse dicitur, & esse in solitudine mystica.

### SECVNDA DISQVISITIO. An quilibet ad interiora ingressus sit secessus Mysticus?

RESPOND. Nequaquam. Sed ille tantum, qui fit singulari Dei auxilio abducentis repente animam, ab omnibus, quæ circumstant, illamque distrahunt. Explico, Bifariam potest anima se colligere, vt apud se habitet, *Primo*: propria diligentia, & conatu. Hic autem secessus, potest esse mere naturalis, quem agnouerunt Philosophi, & procurarunt, ac celebrarunt Mortis nomine. Hoc enim sensu accipiendum est illud Platonis in Phædone, quod refert Cicero 1. Tusculan. Et Hieronymus Epist. ad Heliodorum. Tota Philosophorum vita, est θανάτου μελέτη: *Commentari Mortem*: nimirum, conari quam longissime animum à corporei sensus vsu abducere: seu *secedere*.

Ita

Ita exponit sensum Magistri Porphyrius. Siquidem Vna Mors, inquit, vulgo cognita est, cum corpus ab anima soluitur: altera Philosophorum, cum anima soluitur à corpore: siue ab illo, eiusque sensibus auellitur. Et Macrobius: Animalis, hoc est, hominis duas asserit Mortes Plato, quarum vnam Natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur, cum anima corpus relinquit solutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cum anima adhuc in corpore constituta corporeas illecebras, Philosophia docente, contemnit, & cupiditatum dulces insidias, reliquasque omnes exuitur passiones: quod fieri nequit, nisi auellatur à sensibus.

*Stob. Ser. 15.*

*Macrob. li. 1 in som. Scipi. cap. 13.*

Idem autem Secessus aliquando non naturæ solius viribus contingit cum communi concursu, sed Deo peculiariter opitulante, & conatibus nostris fauente. Quo pacto secedunt, qui Meditationum exercitationibus animum excolere solent, quamuis ad Contemplationis subtilitatem non pertingant. Rebus enim externis valere iussis, & sensuum externorum functionibus, quantum fieri potest impeditis, vt eo liberius anima Deo vacet: mens omnes potentias aduocat, & in medio sui quodam modo constituit, euagari eos non permittens.

Hic secessus est proprius Christianorum, salutem amantium & Dei familiaritatẽ ambientiũ, frequẽs primorum fidelium: quorũ illa vox, quam Pallio tribuit Tertul. *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo: nihil officio aduigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria obseruo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, caussas non elatro, non iudico, non milito, non regno.* SECESSI *de populo. imo vnicum negocium mihi est: nec aliud nunc curo, quam ne curem. Vita meliore magis in* SECESSV *fruare, quam in promptu* (hoc est in publico) *Errat olim ista sententia Nemo alij nascitur: moriturus sibi. Certè ad Epicuros & Zenonas ventum est: Sapientes vocas totum* Quietis *magisterium, qui eam summa, atque vnica voluptatis nomine conseruauere.* Quibus verbis Tertullianus attribuit his Philosophis, quod *Quietem* pro summo bono habuerint, ad quorum instar meliorem contendit vitam in *Secessu*, quam in promptu.

*Tertul. de Pallio.*

*Secundo:* Secedit anima, ac se colligit, Deo illam ad solitudinem rapiente, ac transportante. Euenit enim nonnunquam, vt homo diuinæ familiaritatis, dum vel legit, vel cõmentatur, vel quidpiã agit, vel solitarie obambulat, vel in herboso strato sedet cõtemplans cælestia, vel, quod rarius, in aliorum est consessu tractans seria, vel quidpiam audiens quo maxime capitur: imo mensæ assidens aut recreationi intentus, momento rapiatur anima, vt nec quid dicatur, nec quid agatur, nec quid commentetur attendat: sed intra se collecta, sensus omnes

mnes ad interiora conuertat vni Deo vacans. Et hic proprie est Secessus mysticus. Per quem Deus, eius princeps & singularis causa dicitur Regnum suum intra sibi carum constituere, iuxta illud Christi Domini: *Regnum Dei intra vos est.* Sic etiam dicitur Deus animam dilectam ducere in solitudinem, vt est apud Prophetam. Atque ita sapientia æterna, postquam in Perfectionis amante ædificauit domum, in qua ipsa simulque Pater ac Spiritus-sanctus mansionem faciant: postquam excidit columnas septem virtutum: quarum tres Theologicæ: quattuor Morales, quibus tanta spiritualis ædificii moles incũbat: postquã immolauit victimas cælestiũ adfectuũ ac desideriorũ, faciens animam postulare gemitibus inenarrabilibus, illamque ad laudes Deo canendas, agendas gratias, congratulandum, similiaque deuotionis officia incitans: postquam miscuit vinum consolationis, temperatum desolationis aspergine: postquam mensam posuit eucharisticam, cui frequenter accumbit, mittit ancillas suas: inspirationes nempe internas, vt vocent sensus externos, & internos: animæ quoque vires, ac facultates omnes ad arcem cordis, & mænia ciuitatis: scilicet, ad interiora, & velut adyta, quibus sanctitas continetur. *Luc.17.21.* *Ose.11.14.*

## Tertia Disqvisitio. An Secessus Mysticus fiat cum libertate?

RESPONDEO: Negatiue. Declaro. Duplex est Secessus Christianorum. Alter, quando quis subducendo se à turba, & secedendo in abditum aliquem locum, mediis omnibus qua naturalibus, qua supernaturalibus, nihil audiendo, tenebras inducendo, visum cohibendo, sensus omnes artissime constringendo, meditando, orando, legendo collectionem procurat, & cogitationes, adfectusque omnes in vnum cogit, ac cordis penetrali includit. Et hic est voluntarius, ac liber, paraturque, Deo opitulante, propria industria. Alter, Deo immediate auocante, & facultates omnes externas quodammodo constringente, atque à sensibilibus auellente vt illas in cordis conclaui compingat, ibique detineat. Hic autem est Mysticus, & potest quidem per intentionem præcedentem, ac desiderium esse voluntarius, non est tamen in potestate humana, & consequenter nec liber. Fit enim in nobis, vti de Gratia dicitur, sine nobis: id est, nobis, non libere operantibus.

Ad priorem hortatur Dominus, & nostram diligentiam exigit. Idcirco enim monet, vt orantes intremus in cubiculum nostrum, & *Matth.6.6*

clauso ostio oremus Patrem in abscondito. Vbi, Cubiculum, sensu literali, verum cubiculum significat, vt interpretatur in Matthæum Theophylactus: & Chrysostomus Homil. 8. in Epistol. primam ad Timotheum, & ex iis Maldonatus. Collectionem igitur sensuum ac cogitationum, & adfectuum: vno verbo, secessum curari suadet. Quo spectant Cubiculi illius significationes mysticæ, seu allegoricæ, quas Augustinus Hieronymus alijque auctores adferunt.

Augustinus sane, Cubiculum Cor esse ait, in quod vires corporis & animæ compellendæ sunt, ac continendæ: ex illo vero, magna cum intentionis puritate, & adfectuum sinceritate ad Deum preces fundendæ. Sed prius claudendum esse ostium cordis, tum vt cogitationes collectæ per secessum non dissipentur: tum, vt alienæ non ingrediantur. Quæ, inquit sunt ista cubicula, nisi ipsa Corda? parum est intrare cubicula, si ostium pateat. Et S. Cyprianus lib. de Orat. Dominica: Nihil in oratione animus quam id solum cogitet, quod precatur: claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat. Quo
*Isa. 26. 20* spectat & illud Isaiæ: *Intra in cubicula tua, claude ostia super te, abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio.* Quibus verbis Propheta populum hortatur, vt ad sepulcrum se conferat, perinde atque ille, qui cubiculum dormiturus ingreditur: is enim clauso ostio, modico tempore sic requiescit in tenebris, vt tandem post somnum, orto sole, lucem iterum videat. Nos mysticam significationem captamus, vt moneatur vocibus diuinis obsequens Dei populus secedere in sepulcrum quietis & dormitionis mysticæ, ibique commorari: hoc est in cordis penetrali sese abdere: ac ostium circumspectionis claudere: & inibi ab omni externorum tumultu liber agere: idque ad momentum (quantillum enim temporis est, quo possit in hac vita durare feria ac seuera recollectio?) donec à tabo & puluere terrenorum adfectuum Contemplantis anima se vindicet & expediat: quibus communi generis nostri conditione, ob peccatum, quod indignationem Dei prouocauit est obnoxia: vel donec pertranseat hostium animæ puritati perpetuo insidiantium indignatio: quæ in hoc secessu luditur.

Vt hunc secessum quæramus, Dei Filius, licet illo minime indigeret, semper, vel in mediis turbis solitarius, exemplo etiam docuit, orationis gratia secedens in solitudinem, & montium remota petens: noctem etiam eligens tempus quietum, & contemplationi aptissimum, vltimo autem tempore, vt plenissimum secedendi documentum suis relinqueret, non solum vrbem amicam deseruit, agrum, hortumque adiit: sed auulsus quoque est non tantum à cætu Apostolorum:

lorum:sed à tribus etiam illis cariſſimis ad iactum lapidis: Hunc Seceſſum imitantur,qui Meditations cubiculo incluſi,vt exercitiis ſpiritualibus vacent, rerum omnium abdicatione, aliorum conſortio tantiſper excluſo,& inductis oportune tenebris alijſque ad idem idoneis modis ſolitudinem in ampliſſimis licet religioſorum domibus inueniunt.

In eo autem,cum procul negocijs, ſeiuncti ab hominibus tam animo,quam corpore,curis temporaneis abire iuſſis, & ſenſibus intro reuocatis,ſoli cum Deo negociari peroptant, repente nonnunquam,ſeu in ipſo Meditationis feruore,ſeu dum corpuſculum neceſſario refocillamento ſubleuant,ſeu dum inambulant,ſeu dum humi ſtrati laſſis membris ſolatij nonnihil indulgent:ſeu dum taciti cælum aſpiciunt:ſeu dum menſulæ accumbunt ſumpturi cibum, attactu diuino ſe commoueri ſentiunt,& alio quodammodo tranſportari;ac perfectius ſecedere. Quod non propriæ debetur induſtriæ, nec præcedentibus diſpoſitionibus, aut præparamentis:quæ plurimi exactiſſime perficiunt,nec tamen ſeceſſum hunc impetrant,ſed diuinę benignitati,huic potius,quam illi hanc gratiam exhibere volenti:cauſſam curioſius noli ſcrutari,ſi non vis errare,Hic autem eſt *Seceſſus* vere *Myſticus*.

Qui exemplis confirmari poſſet,quam plurimis: ſed me oblectant potiſſimum domeſtica. S.tum Ignatium ſcimus Conuerſionis initio non ſemel ita diuinitus abreptum. Primo quidem,cum inuiſurus ſacrā ædē mille fere paſſus Manreſa procul,in Rubricati amnis ripa conſedit,ore conuerſus in aquas, contemplabundus. Tunc enim ita ſedenti diuina lux repente oborta à ſenſuum, phantaſmatumque externis ludicriſque ſimulacris abſtraxit,& admiranda quadam Diuinorum notitia impleuit. Quod iterum accidit Manreſæ cum in gradibus templi Dominicanorum horarias Matris Virginis preces percurrens, mente in ſublimē ſenſim contemplationem fuit abductus. Tertio demum cum in valetudinario à ſenſibus auocatus octiduo integro in ſeceſſu hoc manſit,quod alibi eſt referendum. *Orland. Hiſt.lib.1. Num.22.* *Num.27.* *Num.28.*

Excellens hoc dono,vt multis alijs videtur fuiſſe B. Aloyſius Gōzaga,de quo ſic familiaris illi, poſtea vitæ ſcriptor. Quocumque ſe ferret,nunquam præſentis,& ſua omnia arbitrantis Dei memoriam deponebat: Dei autem amore ſic flagrabat, vt ſiue à legente ſuper menſam, ſiue à ſermocinantibus eius mentio fieret, e veſtigio mens ei cœleſti voluptate diffflueret, palamque eius ſignū daret toto vultu inflammato,& loquendi facultate tantiſper inhibita. Id cum alias euenit,tum aliquando inter menſam, cum neſcio quid dē diuino a- *Lib.1.vitæ cap.8.*

more legi audiſſet, ſubito ſenſit ex intimo pectore, velut flammam erumpere, cuius vi ab edẽdo ceſſare coactus eſt. Ea res nos, qui eandẽ menſam circumſedebamus, aduertit. Ergo rei ignari, ac veriti, ne grauiter adfectus eſſet, intenti in eum oculos defigimus: interrogamus, ſatin recte haberet. Ipſe, qui tunc quidem nullum verbum facere poſſet, ſeque deprehenſum eſſe ſentiret, tanto magis verecundatus, oculos deijcere: lachrymæ prorumpere: facies ardere: pectus ſic intumeſcere, vt eſſemus in metu, ne qua eius vena rumperetur: omnes ipſius miſeratione commoueri. extrema tandem menſa pedetentim ad ſe rediit.

Erant, quibus hæc cum eſſent cognita, vt erubeſcentem viderent, de induſtria in ſociorum circulis ſermones de Dei in humanum genus caritate inferebant. Alij contra, ne quam corpore aut moleſtiam, aut noxam conciperet, huius generis colloquia interrumpere ſtudebant. In exedris & ambulacris ſpacians, tam longe animum abducebat à ſenſibus, vt eum dedita opera ſalutandi cauſa præteriens ſæpe fefellerim.

lib. 4. De Franciſco Borgia Contemplationis gratia in paucis exornato, vt reor, ita refert Petrus Ribadeneira, & ex eo Andreas Schottus. Si colloquium inuito eſſet cum exteris hominibus quibus non ſaperet Chriſtus, ſermonem illis tacitus relinquebat: ipſe colligere ſeſe, vt in SECESSV verſari locoq; abdito videretur: animo Deũ præſentem appellabat, rogabatq;. Diſcedentes vero interrogabat: Num quid vellent? cum tamen multa ab illo poſtulaſſent, quæ diuinis cogitationibus intentus minus intellexiſſet.

Cum ita interdiu aſſidue ferme apud Deum eſſet, tum vero tranquille maxime & libere cum eodem verſabatur poſt mediam noctis horam, quo tempore extra ſe rapi videbatur, vt quinque ſex-ue horas momenti inſtar iudicaret, ſurgeretque ignibus quaſi inflammatus.

Extra ſe non raro poſitus videbatur, vt corpore quidem præſens, animo vero in cælis verſaretur. Si qui altiore voce contenderent, nihil mouebatur, atque adeo à re qua de ageretur alienas interdum ingerebat præſertim ſi profanus ſermo, deque nihili re iniectus eſſet. Omne tempus perire exiſtimabat, quod non aut Deo, aut rebus ad Deum pertinentibus tranſigeretur.

Placentinus Epiſcopus ſalutandi gratia Franciſcum inuiſerat. Hic in medio ſermonis curſu adſurrexit, & quaſi honoris gratia deduceret, deſcendebat Epiſcopus vero cum Antonio Araoz, qui tum forte aderat relictus, facile, quod res erat, mente diuina agitari Franciſcum,

cifcum, ac rapi ad SECESSVM obferuabat. Similia non pauca, & magis mira, aliorum fiue Monachorum, fiue Anachoretarum vitæ dabunt, & imprimis, S.ᵃ Marris Therefiæ.

Adiungo tamen, doctrinæ vberioris gratia, vtriufque generis exempla nonnulla magis rara.

D. Hieronymus fpiritalis contemplationis ingentem, & admirandam haufit dulcedinem in eremo, familiari ipfi feceffu, quem amabat, vt eo intentius diuinarum rerum confiderationi vacaret. Et fuit fane indulgens in Hieronymum Deus, qui quoniam fponte fe auocabat ab exteriorum commercio, euocabatur frequenter ad cælitum contubernium. In eo quippe libro, quem de virginitate feruãda edidit: *Poft multas*, inquit, *lacrymas, poft cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus, gaudenſque cantabam:* Poft te in odorem vnguentorum tuorum currimus. Hieronymus intereſt agminibus Angelor.

Idem ad virgines Deo dicatas fcribens fi tamen is eft Hieronymus, & non alius quifpiam vt notaui tom. 1. Theolog. libr. III. comm. 9. quifquis tamen fuit, Myfticeshaud ignarus, ita illas ad Seceffum myfticum, & in eo delitias hauriendas, exftimulat. *Experto ſeni deuote conſulenti credite, filiæ, ſi ſemel guſtatis, quam dulcis eſt Dominus ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo vero electum poteritis ab eo illud audire:* Venite, & oftendam vobis omne bonum. *Et tunc oſtendet vobis talia* qualia nõnifi mentes affuetæ norunt. Scio quid loquor, cariffimæ. Nam vt meam infipientiam loquar: ego homunculus fic abiectus, fic vilis in domo Domini adhuc viuens in corpore Angelorum fæpe choris interfui, de corporeis per hebdomadas fuftentationibus, & nutrimentis nihil fentiens diuinæ vifionis intuitu abforptus. Poft multorum forte dierum fpacia præfcius futurorum, redditus corpori flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inenarrabiliter delectationis fentiebam, teftis eft ipfa Trinitas, quam cernebam, nefcio, quo intuitu. Teftes funt & ipfi B. fpiritus, qui aderant. Teftis eft etiam confcientia mea, quod tantis bonis ipfe fruebar quot & qualia nefcit proferre mollities corporis mei.

Denique fubiungit, neceffitatem Seceffus fpontanei indicans: Non poteft ad tantæ contemplationis dulcedinem cor fecularibus plenũ negociis adfpirare: fed oportet, feculo vt moriatur, vt foli Deo per tantas meditationes, & defideria fupernis inhæreat.

De B. Francifco ita fcribit Bonauentura. Vir Dei folitarius remanens, & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca fpargebat lacrymis, pectora manu tundebat, & quafi occultius Secretarium nactus confabulabatur cum Domino fuo: ibi refpondebat iudici, ibi S. Bonau. in vit. c. 10.

 fuppli-

ſupplicabat patri: ibi colloquebatur amico, ibi quoq; fratribus ipſum pie obſeruantibus aliquoties auditus eſt clamoſis gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quaſi coram ſe poſitam Dominicam paſſionem. Ibi viſus eſt nocte orans manibus admodum crucis protenſis toto corpore ſubleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, vt illuſtrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet. Ibi etiam, ſicut certis eſt comprobatum indiciis incerta ſibi & occulta diuinæ ſapientiæ pandebantur, quamuis illa non vulgaret exterius, niſi quantum Chriſti vrgebat charitas & proximorum vtilitas exigebat. Dicebat enim: Icui mercede rem impreciabilem contingit amitti, & illum, qui dedit ad non dandum iterum, facile prouocari.

*Laurentius Dublinenſis Sur. vit. ca. 7.* Quantus Myſtici Seceſſus amator fuerit Laurentius Dublinenſis Epiſcopus conſtat ex viri S. Vita, in qua ſic lego: Laurentius in ea concauitate quam S. Coenginus ſuis manibus effeciſſe dicitur, perſæpa latitans contemplatiuis delitiis illic deuorus perfruebatur, de corpore ſuo minime ſolicitus. Sed tamen in multa neceſſitate ei deeſſe nolens ter tantum in hebdomade ei panem & aquam, interdum etiam olus illi præbebat, tanquam alter Moſes contemplationis diuinæ ſuauitate refectus. Ibi ergo morans per quadragenas hominum non admittebat frequentiam, niſi Abbatis nepotis ſui, qui ei cibum, quem diximus ſubminiſtrabat, ad eumque cauſſas & negocia populi, & ad populum S. Sacerdotis reſponſa atque conſilia referebat. Erat autem acceſſus ad eum per ſcalam, cuius ima pars in aqua figebatur, ſuperior tenebatur ad rupem.

*Ex Anonymo Surius tom. 5. oct. 19. vita ca. 9.* Illuſtre quoque huius rei exemplum reliquit S. Aquilinus Epiſcopus Ebroicenſis, qui gregis paſtoralis cura ſuſcepta, ſpeculator effectus, prolixius vigilabat, atque in preces incumbens contemplationi dabat operam. Vt autem liberius poſſet contemplationi vacare, non longe à muro ciuitatis, ab Eccleſia vero centum paſſuum ſpacio elegit cellam, ibique ſecretum, q; propter paſtoralis curæ inquietudines amiſerat, repetens, animarũ cauſſas & negocia tanto curabat melius, quanto plus corporum declinabat: magis proficiens in iis, quę ad populi cauſas attinerent, orando, quã poſſet concionando. Eſt enim hoc peculiare electis ſemper optare ſecretum, quemadmodum reproborum eſt, optare turbas, & tumultus.

Hunc Seceſſum inueniebat Elzeanus Comes Arianus in vulnere lateris Chriſti, in quo vt quæreretur, ſcribebat vxori ſuæ Delphinæ,

næ, sciscitanti, dum in monte Pessulano ageret, vbi nam tam diu moraretur.

S. Genouefa Virgo Parisiensis ab Epiphania ad cænam vsque Domini in cella recludebatur, vt & orando, & contemplando Deo expeditius incumberet. Ad cuius ostium cũ puella venisset, vt quidnam illa faceret, per rimas exploraret, è vestigio lumen amisit: sed exacto quadragesimali ieiunio, eiusdem opera lucem recepit. *Sur. 27. sep ex Anonymo in vita*

Adeo etiam secessum sacrum adamauit Hugo Linconiensis Episc. vt singulis annis minimum semel æstiuis vacationibus ad monasterium Vinctamiense se conferre soleret: vbi diuinis contemplationibus vacabat. Quod in societatem deinde sub *titulo exercitiorum* spiritualium est introductum, & decreto sancitum. *In eius vita cap. 13.*

Ante quod primis religionis eiusdem temporibus dignus admiratione fuit Franciscus Xauier. qui etsi mẽtem in Dei, diuinarumque rerum contemplatione defixam perpetuo habebat: statum tamen, ac certum quotidie seponebat tempus, quod ereptum negociis tribueret Secessui, & in eo speculationi sublimiori. Quo in negocio haud maiore mentis ardore versabatur, quam animi constantia. Id adeo non alias magis intellectum est, quam cum daret operam valetudinariis. Etenim cum assiduæ occupationes nullam ei diurni temporis partem ad orandum vacuam relinquerent, orationis magis, quã somni memor nocturnæ corporis quieti detrahebat horas semper aliquot, ne animus cælesti illa, optatissimaque fraudaretur REQVIE, pabuloque. Adeo eius mentem spiritualis Secessus, atque in eo diuini dulcedo colloquii ceperat. Sæpius etiam per somnum emittebat huiusmodi voces: ô IESV bone! O Creator mi, aliasq; consimiles. Orare illum, non dormire crederes. *Franc. Xauier. Tursel. li. 6. vit. c. ...*

De eodem accepimus, ad Mysticum Secessum nonnunquam subito, voluntate pene refragante, certe alia omnia destinante abreptum. Fuit Andreas quidam Indus Goani Collegii alumnus, idemque Xauerii comes. Hinc ille à prandio de more operam cælestium rerũ contemplationi daturus, præceperat, vt, simul atque altera post meridiem hora audita foret, ipsum commonefaceret sedulo, quippe sibi conueniendum esse Proregem super re magni momenti. Paruit Andreas, ac præstituto tempore ad Franciscum Xauerium in cubiculum adit. Reperit hominem sedentem ardenti vultu, apertis oculis, alienatisque à corpore sensibus, oculorum, auriumque vsum eum amisisse crederes. Itaque Indus sæpius voce nequicquam compellatum, cum non vehementius excreando, non obstrependo pedibus, non fores quatiendo eum excitare potuisset, tactu excitauit. Hæc inter, *Tursell. li. 3. c. 14.*

quar-

quarta iam à meridie hora data erat. Itaque eius quoque rei admonitu Xauerius confestim ire ad Prætorium pergit. Ceterum, idem ille animi sensus, atque ardor alienatam à suscepto itinere mentem agebat. Quocirca errabundus per vrbem reliquum diei contemplationi intentus, & abstractus insumpsit. Iamque nox appetebat, cũ Pater, comitis admonitu ad se redijt, ac semet aberrare tandem sensit. Proinde ad comitem versus: Alio die, inquit, cum Pro-Rege agemus: hunc enim diem sibi Deus vindicauit.

## EXERCITATIO II.

## *QVID IN SECESSV MYSTICO CONtemplatori contingat.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quomodo sese habeant tres animæ potentiæ in Mystico Secessu?

RESPOND. Cum tota anima ab exterioribus quam maximè abstrahatur, singulas etiam vires, quæ foris sunt, & obturbant deserere. Itaque Memoria in res diuersissimas distrahi solita, non secus, ac si vnica solum consignata esset sibi dilecti imagine, illùm solum repræsentat: illi immoratur, nec per varia distrahitur. Intellectus autẽ, nullius alterius contemplatione vel notitia occupatur: sed suauissime, & quietissime, vnicum illum, quem, quem fide credit, intelligentiæ oculo perpurgato intuetur. Voluntas nihil extra illum ipsum, nihil extra cordis penetrale, nihil in rebus vllis creatis quærit, quod amet, aut vllo modo desideret. Sensus etiam interni, imo & externi migrare quodammodo videntur, & à rebus sensibilibus discedere, seseque in cordis domicilium recipere. Iucunda habitatio: mysticum
*Ies. 4. 6.* *tabernaculum*, quod fit Contemplatori, vt est apud Iesaiam, *in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluuia.* In eo dum æstus concupiscentiæ magis apud alios feruet & vrit, dulcem captat Mysticus atque securam vmbram: ibique absconditus à pluuia inundantium affectuum, & æstu desideriorum inutilium, ac turbine diuersorum cogitatuum & distractionum defenditur. Hic Deus consortii sui amantem secum propitius abscondit: quem antea tot rerum diuersarum phantasmata, tanquam in varias regiones dispersferant. *Beniamin amantissimus Domini habitat confidenter in eo: quasi in*

*si in thalamo* ibi *tota die moratur: & interhumeros illius requiescit.* Deuter. 33. 12. Quodquidem de Templo materiali ibi intelligitur, sed non minus bene ad mysticum transferri potest vbi *Beniamin adolescentulus* est *in mentis excessu*. Psal. 67.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quid circa animam in Secessu commorantem operetur Deus?

INsinuat id Deus ipse Oseæ 11.14. verbis illis suauissimis: *Lactabo eam & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Ducit ad solitudinem animam lactatam dulcedine Contemplationis, vt loquatur illi ad cor: vt quæ vere bona, quæ iucunda, quæ salutaria ei explicet: vt blanditiis cum illa, tanquam cum sponsa sponsus agat. Hic sensus illius paræmialis formulæ *loqui ad cor.* Sic Iudicum 19.3. vbi nos legimus: *Secutus est eam vir suus volens reconciliari ei atque blandiri:* in Hebr. est לדבר על לבה *ledauer hallebah: vt loqueretur ad cor eius:* quod intellexerunt LXX[ta] qui non aliter vertunt, quã retinendo Hebraismum τοῦ λαλῆσαι ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῆς.

Eodem modo Gen. 34.3. dicitur de Sichem adamãte Dinam: Conglutinata est anima eius cum ea, tristemque deliniuit blanditijs. In Hebræo: *locutus est ad cor puellæ:* nimirum dixit verba consolatoria, suauia, delenifica, vt explicant S. Hieronymus, & Procopius. Isaiæ 40.2. *Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eum.* Ruth. 11. 13. *Qui consolatus es me, & loquutus es ad cor ancillæ tuæ.* Ac in nouo Test. Ioann. 11. 19. vbi Latinus Interpres: *Vt consolarentur eas de fratre suo:* Syrus vertit: *Vt loquerentur cum corde earum.* Deus igitur ducens animam ad secessum mysticum, in eo suauissime illi loquitur, deiectam, ac de se suisque virib. diffidentem eleuat, iacentem præ mærore sustollit, blanditur, & incredibili perfundit dulcedine.

# COMMENTATIO III. SILENTIVM MYSTICVM.

APtissima est ad Silentium Solitudo: in quam posteaquam ducta est Contemplatrix Anima, dicunt Mystici procurari in illa, vel subsequi altissimum quoddam silentium. Quod quidem ab aliquibus Gradus Contemplationis vocatur, ab aliis, ipsa Contemplatio,

ſumpta inde denominatione, appellatur Contemplatio Silentij.

# EXERCITATIO I.

## QVÆ SIT RATIO SILENTII Myſtici.

### Prima Disqvisitio. Quid intelligant Myſtici per Silentium?

CVM *Silere* & *Tacere* ſit ceſſare à loquendo, ac proinde ad linguam proprie referatur (quamuis alij hæc ita diſtinguant, quod tacere ſit & loquentium, & nō loquentium: ſilere tantum eorum, qui iam loqui cœperunt) transfertur vtrumque ad animam, illiuſque potentias, quarum loquutiones ſunt internæ. Loquitur enim anima per intellectum petendo, poſtulando, laudando aliiſque modis, quod intus gerit declarando: per voluntatem optando, deſiderando, aſpirando. Cū igitur anima in altiſſima Contemplatione abſorpta quodammodo, & velut ſtupefacta ceſſat à ſolitis illis ſuis operationibus, aut ita illas exercet, vt nec ipſa animaduertat ſe iis operam dare, nec ab aliis putetur eas functiones exercere, dicitur *Silere* haud minus proprie, quam cum Latine, ſilere leges, ſilere iudicia, ſilere forum dicitur.

Tom. 3. lib. 5. Par. 3. cap. 3. Iacob. Aluarez ita hoc ſilentium exponit. *Silet anima, in interiori cubiculo ſeceſſus, cum luce & amore creſcente deſideriorum patefactio, & opportunorum poſtulatio ceſſat, & ad quandam ſuſpenſionem intelligentiæ transfertur, & ad ardentiſſimū amorem, loquutiones illas internas impedientem eleuatur. Tūc intellectus, præ admiratione eius veritatis, aut pulcritudinis, quā videt, tacet: nec diſcurſibus, aut ratiocinationibus procedere, vel loqui libet. Tunc Imaginatio à Domino ligata, & veluti attonita effecta mutire non audet, nec per varia diuagari præſumit. Tunc intellectus, quaſi ferrum à magnete tractū illi ſummo bono inſpiciendo inhæret. Tunc imaginatio velut canis, cui ex menſa aliquæ reliquiæ datæ ſunt, aliquid aliud quo paſcatur, non quærit. Tunc denique intellectus à verbis abſtinet, quia, quid proferat, neſcit. Et Imaginatio ab illo vno ſuauiſſimo ferculo, quod ſibi communicatum eſt, vt alia euoluat non recedit. Breuiter: omnia in homine tacent: ſenſus non perſtrepunt, deſideria quieſcunt, & intellectum, atque adfectum in ſua tranquillitate relinquunt.*

SECVN-

## SECVNDA DISQVISITIO. An Mysticus silendo cesset à laudando Deum?

RESPONDEO. Nequaquam. Quamuis enim, neq; laboriose ratiocinetur, neque quicquam expresse postulet, neque per multa intelligentiam diffundat: neque exquisite Dei encomia exprimat: neque desideria multiplicet, laudare tamen Deum perfectissime censetur ipso silentio. Et hanc laudem Deo maxime propriam esse censet à scriptura diuina edoctus.

Luculentum est illud testimonium Regis Dauid Contemplationibus mysticis deditissimi: *Te decet hymnus Deus in Sion.* Quod S. Hieronymus legit TIBI SILENTIVM LAVS DEVS *in Sion.* An fortasse sensu ex appositione formato? Tibi summa *Laus est Silentium* Deus Sionis? Quod alij sic exprimunt: *Tibi silet Laus.* Illa enim maxima laus est, quæ siletur. Nec alium intellectum habet Chaldaica versio: *Coram Te reputatur sicut Silentium* Laus *Angelorum* ô Deus, cuius maiestas residet in cælo. Quod Nebiensis legit: *Coram Te reputatur sicut silentium* laus Deus *in Sion.* Vox Hebræa דומיה *dumiiah* & silentium, & tacitam laudem significat.

Elicit ex ea vocula vtilissimum documentum (vt loquitur Cardinalis Bellarminus) Nam Laus Dei, inquit, quæ ore cantatur sequi deberet ex præcedente silentio, atque attenta admiratione magnitudinis Dei. Qui enim cantant absque præuio tali silentio, labiis Deū honorāt, cor autē eorū longe est à Deo. Itaq; recte dicitur: Tibi Silentium Laus Deus in Sion: id est; Tibi Deus primum conuenit tacita admiratio magnitudinis tuæ: deinde constituto corde in hoc Silentio, debetur Tibi Laus in Sion, & votum in Ierusalem. *Bellar. in Psal. 64.*

Sed plus aliquid in eo latere existimant Mystici, qui ipsum illud silentium, laudem Dei esse volunt, atque ita à contemplatiuis Deum laudandum. Ad quod hortatur Dionysius Areopagita, siue dum τὸ ἀπρόσδεκτον καὶ ἄρρητον, Incomprehensibilitatem, ac ineffabilitatem Dei deprædicat, siue dum frequenter adserit arcana cælestia *silentio* veneranda esse.

*Cum abstrusam*, inquit, *diuinitatem, quæ mentem essentiamque superat sanctis mentis venerationib. quæ inuestigari non possunt: ea autem quæ verbis exprimi nequeunt moderato* SILENTIO *honoramus, ad radios, qui nobis in scriptura sancta lucent, nitimur, ab iisque ad diuinas laudes ab iisdem præstanti modo illustrati, atque ad sacras landationes instituti.* *Cap. 1 de Nomi. Diuin.*

Postea, eodem capite, docet Angelos, & ad ipsorum puritatem proxime accedentes homines dum animaduertunt Deum supra om-

nem laudem esse siue vocalem, siue intellectualem, iudicare per cessationem actuum linguæ, intellectus, & voluntatis Deum esse laudandum. *Diuinæ mentes*, ait, *sanctorum Angelorum imitatione, quoad eius fieri potest, coniunctæ, quando post* OMNIS MENTIS ACTIONIS CESSATIONEM, *mentium diuino numine permotarum eiusmodi fit cum diuina luce coniunctio lucem ipsam maxime propriis laudibus efficiunt, omnium quæ sunt detractione.*

*ca.3.Theol. Myst.* Tale autem *silentium* proprium esse Theologiæ Mysticæ, eius summus magister adserit cap III. illius sapientiæ. Postquam enim docuit, quid in Theologia demonstrante, quid etiam in symbolica maxime spectetur de Mystica differens: *Hoc tempore*, inquit, *in Caliginem, quæ mentem superat, introeuntes, non breuem orationem, sed* SILENTIUM *&* INTELLIGENTIÆ PRIVATIONEM *reperiemus.*

Agnouerunt hanc silentiariam taciturnitatis laudem reliqui patres animaduertentes idcirco ceremonias ritusque religionis fuisse occultatos, nec euulgari passim debere. *Qui in primordiis ecclesiæ*, *S. Bas. lib. de sp. S. cap. 27.* scribit D. Basilius, *certos ritus præscripserunt, Apostoli, & Patres in occulto* SILENTIOQUE *Mysteriis suam seruauere dignitatem. Neque enim* Mysterium *est omnino, quod ad populares, ac vulgares aures effertur.* Respicit vir eruditissimus ad etymon, quo nomẽ μυστηρίου, παρὰ τὸ μύειν dicitur. Subdit vero: *Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum. Hoc fine, dogmata silentur. Est autem* silentii *species etiam* obscuritas, *qua vtitur scriptura, mẽtem ad contemplationem dogmatum inhabilem exercens* verissime dictum ab Ambrosio lib. 6. de Sacramentis: *Ineffabilibus mysteriis nulla res magis quadrat quam silentium.* Quod silẽtio oris testatum voluerunt maiores dum illud tam seuere obseruandum in Ecclesia præscripserunt. De quo legendus Ioannes Stephanus Durandus li. 1. de ritib. Eccl. ca. vlt.

Non latuit hic mos Deum laudandi Gentiles, qui illum à Dei populo accipere potuerunt, quod est verisimile, cum frequentatus fuerit antiquissimis temporibus in Ægypto Israelitarum exilio nobili regione. Ægyptii enim Deum sub effigie crocodili colebant. An quia eam cum Deo similitudinem habet, quod eius solius oculi, pellicula tenui, translucidaque à fronte demissa obteguntur, atque ita cernat, cum aliis ita minus cernere videatur. Sic enim oculum Dei perlustrare intuerique omnia res ipsa indicat, cum eum nequaquam cernere, aut explorare nostratia opinari quis possit? An potius, quæ multorum est sententia, quod crocodilus solus inter animalia elinguis esse deprehensus sit; quod diuinitatis munus esse perhibent, & cultum significat qui Deo debeatur. Ob eandem caussam vt patet

ex

ex epistola Abammonis Ægyptii ad Porphyrium, summe venerabantur Ichcon: & Mercurium illum suum, quem Nilo prognatum patre prædicabant, tanto silentii cultu prosequebantur, vt ne nominare quidem eum fas esse arbitrarentur: adeo Deo silentii veneratione capi existimabant: nimirum illi maxime conuenienti: vt fuse probat Porphyr. li. περὶ ζώων ἀποχῆς. Atque ea propter, vt scribit Eus. Harpocratem presso obsignatoque ore in delubrorum parietibus effingebant, vt silentii omnes admoneret, & hanc potissimam Dei laudem, excellentissimumque præconium crederent: Sacrorum etiam ministros vetustissimi dixerunt Mystas à μύειν, vt Theodoretus commemorat, quod sigillo obsignare, vel claudere significat, quasi silentio & ore clauso illi Deum colerent. *lib. 11. de Præpar.* *Theodor. lib. 1. de curand. Græc. aff.*

Addit Chrysostomus Homil. 1 in Epist. 1 ad Timoth. In templis eorum superne silentium inscriptum est: & qui appingitur continet digito os & labia comprimit prætereuntes omnes silentii admonens. Conspirasse in hoc nationes animaduerto. Nam & Romanis Angeronia Dea erat ore obligato, signatoque, vel digito ad os admoto cum Tacita: Sicut Harpocrates apud Ægyptios dictus etiam Sigaleon à silētio. Nimirum persuasum erat communiter gentibus, quod habet Trismegistus in hymno, quem canit Deo ineffabilem eum esse solo prædicandum *silentio*: vel dignum *silentio*, vt loquitur Lyricus.

*Vtrumque sacro digna silentio*
*Mirantur vmbræ dicere.* *Horat lib. 2. Carm. ode 13. Vide Gyraldum de Diis Gent. Syntagm. 1.*

Sat multa vt intelligatur, silere posse Mysticos, cum tamen à Dei laude non censent sapientum consensu: imo, *silentio* exquisite eum laudent, ac venerentur.

## TERTIA DISQVISITIO. Quamobrem Deus iudicetur laudandus *Silentio*? Vel hæc Laus illi grata?

AN, quod sacro silentio proxime ad Dei similitudinem accedamus? Nam Diuinitatis munus existimabant Ægyptii, Silentium. Et in Pythagoræ symbolis habetur: Linguam imprimis esse coërcendam, vt Deum imitemur. Quo respiciebat vir eruditus, qui opusculum de Morib. carmine scriptum edidit, dum eum Deo proximum esse ait, qui vbi ratio postulat, tacere norit. *Valeri. Pieri lib. 29. Hierogly.*

An, quia vt inquit Cyprianus, Deus non vocis (intellige si, sola sit) sed cordis auditor est. Testamur itaque Silentio, non egere Deum

longa sermocinatione aut clamoribus, vt audiat, quæ ad illum peruenire orantes desiderant. Contrariam ob causam Sacerdotes Baalis ridebat Elias, dum eos hortaretur maiori vti voce, quod eorum Deus in diuersorio fortasse esset, aut in itinere, aut fortasse obdormisceret, ita fieri posse, vt excitaretur. Laudaturque Anna Samuelis Mater, quod Dominum non clamosa petitione, sed tacite intra ipsas pectoris latebras precaretur. Nempe loquebatur non voce sed corde, quia sic sciebat Deum audire.

*Lib. 3. Reg. 18.*

An quia *Silentio* eam esse Dei magnitudinem, ea in nos ob collata beneficia, illa perfectionum omnium excellentiam profitemur, vt nec voce, nec interna vlla loquutione satis exprimi possit. Sic certe ratio ipsa docet maximam Dei laudem *Silentio* perfici. Siquidem dũ quis conatur laudando gratiasque agendo, aut alio modo commendando & extollendo, voce siue exteriori, siue interiori beneficium explicare, quasi luctatur cum benefactore, vt dicẽdo vincat, vel æquet: quod nõ est tam magnũ agnoscere; ac, quando se à magnitudine eius victũ videt, eiq; cedit *Silentio*, tacẽs. Sic autem silenter, melius, quã vllo alio signo, aut gestu exprimit, q̃ sentit, & omnibus vellet innotescere. *Benedic anima mea Dominum: Dominus* DEVS *meus magnificatus est vehemẽter. Confitemini Domino quoniã bonus. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Hoc est laudare Deum *secundum multitudinem magnitudinis eius.* Sic enim illum magis, magisque in infinitum laude dignum iudicamus, nec satis vnquam laudatum arbitramur. Ita sane se res habet. Et quod Simonides dixit, non posse quauis data dilatione temporis, quid Deus sit exponere pro dignitate ad laudem ipsius merito refertur.

*Ps. 101. 1. 35*
*Ps. 105. 1. 2.*
*Ps. 150. 2.*
*Cic. lib. 1. de Nat. Deor.*

Est gloria, inquit Cicero, solida quædam, & expressa, non adũbrata: ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute: ea virtuti resonat tanquam imago voci. Decet autem Deum summa laus, quam cum decoro tantæ Maiestati non tribuit, qui non omni superiorem ac maiorem laude dignũ tamẽ maxima considerat, & conatur, quam potest excellentissimam persoluere, quod fit Silentio. Ad quod hortatur Ecclesiasticus vehementi exhortatiuncula: *Benedicentes Dominum exaltate illũ quantũ potestis: Maior enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute: ne laboretis,* multa dicendo, prædicando, encomia congerendo, *non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio?* Id verbis non possumus; testamur venerabundo *Silentio.*

*Cic. lib. 3. Tusculan.*
*Eccl. 43. 33. 34. 35.*

An putamus, verbis Deo laudem, quæ illi debetur, & infinita esse deberet, sicut ipse infinitus est, à mortalibus vel immortalitate dona-

donatis reddi posse,cum q; dixit Aristoteles probent sapientes: ἀρίστων οὐκ ἔστιν ἔπαινος, ἀλλὰ μεῖζόν τι, καὶ βέλτιον : *Optimorum non est laus : sed maius quid & melius.* quod ille probat, quia Θεοὺς μακαρίζομεν, καὶ εὐδαιμονίζομεν, *Deos beatos ac felices prædicamus.* Et, vt viros maxime diuinos, vitam beatam degere dicimus: nec beatitudinem laudibus efferimus, vt Iustitiam, & virtutes alias. *Arist. 1. Eth. 12.*

Si philosophari libet accuratius, laus, honor, gloria quæ Deo deferri potest, est omnino triplex. Vna, quæ par diuinæ dignitati: quam Deus solus ipse sibi præbet, sicut solus se comprehendit, ac perfecte intelligit. De nobilissimo, sapientissimoque homine, rustici nō censentur posse dignam aliquam formare opinionem, quantumuis alte sentiant. Ipse melius excellentiam suam, suaque bona nouit. Hanc diuinæ laudis & gloriæ mensuram licet exhibere non possimus, agnoscere tamen possumus, & eidem cum gratulatione & gaudio offerre, vinci intelligentiam nostram sponte confitendo, quod fit admirabunda Taciturnitate. Quam præseferunt sancta, beataq; Seraphim, dum celebrādo trisagion hymnum, velant faciem ac pedes. Quid hoc est aliud, quam significare melius exprimi Deo conuenientem laudem silentio.

Altera laus est in actione perpetua, qua sine intermissione Deus continuo, intelligitur, laudatur, diligitur. Et hāc Beati exequuntur: à mortalibus non potest, quos vel fragilitas, vel necessitas, vel caritas alio distrahit. Ad hanc aspirandum votis, & precum assiduitate. Huius tamen etiam symbolum est silentium Mysticum ob vniformitatē perfectam.

Tertia est quam & possunt homines, & debent præstare in hac vita, quisque suo pro modulo. Consistit autem, *Primo*, in cognitione Dei, & eorum quæ ad ipsum pertinent. Hæc quo eminentior & perfectior, eo est laus maior, quippe magis respondēs personę. Sed se satis non posse cognoscere, dum quis silentio fatetur, aliquid ipsa cognitione maius se offerre protestatur. *Secundo*, in officiis caritatis ac beneuolentiæ gaudendo de bonis diuinis, & ex intimo corde Deo de iis gratulando. Præterea, promouendo modis conuenientibus Dei gloriam. Adhæc, deuouendo corpus & animam, cogitationes etiam & curas omnes ad amplificandam ipsius dignitatem. *Tertio*, in functionibus Religionis colendo supremum numen sacrificiis, adoratione interna & externa, ritibus, ac ceremoniis probatis, hymnis, laudibus, precibus, votis. *Quarto*, in diligenti, exacta, ac seria mandatorum diuinorum obseruatione, nihil prætermittendo ex iis, quæ à Deo præ-

cepta

cepta sunt, siue illa grauissimam habeant sub mortis interminatione, siue minus grauem obligationem. *Quinto*, in continuatione: quæ tūc censetur esse, quam potest in hac vita perfectissima, quando nunquā interrumpitur peccato vllo lethifero. Et hic est primus gradus. Secundus: quando ne veniali quidem, quantum homini possibile. Tertius: quando actione nulla superuacanea.

Porro ista Dei laus quadrupliciter persoluitur. Primo, operationibus variis. Secundo, voce, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus. Tertio voluntate, tum ipsam, tum adfectus omnes ad diuinum nutum fingendo. Quarto: mente & ratione, subiiciendo illam mysteriis diuinis, captiuando intellectum in obsequium fidei, in meditatione, & contemplatione diuinarum perfectionum assidue illam occupando. Denique fatendo se victam à tantæ Maiestatis dignitate & excellentia quod fit *sacro silentio*.

*Silentium timoris ac reuerentia index.*

Addatur his, *silentium* venerationem ac reuerentem timorem denotare. Cultus autem Dei magnus est timor reuerentialis. *Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore* Psalmo II. II. Hoc sensu Zachariæ II. 23. *Sileat*, inquit Propheta, *omnis terra à facie Domini, qui consurrexit de habitaculo sancto suo*. hoc est, vt exponit ibi Castrius pro tam insigni beneficio omnis homo conticescat præ timore ac reuerentia coram tam liberali benefactore, ac vltore, qui consurrexit de cœlo habitaculo suo, vt populum suum reuocaret, ac contra hostes tueretur. Itaque non male cum Epicteto dicat diuinorum admirator; Si lusciniæ essemus, lusciniæ munere fungeremur: si olores, oloris. nūc, quia rationale animal sum, Deus mihi laudādus ratione est: hoc meū munus: hoc faciam, neque stationem hanc deseram, quoad licuerit: vosque ad eandem hanc cantilenam silentiariam exhortor.

*In vita ca. 13.*

Excelluit in hoc genere Balthasar Aluarez, qui scripto apologetico se defendere coactus est contra aduersarios, hunc orandi modum minus probantes. In eo inter alia sic dixit. Interdū in oratione ratiocinor secundum intellectum mihi datū circa verba diuinæ scripturæ, & secundum internas instructiones. Interdū taceo, & requiesco. Quod silentium & requies in eius præsentia magnus est thesaurus. Domino enim omnes res loquuntur, suntque in eius oculis apertæ: cor meum, vota mea, finis meus, conatus meus, mea viscera, scientia mea, vis & facultas mea: talesq; sunt diuinæ eius maiestatis oculi, vt vel ipso aspectu defectus meos remouere, desideria accēdere, alasque mihi ad volandum dare possit, cum ipso bonum meum & obsequium suum magis cupiat, quam ego ipse.

# EXERCITATIO II.

## ORIGO, QVALITAS, DVRATIO SIlentii Mystici.

### PRIMA DISQVISITIO. Quæ sint causæ silentii Mystici.

RESPONDEO. Quicquid alibi linguam ligare solet, hic impedire loquelam tum externam oris tum internam cordis. Vniuerse silentium caussat magnitudo, & nouitas. Magnus amor, magnus dolor ad silentium cogit: quilibet etiam immodicus adfectus. Paruæ curæ loquuntur, ingentes stupent aiebat ille. Maximi æstimare Deũ in lucem ingredi inassuetam, nunquam eatenus visam, circumdari immensa quadam & sacri horroris plena caligine: spectare Maiestatem infinitam supersubstantialem superessentialem: gustare eandem vt super-dulcissimam: agere cum eadem vt super-amantissima: inhærere eidem, vt super-dilectissima, facit vt vox faucibus hæreat, & conticescant interioris loquelæ organa. *Seneca.*

Itaque caussam silentii mystici dicunt Doctores esse magnitudinem lucis, amoris, deuotionis, in quam Mysticus intendit oculos, quo fruitur, quam excitat, quaque æstuat. Insinuat hanc Richardus declarans suo more, id est, mystice versum illum Psalmi 28. 10. *Dominus diluuium inhabitare facit*: fingit enim lucem sapientiæ inaccessam esse hoc diluuium. *Hæc*, inquit, *Sapientiæ aqua in tanta quandoque erumpit copia, in tanta se dilatat abundantia, vt non solum valles impleat, campos operiat: sed & omnes montes & colles longe transcendat. Ita vt omnium carnalium cogitationum incursus, omnes terrenos adfectus penitus absorbeat. Imo etiam, quicquid hominibus est altum, cacumina ipsa virtutum, & quod his omnibus maius, ipse sibi contemplantis animus in obliuionem veniat. Contemplantis siquidem animus, qui supra se attollitur, cum in cælestibus totus suspenditur, seipsum nimirum, & quæ sub ipso sunt obliuiscitur, & in tanto sapientiæ diluuio, nil nisi cælum aspicitur, & ipsa sapientiæ aqua perlustratur, à qua & in altum subleuatur.* Lampas ergo sapientiæ, & eius intelligentiæ oculos vibrati radii silentium inducunt. *Rich. in ps. 28.*

Nec minus amor, qui quando summus pertinacissimam taciturnitatem cũ stupore caussat. Animaduertit hoc Diadochus Photicensis Episcopus, bonus rerum spiritualium magister in lib. de perfectio-

fectione cap.8.vbi docet, quis nam sit idoneus vt loquatur de rebus diuinis, & quem deceat altum de iisdem silentium, ac sic differit. *Nec oportet non illuminatum intendere mentem spiritalibus contemplationibus, neque copioso lumine benignitate* Spiritus S. repletum statim ad loquendum accedere. Vbi enim est inopia, ea adfert ignorantiam; vbi copia non finit loqui. Tunc enim anima caritate velut ebria, expetit per silentium contemplatione gloriæ Domini perfrui. Quamobrem opus est, obseruata mediocritate illuminationis ad loquendum de diuinis rebus, deuenire. Hæc enim mensura formam quandam gloriosi sermonis præbet. Copiosa vero illuminatio fidem nutrit loquentis in fide, vt qui docet, primus fructum scientiæ gustet per caritatem.

Dionysius quoque Carthusianus libello de fonte lucis artic.19. inter effectus, atque indicia vehementissimi amoris quem vocat estaticum, septimum ponit defectiuam, & truncatam loquutionē; nempe silentium aspirationib. nonnunquam breuiter interruptum. Magnus amor verba truncat: maximus, omnino tollit hinc merum silentium.

Altera silentii caussa est reuerentia. In conclaui principis ne mussitare quidem audent palatini: hoc exigit Principis veneratio. Ob hanc caussam, tam pertinax, tamque perfectum olim erat in Ecclesia silentium à verbo, excreatione, strepitu. Hinc Diaconi, vt est apud Clementem Romanum templum inambulando, contemplabantur viros mulieresque ne quis fieret strepitus, ne quis nutus faceret aut mussitaret, neue dormitaret, vnde ronchi.

*Caß. lib.11. de cano inst. cap.10* Mirum est, quod refert Cassianus de Ægypti contemplantibus, quam seuere silentium oris sibi in aula Dei indicebant, vt cordis silentium eo melius vel procurarent, vel conseruarent. Synaxes celebraturi, quando conueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cum in vnum tam numerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio nullus hominum penitus adesse credatur: ac præcipue, cum consummatur oratio: in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat; non oscitatio somnolenta discursis malis, & hiantibus trahitur: nulli gemitus, nulla suspiria etiam adstātes impeditura promuntur: nulla vox, præterquam Sacerdotis precem concludentis auditur; nisi forte hæc quæ per excessum mentis claustra oris effugerit; quæque insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet, atque intolerabili spiritus feruore succensa: dum ea, quæ ignita mens in se-

in semetipsa non prævalet continere per ineffabilem quendam gemitum ex intimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur.

In Tabennensi autem Mandra, Scythiæ eremo, teste Palladio sub Ammone Abbate, amplius ter mille Monachorum patre taciturnitas vigebat adeo, vt cum tot vna essent horis, quibus indictum erat silentium, sæpenumero aduenæ locum adeuntes neminem ibi adesse putarent; donec interius ingressi illos seorsum in suis quemq; cellulis orantes, aut, quid aliud facientes conspicerent: adeo, non strepitus aliquis, non susurrus, ac ne screatus quidem audiebatur: denique multitudo solitudinem silentio adæquabant.

*Pall. Lausia. cap. 48. Marul. lib. 4. cap. 6.*

Quod etiamnum æmulantur, tum alii Religiosi, quamuis cœnobiticam professi, tum illi potissimum, qui postquam in aliorum contubernio ad perfectionem Christianam multis annis indefesso contenderunt studio: ex instituti sui ratione eremiticam aggediuntur, & in ea quietissimi contemplationibus diuinis vacant. Quod faciunt strenue ex Carmelitarum Excalceatorum ordine non pauci in deserto S. Ioseph in Hispania commorantes. His non minor, quam antiquis illis eremitis fuit, cura est sacri silentii. Quod olim Christianis omnibus loci, vbi diuina tractabantur, veneratio, imperabat; vt testes sunt Augustinus sermone 251. de temp. Basilius homil. in psal. 28. Chrysostomus homil. 38. ad popul. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 55. Nazianzenus orat. 19. in laudem patris vbi Nonnam matrem suã ab ea tenacissime in Ecclesia seruata commendat.

Ethnicis quoque naturæ quidam instinctus idem suggessit: apud quos solenne erat in templis proclamare, *fauete linguis*: nimirum, vt rite sacra cum debita veneratione perficerentur: nulla voce, non mala solum, vt inquit Seneca, sed ne bona quidem obstrepente. Nam à bonis etiam silendum dum Deo litatur. Quod indicabat aliud illud *σίγα: πᾶς ἔστω λεώς. Tace: omnis esto mutus.* Quare religioni fuisse scribit Arrianus in templis expuere, aut nasum emungere. Quod amplius est, quam quæ habet Quinctilianus in declamationib. parcitũ verbis in templo: animos compositos, tacitam mentem custodiri solitam, vt proinde ibi pulsare, velut in solitudine, velut in secreto quodam ferendum non esset. Et admiranda quædam ad id Gentilium exempla enarrat S. Ambrosius lib. III. de virginibus. Caussa itaq; silentii Mystici non male ponitur summa contemplatoris erga infinitam Dei Maiestatem reuerentia.

*Sen lib. de vita beat. cap. 26. Brusoni in formul. lib. 1. p. 10. Arr in Epict. lib. 4. cap. 11. Quinct. decla. 365.*

Cui accedit alia verborum siue externorum, siue internorum, aut cõceptuum dum in caligine diuina moratur lucem inaccessibilem intuens penuria. Nescit quid dicat, quomodo stupenda illa, quæ

oculis mentis obiiciuntur exprimat. quid igitur mirum si obmutescat. Infantia quibusdam linguam constringit, vti contingit pueris, & qui puerorum more in rebus arduis versantur. Idem accidit contemplatoribus Mysticis, dum in altissimis cum Deo commorantur,
Ierem. 1.6. vel illum sibi loquentem audiunt. A.a.a. (dicebat Ieremias, *Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Moses etiam extra caliginem cũ
Exod. 4. 10 Deo aliquantulum loquutus, exclamat: *Obsecro Domine, non sum eloquens abheri, & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguae sum.* In Hebr. est Nõ sum *vir verborum:* 70. Non
איש דברים Isch dibarim. sum εὔλογος, Symmachus εὔλαλος, bene loquẽs. Nego me vti cõmode lingua posse: animaduerto me ieiunum, aridum, inopem in loquendo: experior me mutum redditum ex tua Deus, praesentia, & alloquio: cum alioqui, vt auctor est Iosephus Moses apud suos fuerit eloquentissimus. Sed qui in circulis, & concionib. est disertus: is si cum Deo agat per contemplationem, & admittatur ad intimum Dei conclaue redditur elinguis in ordinem Silentiariorum redactus.

## SECVNDA DISQVSITIO. Quomodo in Silentio Mystico occupetur Anima?

RESPONDEO. Primam illius occupationem esse, si tamen ita est nominanda, Silere, & silendo laudare Deum. Alteram, videre contemplando lucem illam inaccessam, & in ea delectari. Tertiam, audire, quid loquatur animae Dominus, Quartam, praestolari salutare Dei. Dicitur anhelanti ad diuina, *Audi filia & vide:* quo attentio po-
Ps. 44.11. scitur ad voces Dei & saluberrima monita excipienda.

*O audi mea nata, vide, rem pectore serua.*

Dilecto in te loquenti aurem accommoda: ad illum sit conuersio tua: ex illius ore, oculis, nutu pendeas. In illum oculos coniectos
Ps. 122. 2. habeas haud sequus, quam *sunt oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, & oculi ancillae in manibus dominae suae.* Putat Basilius moneri spõsam, vt *videat:* id est, mentẽ in contemplatione diuinorum exerceat: sed non ceruice rigida: at modeste inclinata, quasi aurem ori diuino sponsi applicando: videat, vt intelligat: deinde inclinet aurem, vt imperata faciat. Similique modo Chrysostomus: vt diuina opera videat, diuinaque praecepta audiat. Nec contemnendum, quod habet Franciscus Vatablus, iuberi sponsam cogitare & expendere diligenter, qualis sit sua conditio: id est, quanto Rege sponsa digna fuerit, aut potius, cum indigna esset, electa sit, vt obsequio & fide praestita illum indies demereri studeat. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: id est,

est, simul cum aurium erectione, & inclinatione mentem accommoda.

Respondet anima & spondet: *Audiam, quid loquatur in me Dominus* DEVS *meus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor.* O Domine! quam mihi gratum, quod audire merear vocem Dilecti. Arrectis stabo attentisque auribus mentis meæ, vt exaudiam, quid intus mihi suggerat & quæ mihi viuendi præcepta det Dominus meus. Decet sane Rege ad verba edicenda parato, & subditis bene consulenti, vt silentium præco imperet, faciatque audientiam. Ipsemet ego auditor domesticus summi Regis præconis fungens officio, Silentium, quod possum, mihi indico: quod non est meæ potestatis suppliciter concedi postulo, vt submisse, obedienter, reuerenter, patienter, libenter, hilariter, quicquid mihi dixerit Dilectus, audiam. Nam quicquid dixerit, oraculum erit, & ad pacē tum meam, tum aliorum spectabit: siue illi sancti sint, semperque fuerint: siue peccatis obnoxij olim ad Deum suum serio conuersi, pœnitentiam de præteritis egerint, Ps. 84. 8.

ITAQVE sileo. Certe bonum est טוב *Tob.* optimum) *præstolari cum* Silentio *salutare Dei* Threnor. 3. 26. Quid est *præstolari*? Hebræa vix sensum faciunt: tam sunt abrupta, & concisa: *Bonum, & expectans & silens in salute Domini*: id est, vt interpretatur Delrius: *Consultissimum fuerit vt expectet homo, & sit silens, quousque salus illi à Deo adueniat.* Hæc est occupatio Mystici in arcano silentio: Expectare longanimiter donec faciem suam tenebricoso caliginis velo obductam, clare ostendat: *Expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam, & præstolabor eam*, dicit cum Isaia contemplator. Spem bonam foueo in animo: & interim silenter, sedate, & æquanimiter, absque querela, & murmuratione tolerabo tam diu differri desideratam reuelatamque faciem Domini. Threnor. 3. 26. Isa. 8. 17.

Bonum est præstolari cum Silentio salutare Domini. *Patientem pro iustitia vult me expectare mercedem in posterum, non recipere in præsenti: quod iustitiæ merces salutare non seculi sed Domini sit.* Si moram fecerit, inquit, expecta eum: *& ne murmuraueris, quoniam bonum est cum silentio expectare. Ego faciam quod hortatur: expectabo Dominum Saluatorem meum. Sed peccator sum, & adhuc mihi grandis restat via: quia* longe à peccatoribus salus, *Non murmurabo tamen: in odore, vel dolore interim consolabor me Lætabitur* iustus in Domino. *gustu experiens, quod ego sentio odoratu. Quem spectat iustus, peccator expectat: & expectatio odoratio est.* Nam expectatio, ait creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. *Porro spectare*, gustare est, & videre, quoniam suauis est Dominus. Bernar. Ser. 67. in Cant. Abac. 2. Ps. 63. Rom. 8.

Psal.35. *An potius iustus, qui expectat, & qui iam tenet beatus. Denique,* expe-
Prou.10. ctatio iustorum lætitia. *Nam peccator nihil expectat. Et inde peccator, quod bonis præsentibus, non modo detentus, sed & contentus, nihil in futurũ expectat, surdus ad vocem illam:* Expecta me *(dicit Dominus)* in die resurrectionis
Soph.3. Luc.2. meæ in futurum. *Et ideo iustus erat Simeon, quia* expectabat, *& adorabat iam Christum in spiritu, quem necdum in carne adorabat.* Et beatus in expectatione sua: *quia per odorem expectationis, peruenit ad gustum Contempla-*
Ioa.8. *tionis. Iustus Abraham qui & ipse expectauit, vt videret* diem Dominī, *& non est confusus ab expectatione sua: nam* vidit, & gauisus est. *Iusti Apostoli*
Luc. 8. *cum audiebant*: Et vos similes hominibus expectantibus Dominum
Ps.39. suum. *Quid ni iustus & Dauid, quando aiebat:* Expectans expectaui Dominum. Non est igitur ociosa Anima, quando cum Silentio præstolatur salutare Dei. Vt aliquando gaudens dicat consortibus suis asso-
Isa.29.9. ciata: *Ecce Deus noster iste: expectauimus eum & saluabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum: exultabimus & lætabimur in salutari eius.* Interim silendo clamat *Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.*
Ps.84.8. Luc.2.30. *Exultabo in salutari tuo.* Erit tandem dies, cum *videbunt oculi mei salutare*
Isa.52.10. *tuum:* quando *videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.*

QVÆRI posset. An in silentio mystico sit potentiarum internarum ab omni operatione cessatio. Sed de hoc agendum Titulo Suspensio. Interim accipe, quod monet Balthasar Aluarez Tractatu de
Tract.de Orat.in vita c.14. Oratione, vbi sic habet: vocatur hęc ORATIO SILENTII, eo quod Deus in ea loquatur, anima tacente, maximaque attentione audiente, quod cælestis eius Magister ad cor ipsius loquitur, docet, ac de se ipso, suisque mysteriis manifestat. Non tamen existimandum est, quemadmodum ignari quidam sibi fingunt, quod, animam tacere, & in silentio expectare, sit potentias interiores omnino suspensas esse, nec vllos proprios actus exercere: hoc enim est impossibile, nisi homo dormiat, aut certe esset crux magna: imo, & res noxia: esset enim manere hominem ociosum, tempusque amittere, & exponere se periculo, quo imaginatio mille deliria proferat, aut dæmon prauas suggerat, & alienas cogitationes. Quare certum est, quamdiu Deus nihil in anima operatur, debere ipsã aliquid facere suo intellectu, & voluntate: imo etiam cum Deus aliquid operatur, agit aliquid ipsa cum eo, eum in modum quo discipulus dum sui magistri lectionem tacens audit, operatur interius aliquid percipiendo, intelligendo, ac sentiendo, quod Magister docet.

QVOD si hæc Oratio Silentij dicitur, id non propterea est, quod sola lingua taceat cum hoc omni orationi mentali conueniat, nec propterea, quod internæ potentiæ omnino conticescant, sed quod

quod tunc in eo tantũ occupentur, quod à Deo accipiunt: queadmodum dixit Dauid. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, qui Ps. 84. 9. Magistri officium facere dignatur, & ad cor loqui, eique suas veritates reuelare ac vehementer ad easdẽ allicere, nõ adhibente propriã industriam homine, vt alias solet ad suas meditationes, petitionesque cum magnis affectibus instituendas.

Et hoc sensu dixit S. Dionysius de diuino Hierotheo, quod esset patiens diuina, quasi in agendo cum Deo, diuinisque rebus recipiendis potius se haberet, vt discipulus doctrinam ab alio recipiens, quam sicut homo, diligentia, & industria sua veritatem quærens, quam non assequitur. Ex quo fit, vt etiam ipsum AVDIRE appelletur SILENTIVM, eo quod tunc omnes creaturæ taceant in corde, nec res vlla turbet illud, aut eius quietem impediat.

## TERTIA DISQVISITIO. An diuturnum sit Silentium Mysticum.

RESPONDEO. Non solere diu cõtinuari. Posset quidem, si Dei illa esset voluntas, concurreretq; efficaciter ad cessationẽ operationũ sensibiliũ externarum, & quarundam internarum: sed nunquam, quod equidem legerim, vel audiuerim, id Mystici experiuntur. Sed omnium vna vox est breuissimæ moræ esse arcanum illud solitudinis sacræ silentium, & horam integram non obtinere. *In illa die*, inquit Bernardus, *vel potius in illa hora (nam hora est, si quando est: ne hora quidem: sed horæ dimidium iuxta illud scripturæ* : Factum est silentium in cælo quasi media hora) *Ergo in illa hora replebitur gaudio os meum, & lingua mea exultatione, dum singulos non dico Psalmos, sed versus singulos sentiam ructus, & quidem odoriferos super omnia aromata.* serm. 67. Apoca. 8. Ps. 125.

Et in lib. de Modo bene viuendi ad sororem sermone 30. postquam Contemplationis delitias descripsit subiungit: In hac vita mortali nemo potest perfecte contemplari Deum. Vnde Ioannes in Apocalypsi dicit. Factum est Silentium in cælo quasi media hora. Cælum quippe est anima iusti, sicut Dominus per Prophetam dicit: Cælum mihi sedes est. Cum ergo quies Contemplatiuæ vitæ agitur in mente, Silentium fit in cælo: id est, in anima, quia strepitus terrenarum rerum atque operationum cessat in cogitatione. Sed quia Contemplatiua vita in hoc mundo non potest esse perfecta, nequaquam hora integra factum dicitur Silentium in cælo sed quasi media hora.

Iterum libello de Amore Dei cap. 4. *Hic est finis, hac est consummatio, hac est perfectio, hac est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu S. hoc est* SILENTIVM *in cælo. Quādiu quippe in hac sumus vita hoc felicissima pacis* Silentio *in cælo, id est, in anima iusti, quæ sedes est sapientiæ aliquando fruitur adfectus: sed hora est dimidia, vel quasi dimidia. Intentio vero de reliquiis cogitationis diem festum perpetuum agit tibi. In illa vero beata, & æterna vita, de qua dicitur:* Intra in gaudium Domini tui, *sola erit perfecta, & æterna fruitio, & tanto felicior, quanto iam remotis omnibus, quæ hoc tardare vel impedire videntur amoris eius indissolubilis æternitas, irrefragabilis perfectio, incorruptibilis erit beatitudo.*

Didicerat hæc Bernardus à S. Gregorio, quia haud dissimili interpretatione breuiculum illud tempus exponit lib. 30. Moral. cap. 12. vbi: Cælum, ait, vocatur Ecclesia Electorum: quæ ad æterna sublimia dum per eleuationem Contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam Silentium facit Quod quidem silentium Contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda cordis terrena oculum violenter trahunt. Vnde scriptum est: Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Bene ergo factum hoc silentium, non integra sed dimidia hora describitur: quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamuis ardenter inchoetur. Idem declarat Gregorius per mensuram sanctæ ciuitatis quæ erat in manu Angeli apud Ezechielem cap. 40. 5. In manu viri, inquit Propheta, calamus mensuræ sex cubitorum & palmi. Si enim cubitus operationem, & senarius numerus eius perfectionem, palmus vero vim contemplationis designat: quid est, mensuram illam sex cubitos integros habere, & ad septimum non peruenire: nisi animam viri perfecti in hac vita actione quidem perfectam esse: sed in contemplationis perfectione non diu posse durare.

*Hugo lib. 4. de claustro anim. cap 36.*

Addit his quidpiam Hugo Victorinus, dum quærit: Vtrum in cælesti claustro *silentium* ad horam vel continuo teneatur: & respondet verbis Ioannis: Factum est silentium in cælo, quasi media hora. *Vnde B. Gregorius.* Nihil prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis. *Qui enim corpore remotus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ, & terrenorum desideriorum se inseruerit, seu implicuerit non est in solitudine. Si vero aliquis corporaliter popularibus turmis prematur: & tamen nullos*

cura-

*curarum secularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe. De hoc Secreto cordis dictum est:* Factum est silentium in cœlo quasi media hora.

*Cælum quippe est anima iusti. Anima siquidem iusti dum ad æterna, & sublimia per subleuationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, & intra se Deo quoddam* silentium *facit. Sed quia hoc* silentium contemplationis, *& hæc* quies mentis *in hac vita non potest esse perfecta: nequaquam hora integra factum in cœlo dicitur* silentium: *sed quasi* media: *vt nec media plene sentiatur, cū præmittitur quasi: quia mox, vt se animus subleuare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte motu cogitationum stupidus de semetipso confunditur, & confusus cæcatur.*

## QVARTA DISQVISITIO. An sit in potestate hominis continuare silentium Mysticum?

ARistoteles rogatus: quid omnium esset difficillimum? respondit *σιωπᾶν: silere:* an omnino? adiungit, *ἃ μὴ δεῖ λαλεῖν, quæ loqui non oportet;* & maxime arcana; adeo, vt facilius esse dixerit Socrates, ignitum carbonem ore continere, quam arcanum quidpiam, quod etiam vsurpat Cicero. Quam igitur difficile, sibi plenum perfectumque silentium indicere? Reperti tamen sunt non pauci, qui multis annis linguam (quam nullus hominum domare sine peculiari Dei gratia, potest) penitus constrinxerint pertinacissime silentes. *Lib. II. de orat.* *Iacobi III. 8.*

Paulus Eremita, cui à morum candore Simplicis obtigit nomen, B. Antonij discipulus, ob linguæ lapsum, quia inepte quæsierat: Num Christus ante Prophetas vixisset, triennij silentium sibi ipsi indixit.

Agathon quoque Abbas lapillo linguæ subiecto, veluti scrupo tacere didicit, totidemque, quot Paulus ille annos siluit.

Pambonis Abbatis diuturnum silentium ex historia Ecclesiastica constat: vt enim audiuit illam vatis regii cantionem obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, vltra progredi recusauit, sed recedens, magistro dixit: vnus hic mihi versus satis est, dum opere id exequar. Post longum vero tempus quærenti cuidam, num versum illum Dauidis iā penitus edidicisset; annis se nouendecim (vnde quinquaginta habet tripartita Cassiodori historia, male, pro vndeuiginti) vix didicisse cum opere implere, respondit. Is tamē morti vicinus, quod habet Palladius secure se mori adfirmauit, quod nihil iam religiosus, cuius eum postea pœnituisset, vnqua protulisset. Thomas etiam Abbas, eodem narrante Palladio, vir sanctus tugurio inclusus triginta ipsos annos vrbes minime frequentans silentium exercuit. *Psal 38.* *Socrat. lib. 4. hist. c. 18* *Tripar. lib. 8 cap. 1.* *Pallad. hist Lausia* *Pall. ca. 50*

Quid Ioannes à reipsa SILENTIARIVS nominatus? Is ex Episcopo Solitarius, teste Cyrillo Monacho eius æquali, duos ipsos de quinquaginta annos ad ætatis annum vsque, quo desiit viuere quartum supra centesimum assidue silentium tenuit.

*Gennad. Catal. cap. 19.* In occidente Sulpicius Seuerus Primuliacensis Presbyter, qui de B. Martini vita diserte scripsit à Pelagianis circumuentus (vt in Catalogo Gennadius narrat) loquacitatis culpam agnoscens, silentium vsque ad extremum vitæ spiritum seruauit.

Radulphus è Benedictina familia, Affliginiensis in Brabantia monasterii sodalis, vere & ipse silentiarius longissimo tempore taciturnitatem constanter coluit. qua vna silendi obstinatione incendii flammam extinxit, imperans ne vltra progrederetur. Auctor Thomas Cantipratanus. *Lib. II Apum ca. 34*

Annon in hunc ordinem referendus Thomas Aquinas, qui tempore eo, quo in studijs versabatur, Pythagoreum agebat, tã taciturnus, vt bos mutus appellaretur, sed qui cum mox vocem editurus erat, ad quam mundus obstupesceret. *Antonius Senensis Surius.*

Potest igitur silentium oris externum sat diu extendi, non ita cordis silentium internum: cuius initium vt altioris est virtutis, ita & cõtinuatio: nec in potestate hominis. Requirit enim singulare quoddam Dei subsidium, & peculiare lumen, quod si subtrahatur, frustra nitetur Mysticus diutius silenter in contemplatione altissima immorari. tunc igitur ad preces, postulationes, aliosque orandi ac meditandi modos fructuose conuertit animum. Præclare Iacobus Aluarez de hac ipsa re disputans. *Sicut non est in potestate hominis, quod aurora adueniat, & illucescat: ita non subest ei, quod adueniente vespera lux non abscedat. Et quemadmodum vanum est ante lucem surgere: ita & post abeuntem lucem ad eam tenendam properare.* *Tom. III. par. III. ca III.*

Si vllibi, certe in contemplationis palæstra obtinet *tempus tacendi & tempus loquendi.* Quod Chaldæus ad orationem diutius non protrahendam refert, legitque apud Costum: *Aliquando ponendus est orationi & precibus modus:* ijs nimirum potissimum, quæ in solitudine arcanoque silentio peraguntur. Nam *tempus est idoneum ad tacẽdum*, vt habent Biblia Regia: quod Complutenses: *Tempus est electum ad tacendum:* à Deo nimirum, qui illud designat, constringit, vel dilatat pro beneplacito. Quare monet eo loci Ioann. Ferus vt committamus nos diuinæ prouidentiæ atque ab illa opportunum sermonem ac silentium postulemus. Itaque qui silentium mysticum coleret Deo illum ad aspirationes, gemitus, suspiria incitante imprudenter faceret: nec minus *Eccl. III 7*

nus ille, qui dum ducitur à bono spiritu ad silentium, & solitudinis arcanum, intempestiue alijs functionibus potentias occuparet.

*Discrete* enim, vt optime monet Papa Gregorius, *vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne, aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat: aut cum loqui vtiliter potest, semetipsum pigre restringat. Scriptum est enim:* Est tacens non habens sensum loquelæ, & est tacens sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus: lasciuius autem & imprudens non seruabunt tempus. Gre. 3. P. Pa sto. Admon. 15. Eccl. 20. 6. 7.

## QVINTA DISQVISITIO. An vtile sit contemplatori silentium mysticum?

QVi Mysticorum abdita minus fauenter in vulgus producunt, ita interdum loquuntur tum de silentio, tum aliis contemplationũ gradibus, quos postea ponemus, ac si nullius essent precij, nullius ad vitam spiritualem fructus: Cuius contrarium docent disciplinæ occultioris periti, & experimento discunt. Et quidem, quod silentium attinet, Primo in eo, & per illud Deus excellentissimo quodam modo laudatur, vt superius est declaratum. Secundo, contestatio fit propriæ imbecillitatis collatæ cum diuina magnitudine, quæ dum silentij velo tegitur, tanta esse indicatur, vt mortali intelligentia nec concipi satis digne possit, nec voce explicari.

Hoc in Pictoribus commendatur, qui quod exprimere nequeunt penicillo, obscuritatis pallio inuoluunt: sicque artificiosis ostẽdunt, quæ occultant. Laudauit antiquitas tabulam Timanthi, in qua Iphigenia oratorum laudibus celebrata, qua stante ad aras peritura, cum mæstos pinxisset omnes præcipue patruũ, cum tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velauit, quem digne non poterat ostendere. Laudatur alius qui cum formosas alias puellas depinxisset designatum Helenæ vacuum reliquit locum, cũ inscriptione: *Hic locus est Helenæ.* Plin. li. 35. cap. 10.

Hoc tanquam eximium laudationis genus vsurpat sponsus in Dilectæ encomio, dotes illius deprædicans, sed illam potissimum, quam silentio se premere fatetur, cum sat digne non possit exprimi. *Quam pulchra es amica mea quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet* Canticorum 4. 1. LXX. legunt: *extra taciturnitatẽ tuam:* nimirum, extra id quod taceri debet, quia enunciari commode ob eius dignitatem, summumque decus non potest. Symmachus ἐκτὸς τοῦ σιωπήσεως σοῦ, *extra silentium:* hoc est, extra illud, quod silentio me-

 lius,

lius, quam ſermone honoratur. Dixerat ſponſus Dilectam ſuam bis pulchram ob externam, internamque pulchritudinem: externam autem fatetur aliquo modo poſſe verbis deſcribi: internam vero eſſe plane σιγαλόεσαν: id eſt, pulchritudinem ſtuporem, ac ſilentium inducentem, omni prædicatione maiorem, taciturnitate venerandam.

Valde honeſtum eſt (inquit Papa Gregorius tropologice illud animæ contemplatiuæ accommodans) quicquid in exterioribus operatur: quod ſimpliciter inter homines conuerſatur: quod ea, quæ videt, temporaliter concupiſcere dedignatur: & ſi quid tamen in hoc mundo placet, poſt concupiſcentias ſuas ire dedignatur. Sed vehementer pulchrius & honeſtius eſt, quod cordis deſiderium illibatum retinere conatur: quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, & erecta contemplatur: quod in his, quæ interius videt, ſuauiter requieſcit, & mundatur. Hæc in anima tam pulchra ſunt vt ſilentio potius honoranda ſint, quam verbis deterenda. Et hic alter eſt ſilentij fructus.

Tertio: In ſilentio perfectius quam in receſſu mortalia omnia deſpicere diſcit Myſticus: ibi quam terrena æternis comparata nihili ſint facienda animaduertit: ibi quam vilia ſint, quæ paſſim tanti æſtimantur, perpendit: ibi quibus rebus amorem, quibus odium debeatur: quibus adhærere, à quibus auelli oporteat: quarum deſiderio flagrare, quas abominari par ſit: quas amplecti, quibus viriliter repugnare conueniat reuelatur. Quod ingenioſe expreſſum putat Gregorius in ſoporato Adam.

S. Greg. lib 30. mor. ca 12.

*Hoc ſilentium noſtrum*, inquit M. Papa, *bene Adam dormiens figurauit, de cuius mox latere mulier proceſſit. Quia, quiſquis ad interiora intelligenda rapitur, à rebus viſibilibus oculos claudit, & tunc in ſemetipſo, & quæ præeſſe viriliter debeant, & quæ ſubeſſe poſſint infirma diſtinguit: vt aliud in illo ſit, quod regere valeat, aliud tanquam fœmina, quod regatur.*

*Quarto*: Silentio adfectus immoderati comprimuntur, & anima Deo perfectiſſime ſubdi adſueſcit, compeſcente, ſi qua fuit interius rebellionem, & paſſiones omnes domante Verbo diuino: quod tunc loqui in corde, & ad cor diximus, ibique vexillum ſuum erigente. Experitur in ſe veriſſimum eſſe Contemplator Myſticus, quod habet Sapiens de fortiſſimo hoſtium humani generis debellatore:

Sap. 18.

*Cum* Silentium quietum *teneret omnia, &* Nox *in ſuo curſu medium iter haberet omnipotens* ſermo *tuus exiliens de cælo à regalibus ſedibus venit, durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit.* Venit de cælo è regalibus ſedibus Rex Regum, & cor penetrat; ac eatenus ibi hoſpitan-

tantem, vel ignauiam, vel ferocientem adfectum cohibet constringit expellit.

Quinto: In Silentio loqui cum Deo discit anima. Hæc communis est Silentij vtilitas, præsertim Mystici. Monet prudenter Gregorius alijq; PP. in celebri illa Ecclesiastæ sentẽtia: Tẽpus tacendi, & tẽpus loquendi: præcedere tempus silentij: q; in silentio discatur, quid loqui debeas, vbi, & quando. Sicut monet Iesus Syracides *Antequam loquaris disce.* Quod respexisse videtur Chrysostomus dum scribebat Hom. 11. in verb. Isa. *Sit nobis tempus tacendi, quo detur & præceptori tempus loquendi.* Hieronymus autem Ecclesiastæ documentum putat auide arripisse Pythagoræos, quorum disciplina fuerit tacere per quinquennium, & postea eruditos loqui: id nobis quoque imitandum docet, adeo vt nihil nobis videatur rectum, nisi quod discimus attente, vt post multum Silentium, inquit, de discipulis efficiamur Magistri. Et sane nemo prompte de Mystices abditis loquetur, qui non ante mystico silentio adsueuerit. Eccl. 18. 19.

Sexto tandem: Fructus silentij mystici est, Libertas spiritus, qua fruitur, qui in solitudine spretis, mundi & carnis illecebris, ac vocibus, neglectis etiam vanissimis vulgi opinionibus soli Deo interius loquenti aurem accommodat. De hoc dici potest illud Iobi 39. *Dimisit*, Deus, *onagrum liberum, & vincula eius soluit.* Anima curis desiderijsque vitæ mortalis implicata, mundi negociis assueta, per varias cupiditates distenta, solitudinis ac secessus spiritualis minime patiens est tanquam Asinus domesticus, animal stupidum, seruituti natum, oneri ferendo destinatum, verberibus fere semper expositum, molæ aut præsepio alligatum, sub iugo ingemiscens. Iob. 39. 5.

At vero Contemplationi cælestium dedita, cui vnica cura, nihil curare rerum mortalium, vnica solicitudo quomodo solitudinem suam colat, vnica voluptas, cum Deo suo in deserto solitarie agere, secessum adamare, silentium Mysticum sectari, instar Onagri est, Asini quidem animalis ad audiendum auritissimi, sed syluestris, quem Deus à seruitute vrbana, à populi tumultu, à virga, camo, & vinculis eximit. Hunc prouidentissimus pater large, ac liberaliter sustentat, nulli præsepio voluptatis corporeæ alligatum, quippe è carne excedentem: sub nullo tecto angustæ mortalitatis commorantem, vrbanum vana sectantium tumultum, & multitudinem fori deridentem: non gementem sub onere peccati: non addictum seruituti exactoris sæuissimi Cupiditatis, clamantis post tergum, virga tundentis, & stimulo pungentis. Delicatiores ille cibos in sensuum præsepiis recondi solitos contemnit: contentus solis intellectualibus: mysticis

vero & super-intellectualibus,quos illi solitudo montuosa Contemplationis, & silens desertum secessus arcani abunde profert lætus, gratusque vescitur.

O amica libertas,qua non fruitur, qui secessionem non amat, domesticus asinus,sensuum seruituti addictus, cui nullæ sunt feriæ: cum Onagro semper sit feriandi ocium, perpetua libertas. Cui dat Deus vt sequitur apud Iobum, in solitudine domum,in qua illum ab omni passionum & cupiditatum iniuria tueatur. Et quidem in terra contemplationum altissimatum,quæ multis videtur salsuginosa, sterilis,arida:sed Mysticis est pinguissima,& vberrima: *Contemnit* Onager *multitudinem ciuitatis*:nempe,turbas,tumultum,perturbationem, confusionemque tum hominum,tum adfectuum:nam & corporaliter commoratur in locis ab omni tumultu vrbano remotissimis: multo lætius in sua illa solitudine,& in silentio viuit,quam si in aulis Regum,aut in populosissimo conuentu commoraretur: nihil ille præterea curat,nihil apperit, quam quæ in contemplationis deserto illi vbertim proueniunt:nullius rei sensibilis,nullius imaginabilis, nullius intelligibilis appetentia illum è terra salsuginis abstrahit. Amat vitam à rerum omnium externarum tumultu,& perturbatione alienam:negocia, quæ distractum pariunt contemnit: ocium silentiarium solitudinis,pro summo negocio amplectitur: illud æstimat: vnius interioris hominis curandæ & adornandæ pulcritudini intentus.

Quod si interesse hominum cætibus cogatur, & hic syluicolam,atque exulem vitæ agit, in ipsa vrbana vita, & foro medio terrenarum solicitudinum vinculis exemptus. Si,vt Gregorius eo loco commentatur *pro solitudine corporis intelligamus solitudinem cordis. Quid enim prodest solitudo corporis,si solitudo defuerit cordis. Qui enim corpore remotus viuit sed tumultibus conuersationum se inserit;non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis,& tamen nullos curarum secularium tumultus in corde patiatur,non est in vrbe.*

Hanc solitudinis curam,& ab omni cura alia absolutam solitudinem in Pueri denominatione delitescere existimat Clemens Alexandrinus, ideoque ijs amplectendam monet quos ille titulus delectat. *Hæc* (inquit) *videtur esse stultitia his,qui ad calliditatem,& versutiam se exercuerũt,Iure ergo sunt pueri,qui solum* Deũ *Patrem nouerunt,simplices, infantes,qui sunt vnicornium cornuum amatores:id est, qui vnitatem amant.* Qui vnam petunt à Domino,hanc requirunt, vt habitent in domo Domini. Qui vnũ necessariũ esse sciunt,& optimam partem quam cũ Magdalena eligunt. Qui dicere possunt cum solitario illo, licet inter media

media regni negocia & in castris Onagro: *Quoniam non cognoui litteraturam*(negotiationem habet Romanum Psalterium)*introibo in potentias Domini, Domine memorabor Iustitia tua solius*. Hoc est: Quoniam cor habeo solitarium,& certis temporum interuallis ab omni negociorum tumultu illud subduco, silenter Contemplationi vacans Deum Diuinaque tantum in cordis solitudine curabo. *Ps. 70. 15.*

Sed cum metueret idem ocij mystici amantissimus Onager, ne incursu negociorum,& sensuum tumultuantium solicitatione optatissimam cordis solitudinem deserere cogeretur, desiderabat sibi benedictionem impartiri,& bene ominatam illam precem sortiri effectum: *Dominus custodiat introitum tuum,& exitum tuum* Chaldæus legit: *Introitum ad studia legis:& exitum tuũ ad negotiationes mundi*. Et *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam*: dum nimirum è solitudine corporea extractus cogetis negociis exequendis tempus impendere. quod dexteræ symbolo indicatur. *Ps. 120.*

Non ignorant, qui hoc iter sunt ingressi, à quibusdam se stolidos existimari vt Asinos, & vt olim Christianos accusati asininæ cuiusdam ignauiæ, & inertiæ. Sic simplicitas iusti deridetur: sic primis Christianitatis initiis virum integerrimum & consularem contemnentem multitudinem ciuitatis &animæ curandæ diligentissimum, atque idcirco à Domitiano interemptum, vocabant seculi mancipia *hominem contemptissimæ inertiæ*: sic infructuosi in negotiis dicebantur per contemptum Christiani omnes. Sed qui habentur stolidissimi asini rectæ viæ sunt scientissimi:& quod notat Galenus, & Ælianus totam peragrant in neutram partem declinando,& obuiis in via nõ cedendo. *Hæc erit vobis directa via*, inquit Isaias, *ita vt stulti non errent per eam*. *Suet. Domi. cap. 15. Tertul. Apol. c. 42. Gal. lib. 11. Metho. Isa. 35. 8.*

Porro licet Onager in hactenus declaratis symbolum sit Contemplatoris Mystici, in eo tamen inuenio maximum inter vtrumque discrimẽ, quod Onager solitudine magis efferetur. At vero Mysticus, si quas habuit antea passiones ferinas, illæ solitudine& silentio comprimuntur,&cicurantur, vt diximus in Fructu IV. & docet egregie in hac disciplina versatissimus Basilius, tum in Regulis fusius disputatis. Interrogatione quinta, & ad illam Responsione, quæ tota est de Mentis solitudine ad perfectam tranquillitatem consequendam: & Interrogatione 6. Vbi demonstrat ad id esse necessariam solitudinem etiam corpoream, seu seorsum viuere. Nam ad continendam (inquit) in officio mentis agitationem, ne ad futiles videlicet, ac minime necessarias cogitationes aberret, illud adiuuat, si quis seorsim à ceteris communem vitam sectantibus viuat: tum Epistola ad Grego-

rium Theologum de vita in solitudine agenda, & in Encomio Eremi.

Additur de Onagro apud Iobum, quod huc maxime spectat: *Vocem exactoris non audit.* In quietissimo silentij habitaculo Mysticus, cum vni Deo auditum suum accommodet, nullius, quamuis altissimum clamantis, & se ab animi libertate auocare conantis vocem percipit. Per exactorem intelligit Franciscus Vatablus Venatorem: nam sic legit: Qui vult eum redigere in seruitutem, more exactoris, qui ab aliquo quidpiā exigit: Non audit qui est in silentij mystici antro vocem venatoris Dæmonis, mundi sensualitatis. Si magis placet, quod habet Caietanus: vocem oppressoris: nimirum, hominis, qui percutiendo, onerando, pungendo, clamando iumentum opprimit. A nulla, quamuis assidue impellente passione Mysticus in libertatē plenam filiorum Dei assertus opprimitur: semper sui iuris, quia perfectissime Deo subiectus.

## SEXTA DISQVISITIO. Cuinam Deus facere soleat gratiam Silentij Mystici.

*Isa. 32. 17.* RESPONDEAT Propheta Isaias: *Erit opus iustitiæ pax, & cultus Iustitiæ Silentium.* Opus & cultus iustitiæ: id est, præmium, & merces: (sumitur enim hic per metonymiam, caussa pro effectu, vt notat eo loco Gaspar Sanctius) actionis iustæ, religionis perfecte cultæ, pietatis exacte obseruatæ, erit, absque omni adfectuum perturbatione tranquillitas, quies, silentium. Illi ad hoc conclaue tanquam summi Principis domesticum habitaculum admittuntur, qui præter vnicam Dei iustitiam, qua inter carnem & spiritum, inter sensum & rationem, inter creaturam & creatorem æquitas perfecta constituitur, nihil expetunt.

*Glycas Tom. 4. Anual. Vita PP.* An non talis inter tot millia Solitariorum eximius ARSENIVS, qui popularis & aulicæ pertæsus vitæ (fuerat enim Honorij & Arcadij Magister) seculique perspecta vanitate, multitudinem ciuitatis contemnere statuens, exire aula, abducere se, secedere & abdere consulto Deo animum induxit: cum ecce vocem non Exactoris molesti, sed inuitatoris blandi audit: Fuge Arseni, TACE, & QVIESCE. Significans post iustitiæ cultum etiam in palatio fugiendum mundum, renunciandum seculo: tum vero silentium in solitudine colendum: tunc subsequuturam nunquam satis explicandam animi Deo familiaris quietem trāquillitatemque. Sequutus est vocantem Deum

Deum,& pacem in silentij domicilio consequutus est. Quam suadebat Marinus qui à sene interrogatus: quænam tecta salutis esset via, *Secedere*, aiebat, *à vulgo, & in cella versari*. Qua cella? cella cordis, quietis & silentij. In qua

*Sedebit Solitarius, &* TACEBIT, *quia leuauit se supra se*. LXX. *Sedebit singulariter, & silebit: quia tulit super se*. Sedet Mysticus, quia decreti, institutique firmus, tenax, constans, moueri nescius, perturbationibus animi tranquillatis quietus, in medijs foti tumultibus sedatus: vbique *solitarius*. LXX. καταμονὰς, singulariter, vt legunt Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Pascasius: quia fugitans commercij, ac consortij non malorum tantum, sed & bonorum, quantum viuendi ratio permittit, cum solo Deo agens, à temporaneis, mundanisque separatus: *Factus sicut nycticorax in domicilio, & passer solitarius in tecto*. Thren. 111. 28.

*Leuat se super se*, diuinis contemplationibus intentus Deo inhærens, habitans in adiutorio altissimi. Quod vt consequeretur, Elias vel Carmeli montem incoluit, vel in spelunca silens constantissime delituit: Ioannes Baptistes Antra deserti teneris sub annis

Ciuium turmas fugiens petiuit.

Christus, vt exemplo alliceret in silentio & oratione pernoctauit.

Felix anima quæ ab externis omnibus se abducens curis, silentii amans secum ipsa habitat, cum Deo in cordis sui penetrali agens. Felix ter & amplius quæ, in cælestium contemplatione rerum suauiter quiescens, ita exaltatur Deo nixa, vt terram adfectu tanquam pede terat, mente altissimo inhæreat: cuius conuersatio in cælo. Quod nunquam consequetur nisi dicere possit cum silentij huius sedulo affectatore: Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine, expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate: nisi cum Deo agere assidue assuescat, ipsius inuitatus dulcissima admonitiuncula: *Custodio mane & noctu: si quæsieris, quare, & apud me habita*, vt legunt LXX. Isaiæ 20. Quod & profanis olim fuit in votis, è quibus nescio quis Psal 54. 8. Is. 20. 12.

*Tecum habita & noris quam sit tibi curta supellex*. Per. Saty. 4

Exequutus id est Augustinus, qui de se fatetur: *Intraui in intima mea duce te, & potui quoniam factus es adiutor meus*. Hoc ex instituto faciunt, quorum institutum tacendi, & fugiendi verbulis complexus est religiosus poeta Lib. 7. Cōf. cap. 10.

Pallentem nuper rigidi Brunonis alumnum
Sic adiit mundum linquere certus Odo:

Ede pater, quæ Carthusiæ sit regula vitæ:
Quæ nox, quæque dies: quid fugiant, quid agant:
Ede quibus studijs hic viuitur. Ille TACENDO,
FVGIT, & ingemuit. non potuit melius.

## SEPTIMA DISQVISITIO. An inter mysticos numerandi silentiarij?

FVit media ætate munus Silentiariorum in Augustorum palatiis, de qua appellatione disputatur ab eruditis. Illud propius vero. Habuisse Imperatores senatum selectissimorum quorumdam, quibus ius fuerit consultandi de grauissimis negociis. His sæpe præsens erat Augustus ipse in ambone, aut tribunali considens, arbiter consiliorum, & vel approbator, vel reiector, vti nunc in intimo seu secreto consilio: aut in Parlamento vel Consistorio Rex. Si aberat Imperator, vices agebat *silentiarius*, qui nunc Cancellarius. Cœtus ipse appellabatur silentium, vt ex Zonara, Niceta, Suida, aliisque satis constar. Certe, conuentum, quem Zonaras τὴν σύγκλητον βουλὴν appellat silentium vertit Auctor Miscellæ, seu Paulus Diaconus. Ita namque li. 21 de Leone III. Imperatore Iconomacho: *Impius*, inquit, *Leo Silentium contra sanctas, & venerabiles celebrauit iconas, in tribunali decem, & nouem cubitorum aduocato quoque Germano Patriarcha.*

Tom. III. Annal.

Non fuisse primitus inter præcipua palatij munera ex eodem Zonara liquet. Nam scribens Anastasium Dicorum ante adeptum imperium Silentiarium fuisse, subdit χαμαιζήλων εἶναι τοῦτο ἀξιωμάτων: id est, inter minores fuisse palatii dignitates. Idemque de Anastasio Suidas refert, & Cedrenus, ac Baronius. Deinde vero maior fuit dignitas, quales fere iam Secretariorum Principis, vt ex auctore vitæ Angelberti colligit Paulus Potauius. Sic enim ab eo scribitur: *Sibi Carolus Magnus eundem* Silentiarium *statuit in quo compererat prudentiæ altitudinem, cuius consilio componeret totius regni vtilitatem.* Fuere igitur in officio imperatoris Silentiarij.

Cedre p. 491. Baron to. 4. A 491.

Alterius porro generis alios Palatij ministros ita vocatos reperio, quorum seruilis fuit opera, inter seruos honestiores aulæ numerari solitos. Hi ad sacri Consistorij limina silentium conseruis indicendo & garrulitatem compescendo, vtilem nauabant operam, id est, quod Procopius insinuat, in Palatio Imperatori militantes, ea, quæ quietis erant, curabant. An tales olim *Mediastini* & Atrienses apud Cice-

Procop. l. 1 belli Persi.

Ciceronem in Paradoxis, post etiam *Actores*, qui & *Dispensatores* nuncupati? De his viri docti disceptant: nominatim Iacobus Ræuardus J.C. lib. 5. variorum cap. 20. Ausonius Popina de operis seruor. Laurentius Pignorius Comment. de seruis. Dictis Silentiariis similes fuere apud Romanos qui silentio indicto plebem tacere iubebāt: ij Præcones etiam vocati, qui audientiam in foro faciebant, cum verba quis facturus erat.

*V Lalium Biscsolam lib. 11. hovar. ca. 12. Plaut. Prolo pœnuli.*

Schola Silentiariorum quæ fuit Constantinopoli celebratur à Nicephoro lib. 16. eccles. hist. cap. 24. & Tit. 16. libr. 12. Cod. L. omnimodo. Cod. de inoffic. Testam. Iustiniani vbi Cuiacius. Munus ipsum describit Procopius Persicar. rerum lib. 11. & lib. 4. de ædificiis Iustinia. Hæc præmisi, vt

*Cuiac. lib. obser & ad Tit. 62. Cod. li. 5.*

RESPONDEAM, Theologiam Mysticam esse scholam Silentiariorum, in qua erudiuntur ad religiosam taciturnitatem, & sacrum silentium contemplatiui, qui, qua silentiarii à Deo adhibentur, ad priuatum eius concilium: eius dicta propius ipsi percipiunt, & tanquam à secretis principis, illa sibi commendata fideliter retinent: aut cum vsus fert, & summi Imperatoris mandatum vrget aliis euulgant: Præcones etiam sæpe numero vt aliis silentium imperent: & audientiam in aula cælesti aut Ecclesiæ foro postulent.

Talis Ioannes Silentiarius Anastasii Imperatoris æqualis, ex Episcopo Armeniæ Monachus, discipulus Sabæ Abbatis, à silentii obseruātia cognomento hoc insignitus: cuius vitam Cyrillus Monachus scripsit & legitur inter Metaphrastæ collectanea, ac Romano Martyrologio, & Menologio Græcorum. Talis Theodorus, Silentiarius cognomine, ad quem extat Nili Episcopi epistola in VII. Synodo Oecumenica seu Ephesina II. Tales deniq; qui in Mystices palæstra eruditi, quamuis in terra corpore commorentur, aduenas tamen & peregrinos se super terram existimant Deoque fixi hærent, cœli municipes, vbi assidua illorum est conuersatio.

# COMMENTATIO IV.

# SVSPENSIO MYSTICA.

SILENTIVM Mysticum inducit SVSPENSIONEM, non tam corporis, quamuis & hæc aliquando subsequatur, quia in altum sæpe

 tolli-

tollitur,quam animæ:si tamen *silentium* & *suspensio* reapse distinguantur. quod ex ijs,quæ disputabimus,liquebit.

# EXERCITATIO I.

## *SVSPENSIONIS MYSTICÆ SIGNIficatio,& proprietas.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quid nomine suspensionis intelligant Mystici?

RESPONDEO non intelligere 1. Subleuationem in altum,seu corporis,seu animæ. Corporis enim subleuatio alio spectat: subleuatio animi fit in qualibet oratione bona & contemplatione,quamuis non interueniat suspensio propria. Nec 2. dubitationem. Nec 3. anxietatē: licet anxium,dubiumque suspensum Latini dicant. sic & Lucæ 19.4. populus fuisse suspensus legitur. Nec 4. prorogationem: quo pacto dicimur suspendere rem aliquam: id est differre,prorogare. Qua significatione auorum æuo Concilium Tridentinum suspēsum esse spargebatur, de quo sic non illepidus Poeta

*Andreas Frusius Epigram.*

*Afflictum miserans Astræa reuiserat orbem,*
*Et pia Concilio Iura sedente dabat.*
*Nunc vbi Concilium suspendi cernit,& audit,*
*Ipsa quoque ἐς κόρακας vix reditura fugit.*

Itaque 5. significant nomine *suspensionis* perfectissimam animi & potentiarum omnium tranquillitatem,quietem,malaciam, similem illi, quam in mari cernimus dum nulla vel minima aura commouetur. Est igitur cessatio ab omni vel exiguo vento passionum, à qualibet vel minima perturbatiuncula: an etiam ab omni omnino functione intellectus,& voluntatis? id postea examinabimus. Non abit longe hæc nominis vsurpatio,ab illa Latinorum, qua suspensum pro placito & silenti accipiebant. Sic suspenso gradu, & placide ire alicubi dictum inuenies.

*Terent. Phormio.*

Alio modo explicant nonnulli suspensionem: vt sit perfectissima ad id quod animus contemplatur attentio, & rerum omnium inferiorum obliuio. Ita Iacobus Aluarez tom. II, lib. 5. par. II. cap. 8.

Se-

## Secvnda Disqvisitio. Quo exemplo declarent Myſtici ſuſpenſionem Contemplatiui?

RESPONDEO. Imaginantur *Auiculam* alarum ſuarum remigio paullatim in altum ſuſtolli, cumque ad aeris illam regionem venerit vnde nec videri, nec audiri amplius à mortalibus poteſt hærere librarique cælum inter & terram, ibidemq; ſuſpenſam conſiſtere. Finge eſſe Aquilam, quædum ſuſpenſa hæret pene ad ipſum ſolis orbem, nunquam nictantes in eius ſphæram vibret oculos.

Acceperunt hanc imaginem poſteriores à Richardo de S. Victore, qui dum varios motus & agitationes Contemplantium ad ſimilitudinem volatilium exponit, tandem etiam Suſpenſionem nominat. Viuacitas, inquit, intelligentiæ in Contemplantis animo mira agilitate modo it, atque redit: modo ſe quaſi in gyrum flectit: modo autem ſe quaſi ad vnum colligit, & velut immobiliter figit. Huius ſane rei formam ſi recte perpendimus in cęli volatilibus quotidie videmus. Videas alia nunc ſe ad altiora attollere: nunc ſe in inferiora demergere, & eoſdem aſcenſionis, deſcenſioniſue ſuæ modos ſæpius repetere. Videas alia nũc dextrorſum, nunc ſiniſtrorſum diuertere: & nunc in hanc, nunc vero in illam partem declinando inanteriora parum, vel pene nihil ſe promouere, & eaſdem diſcurſuum ſuorum viciſſitudines multa inſtantia multipliciter reiterare. Videas alia ſub magna feſtinantia ſę in anteriora extendere: ſed mox ſub eadem celeritate in poſteriora redire: & ſæpe id ipſum agere, eoſdemque excurſus, atque recurſus diutina frequentatione continuare, atque protrahere. Videre licet alia, quomodo ſe in gyrum flectunt, & quam ſubito, vel quam ſæpe eoſdem, vel ſimiles, nunc autem paullo latiores, nunc paullo contractiores circuitus repetunt, & ſemper in id ipſum redeunt. Videre licet alia, quomodo tremulis alis, ſæpeque reuerberatis, ſe in vno eodemque loco diutius SVSPENDVNT, & mobili ſe agitatione, quaſi immobiliter figunt: & ab eodem SVSPENSIONIS ſuæ loco, diu multumque hærentia penitus non recedunt, ac ſi operis, & inſtantiæ ſuæ exequutione prorſus videantur exclamare, & dicere: Bonum eſt, nos hic eſſe. *lib. 1. de Contem. c. 4. 5.*

Iuxta hoc ſane propoſitarum ſimilitudinum exẽplar Contẽplationis noſtræ volatus multiformiter variatur: & perſonarũ negociorũq; varietate vario modo formatur. Nunc de inferiorib. ad ſumma, nunc de ſuperioribus ad ima aſcendit, & deſcendit: & nũc de parte ad totũ,

nunc de toto ad partem considerationis suæ agilitate discurrit: & ad id, quod sciri oportet, nunc à maiori, nunc à minori argumentum trahit. Modo autem in hanc, modo in oppositam partem diuertit, & contrariorum notitiam ex contrariorum scientia elicit: & pro vario oppositorum modo ratiocinationis suæ exequutionem variare consueuit. Aliquando in anteriora currit: & subito in posteriora redit: dum modo ex effectibus, modo ex caussis, & qualibuscumque antecedentibus, vel consequentibus cuiuslibet rei modum, vel qualitatem deprehendit. Quandoque vero quasi in gyrum speculatio nostra ducitur, dum vnicuique rei quæ sint cum multis communia considerantur: dum ad vnam quamlibet rem determinandam nunc à similibus, nunc à similiter se habentibus, seu communiter accidentibus ratio trahitur & adsignatur.

Tunc autem in vno eodemque loco considerationis nostræ DEFIXIO, quasi IMMOBILIS sistitur, quando in qualiscumque rei esse, vel proprietate perspicienda atque miranda Contemplantis intentio libenter immoratur.

Sed ne verba nostra humanam Philosophiā videantur redolere: vel à Catholicæ doctrinæ plano, simplicitatisque tenore discedere: commodius fortasse dicemus. Quod ascendere, & descendere: ire & redire: nunc huc nunc illuc declinare: modo in circuitum pergere, vel tandem in vno hærere, nihil aliud sit, quam summa agilitate, nunc de imis ad summa, vel summis ad ima: nunc de primis ad nouissima: vel nouissimis ad prima: modo de disparib. ad disparia meritorū, vel præmiorū genera mente transire: modo circumstantia, vel cohærentia cuiusque rei curiosa perlustratione circumspicere, vel tandem aliquando in alicuius speculationis nouitate, nouitatisque admiratione animum satiare.

Vides, quomodo Contemplationis nostræ negocium semper iuxta aliquid suspenditur atque protrahitur: dum contemplantis animus iucunditatis suæ spectaculo libenter immoratur: dum semper studet, vel in idipsum sæpe redire, vel in eodem diutius IMMOBILITER PERMANERE.

Audi de illo contemplationis modo, quæ quodammodo fieri solet ante & retro: Ibant animalia, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Accipe & de illo, per quem animus in diuersa rapitur: & nunc in hanc partem, nunc in illā discurrendo mira agilitate in contraria agitatur. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Illum, qui quasi sursum & deorsum fit paucis. Psalmista verbis expressit: Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque

vsque ad abyssos. Ad illum contemplandi modum, qui velut in gyrum ducitur prophetica illa voce admoneris: qua dicitur: Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Tunc autem Contemplationis radius velut in vno loco immobiliter figitur, quando illud Abacuc in semetipso quilibet experitur: Sol & Luna steterunt in habitaculo suo.

Ex his colligas, quid apud Mysticos sit Suspensio: nimirum, Mentis in vnum defixio: Immobilis Contemplantis intentio: In vnum idemque animi immobiliter permanentis collimatio: Immutata Intelligentiæ in Contemplatione persistentia.

---

## EXERCITATIO II.

### *AN SVSPENSIONEM MYSTICAM, esse Cessationem operationis omnis, tum Intellectus, tum voluntatis, sensus sit antiquorum quorundam Mysticorum.*

FVerunt nonnulli in abdita Contemplationis Schola diu multumquem exercitati, qui in eam deuenere persuasionem, contingere aliquando, vt anima in Contemplatione posita ita suspendatur vt ab omni actuali operatione tam intellectus, quam voluntatis cesset: & tamen apud Deum genus quoddam altissimæ Contemplationis exercere conseatur.

Niti potuerunt hi Doctores dictis quibusdam obscurioribus, atque hoc insinuantibus Dionysii Areopagitæ, quem omnes summum, post Apostolos, Mysticæ disciplinæ magistrum agnoscunt. Sic autem ille scribit cap. 1. de Mystica Theologia: & hic est PRIMVS LOCVS *Tu Timothee clarissime pro maxima mysticorum spectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte & sensus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ & sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, teque ad eius, qui omnem essentiam, omnemque scientiam superat, coniunctionem & vnitatem pro virili parte ignorando excita.*

Verum ex his Areopagitæ verbis nihil magnopere habetur, quod illam sententiam stabiliat: nam sensus illorum est, vt in Elucidatio-

datione illius capitis tradit Carthusianus: Tu ô amice Timothee ad hoc vt capax fias mysticarum speculationum, & maxime Contemplationis eminentissimæ, cooperare radio diuino, & enitere ad summa confortatus per fidei lumen, virtutum munditiam, & sapientiæ donum circa adipiscendas contemplationes Mysticæ sapientiæ. Itaque sensus desere, & intellectuales operationes, & sensibilia, & inuisibilia, & omne non ens & ens. hoc est: cuncta creata transcendas, nempe vires sensitiuas & intellectiuas, operationes quoque illarum, & obiecta: ita, vt illis non sis intentus, nec detinearis in illis: sed tam amorose, clare, & valide infigaris, & intentus sis increato obiecto, vt aliorum nihil actualiter apprehendas, & penses: sed totus ac totaliter
2. Cor. 3. in Deum demersus sis, secundum illud Apostoli: Nos reuelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. & iterum: Mente excedimus Deo.

Actiones igitur quas prætermittendas, vel omittendas Contemplationis mysticę auido præscribit Dionysius, illæ tantum sunt,
Tom. 2. Relig. li. 2. c. 12. vt bene monet Franciscus Suarez quæ circa res alias, & extra Deum quoquomodo versantur. Vel certe, intelligit omnem actionem aliquo modo propriam ipsius hominis, & à proprio spiritu profectam: ac quasi propria inquisitione inchoatam. Nam cum anima in altissima Contemplatione ab spiritu sancto mouetur, non debet aliquid proprię actionis miscere: sed spiritus-sancti ductum sequi, quamuis id non faciat absque vera efficientia & cooperatione.

Certe, ne quidem in mentem venire potest vlli in Dionysij scriptis versato, voluisse Doctorem iis verbis significare, prætermittendum actum dilectionis, qui est mentis operatio, cum moneat suum discipulum, vt ad coniunctionem ac vnitatem eius qui omnem scientiam superat, se excitet. Vnio autem illa, & coniunctio in actu amoris consistit. Excitatur autem ad illam per actum intellectus clam, siue interna quadam & occulta ratione.

SECVNDVS LOCVS ex Dionysio qui fauere videtur suspensioni omnimodæ is est, in quo agnoscit gradum quendam perfectionis, in quo anima potius patitur quam agit, quod Hierotheo Areopagitæ in Theologicis Magistro euenisse scribit, ideoque Diuina patientem eum nominat.

Sed neque hoc cessationem ab omni actu voluntatis & intellectus arguit, imo potius operationem positiuam indicat. Nam vt explicamus Prima Parte Theologiæ lib. 3. Commentatione 17. DIVI-

NAPATI secundum Maximum Dionysii Scholiastem est experimento capere, quod docetur: seu; quod per reuelationem diuinam hausit, exprimere. Sic Hierotheus res diuinas non modo didicisse, sed & passus fuisse dicitur. Et qui per diuinam reuelationem diuinis mysteriis imbuitur, aut in altum per contemplationem Deo subleuante eleuatur, à se ipso excedit, ac recte vtilem hunc adfectum pati asseritur, vt Dei domicilium fiat. Item ; alio modo diuina pati dixit Dionysius, quia Hierotheus non per sermonem ad docendum comparatum diuinorum cognitionem perceperat, sed per diuinam illuminationem impressam, atque consignatam in animo. Præterea, vt existimat Iacobus Billius Prunæus, vt is μαθὼν ὀνομάζεται dicitur, qui labore ac diligentia rerum diuinarum notitiam sibi comparauit: ita παθὼν, qui ijs voluntate, atq; adfectu serio adficitur, vitæq; sanctitatem ad doctrinam adiungit.

Variam hanc expositionem Dionysij verba admittunt, sic enim scribit. *Hac & à nobis aliis locis satis multis demonstrata sunt, & valde celebrata à clarissimo præceptore meo in Theologicis suis institutionibus, quæ ille siue à S. Theologis accepit: siue artificiosa scriptorum diuinorum consideratione, & indagatione perspexit multa in his exercitatione, diuturnoque vsu, siue etiam* DIVINIORE *quodam instinctu hausit, non solum disciplina adeptus Diuinarum rerum scientiam, verum etiam* IMPRESSA *in se Diuinorum imagine expertus, atq; ex sua cum eis consensione, si ita loqui oportet absolutus in ipsorum, quæ doceri non potest, mysticaque coniunctione ac fide.* Li. de nom. diuin. c. 2.

TERTIVS LOCVS est capit. 7. de nominibus diuinis vbi dicit, *Ignoratione adquiri intimam cum Deo conjunctionem, & mentem à rebus omnibus abductam, & se ipsam deferentem cum splendidissimis radiis coniungi, & ibi inuestigabili sapientiæ profundo illustrari.* Quæ illustratio non videtur alia quam illa passio, quæ dum anima ab omni, omnino intellectus ac voluntatis operatione est absoluta experitur.

At neque in hoc loco multum est præsidij. Per ignorationem enim intelligit magnus Doctor, non orbationem omnis cognitionis, & dilectionis, sed eam notitiam, quam epistola 1. ad Caium Monachum appellat, *Tenebras* & *caliginem inaccessibilem*; & est cognitio per remotionem, siue negationem. Vnde eadem illa epistola concludit: *Si aliquis videns* DEVM *intellexit, quod vidit, non ipsum vidit, sed aliquid eorum, quæ sunt eius, quæ existunt, & cognoscuntur. Ipse autem super mentem, & supersubstantiam supercollocatus, non ipso vniuersaliter non cognosci, nec esse, & est super-substantialiter, & super mentem cognoscitur: & secundum melius perfecta ignorantia cognitio est eius, qui est super omnia, quæ cognoscuntur.*

Qualis autem sit cognitio Dei per negationem seu ablationem pluribus primo libro est disputatum.

Post Areopagitam nominantur alii, qui perfectam ab omni operatione suspensionem agnouisse putantur: imprimisq; haud ignobilis inter Mysticos, Ioannes Thaulerus, qui in institutionibus cap. 12. vbi agit *de interiori suprema resignatione & excessu in* DEVM *per quem spiritus omnino in* DEVM *immergitur*, aliquibus loquendi modis hanc operationum orbitatem insinuat. Initio statim capitis: *De illa*, ait, *interna resignatione dicendum est, quæ ad Spiritum refertur, qui in suo opere corporeo non vtitur instrumento: sed eius opera, pura, incorporea, & supra tempus sunt, erecta ad incorporeum, increatumque bonum illud, quod est ipse DEVS: vbi nimirum Spiritus sursum attractus, & cum omnibus viribus suis intensus, quadam vi supernaturali operatur, in lumine supernaturali contemplatur, supernaturali dilectione feruet, & ardet, purissimaque illi, & abstracta inhæret substantiæ non lucens tempori, sed inhians æternitati: sibi ipsi omnino excidens, ac deserens pure, ac nude quicquid est, potest, scit, prævalet, amat, possidet, contemplatur. Hæc*, inquam, *omnia illi in hac intima sui Resignatione, & inexhausta Diuinitatis abysso exciderunt: submorsa, deperdita, abnegata sunt: nude in* QVODAM NON MOVERI, NON VIVERE, NON VALERE, NON POSSE.

Post multa deinde hæc subdit. *Hoc modo perfecte stat resignatus in propria imperfectione sui ipsius, confitens Domino omnem paternum honorem, infinitamque illius dominationē. Hic iam internum quoddam* MVTVMQVE SILENTIVM *fit: nec vllum hic verbum eloqui licet. Sed nec intus, nec foris* Quicquam *hic* OPERARI, *permittitur Sed ipse Spiritus* PATITVR *dulcem quandam* INSENSIBILEM, *&* INEFFABILEM PASSIONEM *insupermirabili miraculo lucidissimæ supersplendentis, ac abyssalis Deitatis.*

Possent hęc aliquibus suspicionem inijcere ac si Thaulerus existimaret feriari animam ab omni functione tum intellectus, tum voluntatis, quando est in altissimo contemplationis gradu: Sed vero non ita illum sensisse ex eodem cap facile est deducere. Clarissime enim dicit, *Spiritum sursum attractum, & cum omnibus viribus suis intensum, quadam vi supernaturali operari, in lumine supernaturali contemplari, supernaturali dilectione feruere & ardere.* hæc enim absque operationibus interioribus non contingunt. Sicut neque ista, quæ post multos versus subiungit: *Optima quædam cautela, verusque in spiritu profectus est, vt Dei magnitudo & excellentia in fundo tuo crescat, vt videlicet Spiritus in intellectuali sua consideratione, atque in ipso fundo suo* DEVM *magis, ac magis magnum, abyssalem, immensum, apprehendat, & intelligat: idque non cum opinione, sed reipsa ita esse sentiat: atque iuxta hoc suum dirigat intellectum, siue captum,*

*captum, quantum potest, & quantum* DEVS *illi in hac caliginosa luce, & lucida Caligine seipsum cum actuali seu existente bonitate exhibere conabitur.*

Ne autem putes nihil cerni in hoc monte caliginoso altissimæ contemplationis addit. In hac luce gloriosum P. Benedictum totum mundum velut sub vno solis radio, ante se adductum vidisse. Quamobrem eam admittit Thaulerus in suspensione mystica intellectus operationem, quam habuit, cum admiranda illa visione frueretur Benedictus: quæ vtrum fuerit intuitiua diuinæ essentiæ visio, vel alius obiecti immediate, fuse disputaui p. parte Theol. li. III. Comment. XLII.

Illud itaque imprimis adfirmo, loqui Thaulerum, vt Mysticæ sapientiæ Doctores, phrasi non omnibus vsitata, & quæ non grammatico è syllabis collecto sensu, sed spirituali, quæque experientia nititur altissimisque & maxime profundis & abditis constat conceptionibus. quocirca, vt alia pleraque, quæ vel mortem animæ, vel sui annihilationem, vel interitum innuunt, pia sunt interpretatione mitiganda: ita & hæc, quæ omnium functionum negationem indicant: maxime cum in antecedentibus, & consequentibus satis declaratur, animam non omnino feriari.

Deinde, loquitur Thaulerus comparatiue: quod Mysticis est frequens. Comparatio autem vel in eo consistit, quod dilectio, & intellectio mystica in illo contemplationis gradu tam sit alta, tam sublimis, tam admiranda, vt collata cum aliis actibus siue intellectus, siue voluntatis, quæ extra illam caliginem exerceri solent, videantur potius esse negationes illarum functionum, quam positiuæ operationes. Vel, quod respectu perfectissimarum operationum illarum, ceteræ inferiores, quibus homines occupantur, tanquam nullius momenti æstimari possint, ac debeant.

Præterea, tales sunt actiones illæ mysticæ vt neque loquutione interna, per mentis verba, neque externa vocibus expressa satis explicari possint. Quare cum illud, quod est ineffabile, habeatur tanquam non esset: tale videlicet, quale est id quod verborum circumscriptione proditur, negatione rei vulgaris indicari solet.

Quopacto recte dicere potuit: dum suspenditur anima *fieri Silentium internum, vbi iam nihil eloqui licet.* Præterquam, quod loquutio, etiam interna, quæ fit per ratiocinationem cesset in caligine dum suspenditur anima: quia tunc tantum est simplex & vniformis intuitus.

Suspensio igitur *neque intus, neque foris quicquam operari permittit*: id est, non sinit voluntatem in alium amorem prorumpere, quam

simplicissimum illum & vnitiuum. Neque tunc intellectus alteri functioni vacat, quam vni illi, quæ est simplicis veritatis intuitio. Tam autem intuitionem, quam dilectionem illam inflammatissimam vocare licet *Passionem*, sed vitalem, quæ operationem eius qui patitur neutiquam excludit. Potius tamen vocatur *Passio*, quam *Actio*, quod quia est à Spiritu diuino, ea potius agatur anima, quam agat phrasi Paullina: *Quicumque Spiritu Dei aguntur* Rom 8. 14. Agit ergo tūc Spiritus S. animam peculiari quadam motione valde distincta ab illa, qua ordinario modo, & virtutibus communiter accommodato solet quosdam ad diuina eleuare.

Aliqua, ex his, interpretatione Thauleri verba exponenda sunt: & ipse satis insinuat. Nam diserte scribit: *In hoc interiori Spiritus incremento omnis externa creaturarum cedit consideratio.* Ergo non interna Dei. Et mox: *Hic, amor omnis creaturarum exuitur: atque in hoc supermirabili spiritus miraculo, vbi ipse supra omnem sensuum, ac intellectus capacitatem, à Deo in admirabilem lucem suam deducitur, rapiturque ita, vt supra naturam, & etiam supra se ipsum extra id quod factus est in quādam* DEIFORMITATEM *eleuetur. Ibi plane spiritus, præ lumine, absque luce: præ cognitione, absq; cognitione: & præ amore absque dilectione efficitur.* NON quod ABSQVE DILECTIONE sit: *sed in sua cognitione, vbi contemplationis oculum ad sese reflectit, omnis ei essentia, vita, vires, cognitio, amorque suus nimis parua videntur ad summum Deum comprehendendum.*

*Sicut enim culex medicus ad vastissimam cæli molem intra se comprehendendam omnino impar est: sic & iste spiritus ad* DEVM *comprehendendum nimis agnoscit se, ducitque imparem. Sicque in Dei celsitudinem sustollitur, attrahiturque, quod se ipsam in suam demittat paruitatem, dum naturalem in se facultatem non inuenit, quæ ad Dei comprehensionem possit pertingere.*

Adiungit post hæc alia, quæ magis declarant, quomodo anima in statu suspensionis mysticæ se habeat & quanam fruatur contemplatione, nimirum, pura, aut ad puram proxime accedente, quæ fit per ablationem magis, quam perpositionem, ideoque ignorantia potius dicetur & nescientem constituere.

*Hic plane felix ac stupendus est Dei ludus, qui spiritus capacitatem ad suprema illius pascua coaptat, præparatque. Quanto namque seipsum Deus magis ac magis pure in hoc sublimi coruscoque manifestat lumine, tanto amplius spiritus diuinitatem esurit* SCIENS NESCIENSQVE: *quanto autem Deitatem plus esurit, tanto Deus vacuam eius capacitatem amplius implere desiderat, appetitque. Et sic infinitus quidā hic circulus est, dum & spiritus capacitas ex repletione famescit, & esuriens impletur, ac vndique pascua inuenit in quibus & esuriens, & repletus pascitur. Est præterea mirus quidam hic intellectualis circu-*

*lus*

*lus in circulo. Nam & ipse* DEVS *sponte spiritui se incomprehensibilem reddit dum se illius capacitati in supernaturali quadam contemplabili luce temperat, seque per* CONTEMPLATIONEM *in intellectuali illo circulo id est in circulari siue ambiente spiritus capacitate comprehendi sinit.*

Ex his, & iis quæ subnectit Thaulerus non necessario deducitur eum existimasse in Suspensionis mysticæ statu vacare omnino animam ab omni operatione tam voluntatis, quam intellectus. *Alio*rum *Au*ctorum, qui pro eadem sententia nominari solent facilior est explicatio. Nam alias voces non vsurpant, quam Quietis, silentij, soporis, & similes, quarum significatio mystica sine priuatione totali operationum interiorum optime consistit.

---

# EXERCITATIO III.

## *VTRVM SVSPENSIO MYSTICA SIT absque omni actu, sensu Scholasticorum & Mysticorum recentium.*

### PRIMA DISQVISITIO. An Viuentia possint suspendere omnem suam actionem vitalem?

RESPONDEO, Negatiue. Constat 1. inductione: Nam tam plantæ, quam animalia omnia habent actionem vitalem, à qua nunquam cessant, nec cessare possunt, cum non sit subiecta ipsorum libertati. 2. Ratione. Quia quicquid viuit habet actionem aliquam vitalē: cū vita non sit aliud, quā operatio à principio intrinseco vitali: imo vita in constantib. materia & forma sit actio animæ seu sensitiuæ, seu vegetatiuæ, seu harū, & intellectiuæ. Cū multis modis vita dicatur, inquit Philosophus, id viuere dicimus, in quo aliquid horum modo reperitur, vt mens, sensus, motus, statusque in loco: præterea motus is, qui in alendo est accessio & decessio. Itaque necesse est vt infimi generis viuentia habeant saltem vegetationem, vel nutritionem. *lib. 2. de Ani. ca. 2.*

## SECVNDA DISQVISITIO. An Viuentia pure intellectualia, seu Angeli suspendere possint omnem actum Intellectus & voluntatis?

RESPOND. I. Angelos nec suspendere, nec posse suspendere, nec posse velle suspendere actionem nobilissimam intellectus, qua videt Deum, & voluntatis, qua amat. Nam visio, qua beatur, posito lumine gloriæ, & Deo supplente officium speciei intelligibilis, nec denegante concursum ad operationem, non subest libertati voluntatis. Non potest autem etiam illam non velle, cum nulla ratio mali vel difficilis in eius exequutione possit concipi, neque ratio alicuius boni in eius cessatione. Actus vero amoris concomitans, aut subsequens visionem est omnino necessarius.

RESPONDEO II. Angelos non suspendere vnquam omnem operationem intellectus circa naturalia. Est S. Thomæ I. P. quæst. 54. art. 4. Vbi disputat: vtrum in Angelo sit intellectus agens & possibilis, & Respondet: necessitatem ponendi intellectum possibilem in nobis esse propter hoc, quod nos inueniamur quandoque intelligentes in potentia, & non in actu; vnde oportet, inquit, esse quandam virtutem, quæ sit in potentia ad intelligibilia ante ipsum intelligere, sed reducitur in actum eorum cum sit sciens, & vlterius cum sit considerans. Hæc autem virtus, inquit, vocatur intellectus possibilis. Ceterum hæc [virtus] deest in Angelis, cum non sint quandoque intelligentes in potentia tantum respectu eorum quæ naturaliter intelligunt. Itaque existimat illos nunquam omnem intellectus actum suspendere.

Agit de eadem re ex professo S. Doctor quæst. 58. quærens: Vtrum Intellectus Angeli quandoque sit in potentia, quandoque in actu: & Respondet. I. Si sit sermo de actu primo ad intelligendum respectu eorũ quæ Angelus cognoscere potest semper esse in actu, nunquam vero in potentia. II. Illorum respectu, quæ diuinitus reuelantur, intellectum Angeli aliquando esse in potentia. III. Si loquamur de actu secundo, qui est intellectio, aliquando esse intellectum in potentia, etiam respectu illorum, quæ potest naturaliter cognoscere, quoniã non omnia, quæ naturaliter nouit, semper actu cõsiderat. IV. Respectu Dei & eorum, quæ in Verbo videntur semper illum esse in actu visionis claræ. Quamuis autem Angelus non semper actu consideret omnia quę naturaliter potest intelligere: est tamen mens S. Thomæ, quod actu semper aliqua contempletur.

RESP.

RESPOND.III. Angelos nunquam suspendere actum considerationis, circa seipsum, ac proinde nec circa Deum naturaliter cognitum. Hoc est, quod communiter docent Scholastici: Angelum nunquam cessare à cognitione suipsius. Ratio: Quia vt corpora viuentia semper sunt in actu secundo respectu cuiusdam operationis vitalis: nempe, nutritionis: ita naturæ Angelicæ qua viuens est consentaneum esse existimari debet, habere semper actu aliquam operationem vitalem naturaliter. De nulla autem id probabilius asseritur quam de cognitione sui ipsius: nam nulla est magis naturalis, & proportionata Angelo. Siquidem & obiectum illius est illi maxime præsens, & connaturale: & est præstantissimum inter ea, quæ comprehensiue cognoscit. Confirmatur. Præstantius est esse in actu, quam in potentia. Ergo si alia viuentia sunt semper in actu, multo magis Angelus, qui inter viuentia creata eminet.

Hinc consequitur: esse quoque Angelos semper in actu secundo respectu cognitionis diuinæ naturalis, quam etiam per substantiam suam habent: & respectu amoris naturalis erga se, & erga Deum qui ex illa cognitione naturali consequitur.

RESPOND.IV. Esse admodum probabile, Angelum non posse suspendere actum omnem intellectionis respectu sui ipsius. Est illorum Scholasticorum, qui adfirmant: Angelum non posse cessare à cognitione suiipsius. Sic docent Heruæus in II. Dist. III. q. 4. ad I. in oppositum. Ægidius ead. dist. par. II. q. II. art. I. Dub. I. ad II. Arg. Capreol. quæst. II. art. 3. ad 6. Gregorius contra Concl. nonam in solutione secunda. Durandus quæst. 8. Num. 9. Caietanus P. P. q. 58. art. 2. §. Circa vltimam conclusionem. & § ad euidentiã. Ferrariensis lib. II. contra Gent. cap. 96. 97. Tandem S. Thomas li. II. contra Gen. ca. 97. & q. 8. de verit. art. 6. ad 7. & art. 14. ad 6. quos sequũtur iuniores Frã. Suarez. Disp. 35. Metaph. sect. 4. Valentia Tom. I. Disp. 4. quæst. 9. Punct. I. Becanus, q. 7. Concl. 3. Vasquez I. P. Disp. 219. ca. 3. Vbi asserit, se nullum legisse ex scriptoribus qui oppositum doceat, nec esse rationem vllam, quæ probet Angelum à sui cognitione cessare posse.

RESPOND.V. Non esse omnino certum, & indubitatum, quod Angelus non possit omnem actum intellectionis etiam suipsius suspendere nec rationibus id omnino efficaciter demonstrari. Patebit, si ad rationes, quæ Responsum 4. stabiliunt respondeatur.

Prima Ratio. Cognitio sui, quam habet Angelus non impedit in eo cognitionem aliarum rerum. Ergo non est quod dicamus Angelum ab ea posse cessare.

RESP.

Resp. Ex eo quidem inferri, consentaneum esse ad modum naturæ, & excellentiæ Angelicæ, vt nunquam cesset ab illa operatione: non tamen, quod cessare non possit. Nam si libertate sua vti velit, poterit suspendere actionem, etiamsi illa impedimento non sit ad alias functiones. Contingit enim non raro, vt intellectus cesset à cognitione alicuius rei, non quod sit obstaculo ad alterius rei notitiam, sed quoniam vult ab ea auertere se.

Secunda Ratio. Si angelus cessare posset à consideratione sui, posset cessare ab omnibus aliis intellectionibus copulatiue sumptis. Hoc autem est absurdum, quoniam substantia viuens non debet esse absque aliqua operatione vitali.

Resp. I. Negando sequelam. Nam licet angelus cessare possit à qualibet intellectione, non potest tamen ab omnibus copulatiue. Simile quid contingit in imaginatione: quæ quamuis plane suspendi non possit, quælibet tamen particularis potest impediri & auerti.

Resp. II. Minorem non esse euidenter absurdam. Diuersa autem est ratio in aliis viuentibus quę habent actionem aliquam necessariam, à qua non possunt se cohibere. Angelo autem, puro videlicet spiritui omnis actio vitalis potest esse libera saltem in conseruari. Adde: quemadmodum animal potest cessare ab omni operatione sensus: ita, mirum videri non debere si Angelus vacare queat ab omni operatione intellectus.

Tertia Ratio sumitur ex naturali connexione inter voluntatem & intellectum. Nam omnis actio voluntatis necessario supponit aliquam intellectionem. Ergo, aut datur processus in infinitum, aut peruenitur ad aliquam primam intellectionem independentem à voluntate, ac proinde necessariam, & non liberam. Hæc autem alia non est, quam cognitio suiipsius. Ergo illa non est libera. Ergo illam non potest Angelus libere suspendere.

Resp. Etiam si concedatur non esse liberam in productione seu in fieri, quod ad summum illo argumento probatur, tamen non sequitur, quod non sit libera quo ad conseruationem.

Dices. Ex illo, quod intellectio Angelica quæpiam sit necessaria, quo ad fieri, sequitur, esse necessariam, quoad conseruari: Resp. Neg. sequelam. Probatur sequela. Quia alioqui cessare posset ab omnibus collectiue sumptis. Quod si contingeret, non posset ab intrinseco, reducere se ad actum, qua neque voluntas posset applicare intellectum, cum omnis actio voluntatis supponat aliquam intelle-

ctio-

ctionem: neque intellectus posset applicare seipsum quia non est per se liber.

Respon. Si hoc fieret, dici posset ad primam cogitationem determinari Angelum à Deo. Existimant enim graues Theologi, primam cogitationem de aliqua re, non ab alio agente, quam à Deo determinari posse. Quod demonstrare conatur Vasquez p.p. disput. 236. cap. 3. Certe cum Angelus in primo instanti suæ creationis habuerit species impressas omnium rerum, quas naturaliter intelligit, & tamen non omnia obiecta illarum specierum actu considerauerit, à quo determinatus fuit vt potius hæc, quam illa considerauerit? Quod tunc factum, idem in nostro casu futurum probabiliter dicitur. Quid, quod Angelus libere vtatur speciebus per quas intelligit. Dices.. Non tamen libere vtitur sua substantia, per quam se intelligit. Et hinc ducitur

Quarta Ratio. Angelus cognoscit se ipsum per suam essentiam, ea autem semper informatur: aut, ea illi semper est intime præsens. Ergo per illam semper debet intelligere, nec potest cessare ab intellectione suæ essentiæ.

Resp. Negando conseq. Nam habet etiam semper inditas species, quibus informatur, nec tamen idcirco necessitatur ad intelligẽda ea, quæ illis speciebus repræsentantur. Magnam vim haberet ea ratio si ipsa essentia Angeli esset actualis notitia illius, quod nemo dixerit.

## Tertia Disqvisitio. An Angelus possit suspendere actum cognitionis Dei naturalem?

Resp. I. Non posse est admodum probabile. & censent Capreol. ac Caiet. loco cit. non tamen cum tanta assensus firmitate, qua idem adfirmant de intellectione sui ipsius.

Resp. II. Non esse plane indubitatum, quod non possint. Nam rationes non conuincunt.

Ratio prima. Angelus cognoscit se semper, ac necessario. Ergo cognoscit eodem modo omnia, quæ in ipso repræsentantur. Deus autem repræsentatur in essentia Angeli.

Ratio secunda. Angelus cognoscit se per comprehensionem perfectam. Ergo necessario cognoscit habitudinem, quã ad Deum habet, & quod inde est consequens, ipsum Deum. Intellectus enim,

qui concipit rem ſicuti eſt, non poteſt in eo concipere vnum ſi ne alia ſi non ſint diſtincta: habitudo autem qua Angelus tanquam factura, & creatura Dei, ad Deum refertur, non eſt diſtincta ab eſſentia Angeli, & ad illam intelligendam non minus naturaliter, quam ad intelligendam eſſentiam inclinatur.

Ratio tertia. Eſſentia Angeli eſt veluti ſpecies, & principium cognitionis non ſolum ſui: ſed etiam Dei, ergo, quo modo facit, vt Angelus ſe ipſum ſemper conſideret: ita faciet, vt in conſideratione Dei ſemper perſtet; atque ita non poſſit omnem actum contemplationis Dei ſuſpendere.

Hæ rationes ſupponunt, & nituntur ſententia illa, quod Angelus neceſſario in ſui intellectione continuo verſetur. Quæ ſi omnino certa eſſet, dubitari etiam non poſſet, de cognitione perpetua Dei naturali, ob ſecundam potiſſimum rationem de comprehenſione. Itaque qua certitudine illam, eadem hanc aſſerimus.

Minus certum eſt, quod docent aliqui: Angelum in conſideratione vniuerſi ſemper verſari. Multo minus, imo, nec probabile: quod tamen Durandus adfirmauit: omnia entia naturalia ab Angelo ſemper actu cognoſci.

## QVARTA DISQVISITIO. An homo poſſit ſuſpendere actum omnem intellectus & voluntatis collectiue?

RESPON. I. Poſſe. Cōſtat. 1. in ſomno naturali, dū ſpiritus animales in centrum retrahuntur, & nerui ſenſorij, qui in ſenſuum externorum organa terminantur vapore frigido opplentur: tunc enim ligantur ſenſus, & inducitur quies virtutum animalium, ceſſantque operationes intellectus & potentiarum cohærentium.

2. Idem contingit, quando tanta vaporum copia cerebrum implet, vt etiam in vigilia homo vti ratione non valeat. Cuius variæ ſunt cauſſæ: aliquando nimius ſpirituum feruor, qui phreneticos conturbat, interdum humor malignus: quandoque vapor noxius odore etiam lupuli ſaliĉtarii, vel ſuffitu tabaci, aut opio alijſque narcoticis priuari hominem vſu rationis experimento docemur.

Itaque, quamuis Angelus ab omni cognitione ceſſare non poſſet, id tamen homini negandum non eſſet: cum inde nullum ſequatur abſurdum. Ceſſans enim libere ab omni functione partis intellectiuæ poſſet ſe reducere ad actū miniſterio ſenſuum exteriorū, quod in

in Angelo locum non habet. Neque hic singularis alia occurrit difficultas si de possibili physice accepto sit sermo.

RESPON. II. Naturaliter non contingere vt homo vigilans non impeditis sensibus careat omni actu intellectus, & voluntatis. Probatur. I. experientia, etiam illorum, qui speculationibus maxime, & intentissime sunt dediti. II. Mysticorum quoq; consensu qui si concedant suspensionem cum omnimoda vacuitate volunt id fieri singulari Dei beneficio.

## QVINTA DISQVISITIO. An homo suspendens omnem operationem intellectus, & voluntatis, censeri possit orare. Seu: An oratio mentalis actualis proprie dicta possit existere, aut cōseruari in proprio suo, ac formali esse absque omni intellectus, & voluntatis actu?

RESPONDEO Negat. Probatur. 1. Patrum consensu, qui orationem vniuerse definiunt, aut designant nominibus actum mentis significantibus. Damascenus libr. III. de fide cap. 24. *Oratio est ascensio mentis in* DEVM, quod etiam habet Augustinus sermone CCXXX. de temp. Non ascenditur autem mente nisi peractum illius potentiæ: nam ascensus est motus ad superiora. Augustino item lib. de spiritu & anima cap. L. *Oratio est conuersio mentis in* DEVM habitualis-ne tantum aut per ipsam potentiam? neutiquam eius sensu: nam subdit; *per pium & humilem affectum.* Alijs Patribus oratio celebratur nomine vnionis, colloquij, cogitationis, meditationis, considerationis, quæ omnia actum respiciunt. 2. Idem constat Scholasticorum consensu, qui orationem censent essentialiter esse actum intellectus. vt primo libro est declaratum. 3. Patet quoque ratione, quam eodem loco posuimus, explicantes orationis substantiam, quam in loquutione consistere diximus.

## Sexta Disqvisitio. An ad inchoandam orationem mentalem necessarius sit actus aliquis intellectus, aut voluntatis erga Deum?

Respond. Affirmate. Nam si antea non orabat, qui deinde dicitur orare, necessario aliquam subijt mutationem, non necessario in habitibus internis, nec alio pertinente ad potentiam. Ergo in operatione: nimirum, quia vel desiderijs nunc fertur in Deum, quod antea non fiebat: vel loquitur Deo ab illoque petit quidpiam: cum antea nihil tale operaretur.

## Septima Disqvisitio. An conseruari possit oratio mentalis actu, ac formaliter sine omni actu mentis?

Respond. Negatiue. Ratio: quia actualiter non potest dici orare, qui nullam actu exercet operationem, quæ ad orationis substantiam spectet: qui nihil petit, aut desiderat à Deo, neque ad illum cogitatione, aut voluntate ascendit. Sic dormiens, non dicitur actualiter orare, quamuis ante somnum orauerit, non nisi quia cessat ab omni operatione voluntatis & intellectus, quam dicit oratio.

Signate autem exprimitur in Disquisitione oratio mentalis: quia dici posset orationem vocalem perseuerare, quamuis cessasset actio intellectus, ac voluntatis modo virtute perduraret: cuius ratio est. Quia oratio vocalis requirit quidem etiam mentalem, quia inanis est vox nec vllius meriti, nisi ex interno proficiscatur adfectu: tamen, si quando inchoata fuit, erat mentis aliqua operatio circa Deũ, etiamsi illa actu esse desinat, si porro pergat orans verba siue petitionis siue laudis continuare, censetur nihilominus orare vocaliter, & orationem vocalem virtute permanere: quia vocalis oratio, qua talis addit supra mentalem expressionem verborum. Mentalis autem oratio, quæ in actu interno consistit ac consummatur, illo intereunte ne intelligi quidem potest.

Octa-

## OCTAVA DISQVISITIO. An-non virtute saltem orare dici possit Contemplator, suspendens actum omnem tum Intellectus, tum voluntatis?

RESPOND. id concedi posse. Explico & probo. Ad hoc, vt quis moraliter ac virtute censeatur orare, satis est, quod, post actum formalis orationis maneat coram Deo, quasi absorptus, abstractus, & stupenti similis, venerans Dei immensam bonitatem liberalitatemque hoc mystico silentio & suspensione: Sic enim & mendicus coram diuite postquam necessitatem suam aperuit, & lamentabili voce acgestu eleemosynam petiit, quamuis deinde sileat, orare nihilominus, imo petere etiam num virtute, quod antea actu ipso, iudicatur, & moraliter dicitur mendicare. Ad hoc enim est satis præsentia: qua silenter, idem quod antea facere putatur.

Confirmatur. Quamuis controuersum sit, An Christus nũc in cęlis oret pro nobis oratione propria & formali, quod plurimi negant: nemo tamen negat illum pro hominibus intercedere, vel interpellare. Clarissimum enim est illud Pauli Apostoli ad Rom. 8.34. Christus IESVS, qui mortuus est, imo, qui & resurrexit, interpellat pro nobis. Et ad Hebræ. 7.23. Semper viuens ad interpellandum pro nobis. Volunt autem grauissimi Theologi, hanc interpellationem non fieri per nouum actum petendi: sed absque eo, solum per operationes Christi Domini, eiusq; orationes quas in vita mortali pro nobis profudit. Ad quem interpellandi modum pertinet ille, quo multi è Patribus dicunt, Christum intercedere pro hominibus per repræsentationem humanæ naturæ, & cicatricum, ac passionis quam in eadem natura constituit. Itaq; potest esse aliquis modus orandi, etiamsi non interueniat actu functio vlla intellectus & voluntatis.

DICES. Non potest dici quod quis oret, etiam virtute, nisi sit relictus aliquis effectus ex oratione actuali. Sed in suspensione mystica nullus est talis effectus.

RESPONDEO. Suspensionem ipsam censeri posse effectum contemplationis mysticæ, vel Orationis præcedentis, eo modo, quo id quod est negatiuum, aut priuatiuum potest dici effectus causæ positiuæ. Deinde vero, experiuntur Mystici ex ipsa Contemplatione oriri quandam sensus suauitatem, qui diutissime perseueret, cessante actu contemplationis positiuo, & succedente suspensione, ratione autem

illius poteſt etiam dici manere Oratio præcedens actualis. Quia tamen probabile eſt hunc effectum cum ſit actus quidam vitalis appetitus inferioris, pendere in fieri, ac conſeruari ab actibus facultatis ſuperioris, non eſt neceſſarium eum concedere vt defendatur, poſſe dici virtualiter orare, qui eſt in ſuſpenſione myſtica per ceſſationem omnis actus intellectus, ac voluntatis.

## Nona Disqvisitio. An etiamſi non oret qui ſuſpendit omnem actum intellectus ac voluntatis: tamen dici poſſit Deum colere.

Respond. Adfirmate. Ratio, Cultus Dei vt eſt in loquela, quà Dei gloriam & perfectiones prædicamus & extollimus: ita etiam eſt in ſilentio, quo magnitudinem Dei, nullis verbis ſatis explicandā veneramur, vt ſuperius eſt demonſtratum. Vt autem ſilentium, eſt oris, per priuationem loquutionis, ita eſt mentis, per ceſſationem operationum, quæ propriæ ſunt partis illius ſpiritualis. Et vt religioſum ſilentium non eſt ocioſitas, ita, neque vacatio à functionibus intellectus ac voluntatis, eo fine procurata, poſito, quod eo fine inducatur.

## Decima Disqvisitio. Quomodo intelligendum ſit, quod aliqui ex Myſticis, docere videntur & nomina quam plurima in eorum Schola vſurpata ſignificare: Potentias intellectus & voluntatis in rebus diuinis recipiendis, vel dum in myſticis cum Deo vnionibus verſantur, veluti attonitas manere, quaſi ocioſæ omnino eſſent, ac nullum actum producerent: ſed tantum quid paterentur, & lucis ac guſtuum diuinorum ſolum influxum reciperent.

Respond. Hàs aliaſque formulas, quæ amatoriæ ſunt pia interpretatione mitigandas eſſe: & intelligi debere, vel de abſtractione & raptu per Deum ſingulari beneuolentia conceſſa: vel de tranquil-

quillissimo quodam operandi modo in quo vix operationem ipsam exerceri animaduertatur.

---

# EXERCITATIO IV.

## CAVSÆ SVSPENSIONIS MYSTICÆ.

TOT sunt causæ suspensionis, quot auocant mentem à rerum creatarum consideratione, & in vnius Dei intuitu defigunt. Apud Mystices peritos hæ nominantur, ad quas aliæ facile reuocantur.

PRIMA, est Lvx quædam immensa, in quam dum oculi intellectus coniiciuntur, reuerberantur, imo, quodammodo excæcantur: hinc veluti attonitus hæret intellectus, voluntas autem & ipsa consistit quasi immobilis. Simile quid contingit dum irretorto obtutu conaris solem aspicere, nam oculi corporei, ex splendore tanto, & tam intenso functione omni priuati immobiliter perstant. Suspenditur etiam interdum contemplans imaginem, vel statuam, artificiosissime lineamenta omnia Principis exhibentem: rapitur enim ad illam omnis alia attentio, nec aliud quidpiam vel in oculos vel in mentem incurrit. Idem accidit aliquando, dum auditur ingeniosus, facundus, & actionis, ac eloquentiæ singularis Orator. Hic enim ita quandoque dicendi amœnitate & efficacia occupat animum vt sensuum etiam officiis destitui videatur, qui illius vocem percipit, stetque attonito & siderato similis, nullius alterius rei memoria abstractus. Quid igitur mirum, si Contemplator Mysticus dum audit vocem Domini interius suauissime perorantē, & luce quadam admirabili omnia perfundentem hæreat, nulli alteri præterquam luci intuendæ, & suauissimis vocibus percipiendis intentus.

Hanc suspensionem, eiusq; causam indicatam optatione sanctissimi viri Iobi existimāt aliqui, sensu, haud dubie, mystico, vel accōmodatitio, quē Papa Gregorius eleganter proponit *Elegit* SVSPENDIVM *anima mea*, inquiebat Patiens. Quare præcesserat: *Terrebis me per somnia, & per visiones terrore concuties.* Atq; hanc ob causam elegit suspendium. Sensum litteralem non premo: quo vt patet, in somniorum cruciatum commemorat: malis enim interdum grauiter adflictatus, nocte somniorum terrore infestabatur. *Iob. 7. 15.*

*——Nam cum prostrata sopore,*
*Languent membra, quies & mens sine pondere ludit:* Petron. Arbitr.

illius poteſt etiam dici manere Oratio præcedens actualis. Quia tamen probabile eſt hunc effectum cum ſit actus quidam vitalis appetitus inferioris, pendere in fieri, ac conſeruari ab actibus facultatis ſuperioris, non eſt neceſſarium eum concedere vt defendatur, poſſe dici virtualiter orare, qui eſt in ſuſpenſione myſtica per ceſſationem omnis actus intellectus, ac voluntatis.

## NONA DISQVISITIO. An etiamſi non oret qui ſuſpendit omnem actum intellectus ac voluntatis: tamen dici poſſit Deum colere.

RESPOND. Affirmate. Ratio, Cultus Dei vt eſt in loquela, quà Dei gloriam & perfectiones prædicamus & extollimus: ita etiam eſt in ſilentio, quo magnitudinem Dei, nullis verbis ſatis explicandā veneramur, vt ſuperius eſt demonſtratum. Vt autem ſilentium, eſt oris, per priuationem loquutionis, ita eſt mentis, per ceſſationem operationum, quæ propriæ ſunt partis illius ſpiritualis. Et vt religioſum ſilentium non eſt ocioſitas, ita, neque vacatio à functionibus intellectus ac voluntatis, eo fine procurata, poſito, quod eo fine inducatur.

## DECIMA DISQVISITIO. Quomodo intelligendum ſit, quod aliqui ex Myſticis, docere videntur & nomina quam plurima in eorum Schola vſurpata ſignificare: Potentias intellectus & voluntatis in rebus diuinis recipiendis, vel dum in myſticis cum Deo vnionibus verſantur, veluti attonitas manere, quaſi ocioſæ omnino eſſent, ac nullum actum producerent: ſed tantum quid paterentur, & lucis ac guſtuum diuinorum ſolum influxum reciperent.

RESPOND. Has aliasque formulas, quæ amatoriæ ſunt pia interpretatione mitigandas eſſe: & intelligi debere, vel de abſtractione & raptu per Deum ſingulari beneuolentia conceſſa: vel de tran quil-

quillissimo quodam operandi modo in quo vix operationem ipsam exerceri animaduertatur.

---

# EXERCITATIO IV.

## CAVSÆ SVSPENSIONIS MYSTICÆ.

TOT sunt causæ suspensionis, quot auocant mentem à rerum creatarum consideratione, & in vnius Dei intuitu defigunt. Apud Mystices peritos hæ nominantur, ad quas aliæ facile reuocantur.

PRIMA, est Lux quædam immensa, in quam dum oculi intellectus coniiciuntur, reuerberantur, imo, quodammodo excæcantur: hinc veluti attonitus hæret intellectus, voluntas autem & ipsa consistit quasi immobilis. Simile quid contingit dum irretorto obtutu conaris solem aspicere, nam oculi corporei, ex splendore tanto, & tam intenso functione omni priuati immobiliter perstant. Suspenditur etiam interdum contemplans imaginem, vel statuam, artificiosissime lineamenta omnia Principis exhibentem: rapitur enim ad illam omnis alia attentio, nec aliud quidpiam vel in oculos vel in mentem incurrit. Idem accidit aliquando, dum auditur ingeniosus, facundus, & actionis, ac eloquentiæ singularis Orator. Hic enim ita quandoque dicendi amænitate & efficacia occupat animum vt sensuum etiam officiis destitui videatur, qui illius vocem percipit, stetque attonito & siderato similis, nullius alterius rei memoria abstractus. Quid igitur mirum, si Contemplator Mysticus dum audit vocem Domini interius suauissime perorantẽ, & luce quadam admirabili omnia perfundentem hæreat, nulli alteri præterquam luci intuendæ, & suauissimis vocibus percipiendis intentus.

Hanc suspensionem, eiusq; causam indicatam optatione sanctissimi viri Iobi existimãt aliqui, sensu, haud dubie, mystico, vel accõmodatitio, quẽ Papa Gregorius eleganter proponit *Elegit* SVSPENDIVM *anima mea*, inquiebat Patiens. Quare præcesserat: *Terrebis me per somnia, & per visiones terrore concuties.* Atq; hanc ob causam elegit suspendium. Sensum litteralem non premo: quo vt patet, in somniorum cruciatum commemorat: malis enim interdum grauiter adflictatus, nocte somniorum terrore infestabatur. *Iob.7.15.*

*——Nam cum prostrata sopore,*
*Languent membra, quies & mens sine pondere ludit.* *Petron Arbitr.*

*Quicquid luce fugit, tenebris agit: oppida bello*
*Qui quatit, & flammis miserandas sæuit in vrbes*
*Tela videt, versasq; acies, & funera Regum*
*Atque exundantes profuso sanguine campos*
*Et canis in somnis leporis vestigia latrat*
*In noctis spacio miserorum vulnera durant.*

Hinc terribilia noctis spectra, post diurna supplicia, vim malis nouam Iobo adferebant, vt loquitur Chrysostomus: Quocirca ait optabilius futurum, & leuius, laqueo, strangulatione aut suspendio tot malis finem imponere, quam ita cruciari.

*lib. 8. Mor. cap. 13.* Sed altius quid spectat Gregorius, mysticis contemplationibus assuetus. Quid hoc loco, ait somnia, vel visiones accipimus, nisi imaginationes vltimi districtique examinis: quod iam vt cumque per timorem cernimus, sed tamen, vt est, veraciter non videmus. Sancti itaque viri ad cordis secreta semper redeunt, cum ab hoc mundo, vel vltra votũ *prospera, vel vltra vires aduersa patiuntur: atq; externis laboribus fessi, quasi stratum, vel lectulum, cubilia mentis petunt. Sed dum quibusdam imaginationibus cogitationum, quam sint subtilia diuina iudicia conspiciunt, quasi in ipsa stratus sui requie somnij visione turbantur.* Quid hinc consequitur?

Elegit suspendium anima mea. *Quid per animam, nisi mentis intentio? quid per ossa, nisi carnis fortitudo designatur? Omne autem quod suspenditur, procul dubio ab imis eleuatur. Anima ergo Suspendium eligit, vt ossa moriantur: quia dum mentis intentio ad alta se subleuat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat.*

*Natura suspensionis.* Ex quibus verbis colligunt recentiores Mystici: suspendium spirituale esse intentionem, vel attentionem mentis ad alta subleuantem Contemplatoris animam, & auocantem ab exterioribus, & rebus omnibus creatis tanquam altitudine sua indignis. Oriri autem *Causa.* tale suspendium, ex visionibus, seu somniis: id est reuelationibus diuinitus immissis: seu obiectorum luce cælesti perfusorum intuitione. *Effectus.* Denique suspensionis huius effectum esse, terrenorum adfectuum abdicationem: & mundanæ cuiuslibet cupiditatis interitum.

SECVNDA caussa suspensionis est incitatissimus amor, & deuotionis quidam æstus, quo mens subleuatur, & hæret in sublimi ceterarum rerum curas cogitationesque præter vnicam de Dilecto *Aluarez. Tom. 3. lib. 5. par. 11. cap. 8.* libenter deserens. Huius aliquam imaginem agnoscit Iacobus Aluarez in sacrificio Eliæ 3. Reg. 18. Fecit initio Propheta altare ex lapidibus: statuit aram Deo Mysticus, quando cor ad contemplationem præ-

præparat. Deinde ligna composuit Elias, vt struem faceret, aptam incendio: hoc imitatur contemplator, quando, quæ meditationi suæ subijciet, præuidet. Præterea victimam lignis ille imposuit: hic seipsum vt holocaustum locat. Elias adhæc, aquam altari circumfudit & madefecit omnia: contemplator miserias & suas & aliorum tanquam aquam sibi circumdat, distractioni quæsiturus remedium. Quid fit? cadit ignis Domini, & vorat holocaustum, & ligna & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Ita ignis diuinus, ardor cælestis, amor vehemens, & intensus de supremo cæli habitaculo lapsus voluntatem inuadit, penetrat, accendit, & quicquid in cordis ara reperit absumit: ipsam etiam memoriã rerum aliarum, si quam inuenit penitus abolet, animumque contemplantem in vnam de Deo cogitatione suspensam relinquit. Vnicum illud perpetuo versantem: *Dilectus meus mihi & ego illi.* Cant. II. 16

*Quam admirabile est*, inquit Bernardus, *quod illius intentionem, ista sibi quasi propriã vendicat, dicens:* Dilectus meus mihi. *Nec eo contenta tamen pergit amplius gloriari, respondere se illi, quasi ex æquo morem gerere, rependere vicem; sequitur enim:* Et ego illi. *Nec minus insolens*: Dilectus meus mihi: *nisi quod vtroque insolentius, vtrumque simul. O quid audet cor purum, & conscientia bona, & fides non ficta. Mihi*, inquit, *intendit. Itane? Huic intenta est illa Maiestas, cui gubernatio pariter & administratio vniuersitatis incumbit? & cura seculorum ad sola transfertur negocia (imo ocia) amoris, & desiderij huius? Ita plane.* Serm. 68. in Cant.

*Da mihi animam nihil amantem præter* DEVM, *& quod propter* DEVM *amandum est: cui, viuere Christus non tantum sit, sed & diu iam fuerit: cui studij & ocij sit, prouidere Deum in conspectu suo semper: cui solicite ambulare cum Domino Deo suo, non dico magna, sed vna voluntas sit, & facultas non desit, da,* inquam, *talem animam, & ego non nego dignam sponsi cura, maiestatis respectu, dominantis fauore, solicitudine gubernantis.* Ser. 69.

*Tanta est enim verbi dignatio, tanta beneuolentia Patris verbi erga bene affectam, & bene compositam animam (quod quidem ipsum Patris munus, & verbi opus est) vt quam sua tali benedictione præuenerint, & præparauerint sibi, sua quoque dignentur præsentia, & ita, vt non modo ad eam veniant, sed etiam mansionem apud eam faciant. Non enim sufficit exhiberi, nisi & copiam sui faciant.*

Quanta putas ex hac mansione inter animam & verbum familiaritatis gratia oriatur? quanta de familiaritate sequatur fiducia. Non est, vt opinor, quod iam talis anima dicere vereatur: Dilectus meus mihi, quæ ex eo, quod se diligere, & vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit. & de sua singula-

ri intentione,solicitudine,cura,opera,diligentia,studioque, quo incessanter,& ardenter inuigilat; quemadmodum placeat Deo, æque hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit, recordans promissionis eius: In qua mensura mensi fueritis,remetietur vobis. Nisi quod redhibitionem gratiæ prudẽs sponsa ad suam magis cauta est trahere partem,sciens se potius præuentam à Dilecto. Inde est, quod illius operam præfert: Dilectus, inquiens,meus mihi & ego illi. *Ergo ex propriis, quæ sunt penes Deum agnoscit,nec dubitat se amari,quæ amat. Ita est: Amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio, intentam animam facit, solicitudoque solicitam.* Intensus igitur amor intentionẽ mentis in DEUM efficit: atque hæc ipsa est spiritualis illa suspensio, quæ & stupor mysticus appellari potest. Felix stupor, qui insensibilitatem erga res terrenas parit,& mentem in cælestibus defigit.

---

# EXERCITATIO V.

## *IMAGO SVSPENSIONIS MYSTICÆ Monocodiota.*

### Siue

### *AVIS PARADISIACA*

### Et

### ΑΠΟΥΣ.

DIcebam initio, Suspensionem Mysticam ab auicularum in aere immobiliter quodam modo hęrentium exemplo denominatam: iucundum autem erit ex ijs aliquam contemplari, quæ Mystici Speculatoris, præclarum in paucis sit hieroglyphicum. MONOCODIOTA auis est venustatis miræ. Eam nasci scribunt nauigationis Hispanæ auctores in Molucchis Insulis,mole corporis esse exiguam,sed ob pennas, quæ sunt amplissimæ, inque orbem digestæ ita vt amplioris circuli describant ambitum,videri maximam. Addunt,à nemine vnquam mortalium viuam in terra conspectam esse, sed summo quandoque ex æthere exanimem in humum decidere,atque tunc casu repertam sanctissime ab incolis asseruari: quippe apud quos in tanta sit veneratione, vt etiam ex illa reges ipsi tutos fore existiment in bello, quamuis suo more primi in acie collocati fuerint.

Cere-

Ceterum appellant vernaculo sermone, vno quidem nomine Monocodiotam, sed quod nobis Auiculam Dei significat: proptereà, quod illam in paradiso tantum, nempe loco solius Dei, vti spargunt, proprio, nasci firmiter persuasum habeant. Corporis mole ac forma fere coturnicem refert, pennarum ambitu discolore, sed venusto admodum, & decoro, visuq; iucundissimo vndiq; exornata.

Hoc plus habet admirationis, & fidem pene superat, cuius auctor est Maximilianus Transiluanus quod in aere semper absque nido, absque arbore, absque saxo, aut altero fulcimento nidificet, & oua pariat in dorso sui comparis, ibique foueat, & excludat: nunquam vllo loco considens, semper in aere subsistens. Antonius Pigafetta scribit eam turturis magnitudine esse, carere alis, sed pennas illi alarum vice esse, rosttum oblongum, caput paruum, colore quasi subrufo ac nigrescente. quib. assentitur Franciscus Lopez hist. Ind. occid. cap. XCVI. Hanc auem non corrumpi nec marcescere scribit Petrus Hispanus parte V. cap. 19. Prolixior est de eadem narratio Melchioris Guillandini apud Simonem Maiolum Colloquio VI. Canicularium.

Illius coniectura est, Monocodiotam à Rhynthace non differre, cuius Plutarchus meminit in Artoxerxe. Γίνεται δὲ μικρὸν ἐν Πέρσαις ὀρνίθιον, ᾧ περιττώματος οὐδέν ἐστιν, ἀλλ' ὅλον διάπλεων πιμελῆς τὰ ἐντός. ᾗ καὶ νομίζουσιν ἀνέμῳ καὶ δρόσῳ τρέφεσθαι τὸ ζῷον. Nascitur apud Persas exigua auis, quæ omni caret excremento, habetque omnia intestina adipe differta. Vnde vento arbitrantur, & rore hoc animal viuere. De hoc vere canas:

*Sæua nec humani patitur contagia mundi*
*Par volucer superis———*

Quis non animaduertit hac icone significari bellissime Mysticum Theologum, affectuum pedibus lutulentis carentem, contemplationis altissimæ subnixum alis relinquentem terras; non arbori, nõ saxo, non alio creaturarũ fulcimento hærentem, sed Deo proximum in altissimis suspensum, imo in Deo suauissime quiescentem.

*Hunc iuuat immenso spaciantem viuere cælo.*

Expressit auis huius dotes elegans Poeta, & contemplatiuis eam accommodate confert — *Ex tabula Gesneri. Nic. Caussinus lib. 6. hist. Parab 78.*

*Vos ô queis cælum domus est, quos fortior aura*
*Numinis ardenti* SVSPENDIT *in æthere nisu*
*Heroës, preciosæ animæ, mortale sonantem*
*Si licet in vestras Musam deducere laudes*

*Huc spectate* APODEM : *vobis natura laborat*
*Atque opere in pulcro partem facit. hoc quoque nomen*
*Indus alit, Phœbi Indus amor, cui prima Deorum*
*Munera & Eoæ custodia credita gaza.*
*Nec vero tantum vnigena se Nilus alumno,*
*Iactarit, licet ille sibi post fata superstes*
*Inter odoratas Arabum de messe fauillas*
*Hauriat è busto natali funere vitam.*
*Ac licet aut rostro Chelidon, aut mole coturnix*
*Par fuerit, tamen & pennarum syrmate longo*
*Crescit in immodicum , quantus Iouis armigera les*
*Titanum furias, sæuumque Capanea letho*
*Fulminat, aut Phrygios Domino transuectat amores.*
*Principio enodes ceruix lentatur ad alas*
*Luteolas & fuluo rutilat crispata metallo,*
*Sic color in precio est. inferne virentia currit*
*Cyaneum per menta decus Thaumatida cen cum*
*Roscidus aduerso percussit Delius astro.*
*Excurrunt alæ in caudam, tenuique receptum*
*Transmittunt sub nube diem: nam fuscus inerrat*
*Splendor, clementique faces demitigat vmbra*
*Discolor interea primo sub tegmine pluma*
*Vellus agit, magnoque minor se lumine vestit*
*Astriferum missura jubar, blattamque crocumque*
*Camporumque oculos, vósque alba ligustra, tuasque*
*Obscurat Narcisse comas. iam vilior aura*
*Ceston habet, vincique dolet Cadmeia torquis.*
*Plus etiam ordo placet natiuum circinat orbem*
*Nescia curuari, tergoque immobilis hæret.*
*Iliaca talem clypeum de cade reportat*
*Aeacides: & adhuc iaculis pendentibus horret:*
*Qualis cæruleos cauda stellantis honores*
*Explicat aprico volucris Iunonia soli.*
*Iamque superstitio Scythicis adiuncta tyrannis*
*Circum mille fremant acies & ferreus imber*
*Pila rotet, sperant humanis inuia telis*
*Pectora & hostili certos de strage triumphos*
*Si cristis adsurgit Apus galeamque coronat.*
*Nec minor est virtus: celeres præuertitur Euros*
*Aera per liquidum: prono ratis: æquore currat;*

*Nascitur in Moluccis insulis.*

*Rostrum magnitudine & forma simile hirundini. Corporis magnitudine & pene forma coturnici similis.*

*Penna extenta æquans fere Aquilam.*

*Penna à prima ceruicis vertebra ad rostri initiū coloris lutei splendētis auri purissimi modo.*

*Qua mentum tegūt, mire virides.*

*Penna alarum pellucida.*

*Fusca, sed fulgentes.*

*Subnascūtur maioribus minores aliæ.*

*Alæ naturaliter vno & eodem modo consistunt in orbe digestæ.*

*Tanquam cuti infixa spicula.*

*Pauonum fœminarū*

Leta

*Læta laborantes impellant carbasa venti*
*Scilicet anteuolat puppes, & remige penna*
*Hospita venturo præsignat littora nautæ.*
*Tellurem pressisse pudet, frondosa sub auris*
*Eligitur Dryas: hic tectum, paruique penates:*
*Incumbit ramis, & cauda prensat obunca*
*Obsequio fugiente pedum, cæloque propinquus*
*Matutina bibit roranti ex æthere mella,*
*Relliquias Diuum: mensis cum Aurora remotis*
*Fastidita legit, mistamque vapore caduco*
*Ambrosiam, late mortalibus impluit agris.*
*Hinc illa aerei mellis cælestia dona*
*Et non imparili distenta nectare canna*
*Fortunatorum nemorum, qua primus in orbem*
*Circulus it, mediæ dirimens confinia lucis.*
*Si quando dulces ad vitæ limina pullos*
*Eniti, fragilique dedit committere crusto*
*Casta Venus non furtiuo de cespite nidus,*
*Aut lutea adsurgunt libantibus æquora pennis,*
*Mœnia: compositi sed mas sinuamina dorsi*
*Subdit amans viuaque thorum de tergore pluma*
*Et pater, & natale solum facit: hic pia coniunx*
*Spemque metumque locat, curui tum fornice ventris*
*Incubat & simili reddit se prole parentem.*
*Dicite terrarum Domini, quos matre cadentes*
*Excipiunt Indo Bithyna cubilia dente,*
*Quis Cæsar cunis vnquam tam mollibus infans*
*Vagiit, aut Graia qui Porphyrogenitus aula*
*Sarrano meruit nomen susceptus in ostro?*
*Ne tamen incurrat violento flamine Corus*
*Dilectasque euertat opes: mas licia caudam*
*In gemina extendit, multoque volumine circum*
*Implicat impositæ socialia membra maritæ.*
*Æole, si quis inest ventis fauor, Æole si qua*
*Ius habet in superos pietas, ô parce quietos*
*Sollicitare thoros? Notus hæc vt pignora perdat*
*Crudelis? thalamo iungat ferale sepulchrum*
*Atque animam testa triplicem pessundat in vna:*
*Crudelis? prolem per amica silentia fingit*
*Alcyone, & media vitam de morte reportat.*

*pennis persimiles.* **Reguli Mahometani pro crissis vtuntur, iisque se tutos in bello existimant.** **Nauim quantumuis celerem possunt circumuolare.** **Terram viua nunquam tangit.** **Rore vescitur.**

**Dorsum masculo, venter fœmina canus. hic pullos fouent, & excludunt.**

**E maris dorso fila gemina prodeunt, quibus incubantem fœminam sibi alligat firmius.**



Et

*Et meruere Apodes, Apodes meruere necari?*
*Sed Ventis loquor, vnde sciant miserescere venti?*
*Ite feri, effractis ruite, exundate cauernis*
*Vna omnes quatite horrisonis stridoribus alas*
*Vos me ridet Apus vestri secura furoris*
*Vincula nectit Amor, nodoque arcanus honesto*
*Copulat alituum par nobile nobilis ales.*

*Cyanus Auis.* Aliam Monocodiotæ adiungo volucrem, non ignobilem & ipsam, Mystici ex imis sese attollentis, & inter cælum terramque SVSPENSI Symbolum. Huic nomen est CYANVS, quæ natura sua hominum fugit consuetudinē, vrbanas commorationes, & domos odio persequitur, locorum etiam agrestium vbi homines versari soleant, insolens est: iis vero locis, in quibus est ab hominibus solitudo, & montium iugis, ac præcipitiis delectatur: non continentem, non insulas hominum frequentia habitabiles in amore habet: Scyro, & si qua est eiusmodi alia sterilis, & ab hominibus inops delectatur. Ita fere Ælianus. Agnosco secessum quærentem Mysticum, & in solitudinem, aut vltra id omne, vnde ningit pluitque figentem domicilium. Audi contestantem:

*Ignatius Diaconus.*

Εα με πέτραις ἐμμενέυειν ἀ οιχήτοις
Ο̃ικος δὲ μοι πᾶς, καὶ μίξις ἀνθρώπων,
Μὴ μνηπαλαιῶν συμφορῶν ἀναφλέξη
*Permitte petris me manere desertis*
*Domus mihi omnis, visus omnis humanus*
*Malum reducit omne pristinum menti.*

*Sidonius Eucharisti & ad Faustum.*

O sortis optandæ & inuidendæ Theologum!
*Seu te flammata Syrtes & inhospita tesqua*
*Seu cano viridante palus, seu nigra recessu*
*Incultum mage saxa tenent, vbi sole remoto*
*Concaua longæuas asseruant antra tenebras,*
*Seu te prærupti porrecta in rupibus Alpis*
*Succinctos gelido libantem cespite somnos*
*———quæ quamquam frigora portet.*
*Conceptum Christi nunquam domat illa calorem.*

S. Macarius Abbas Homil. 4. Qui diues est in gratia continenter noctes atque dies permanet in statu perfecto liber ac purus, semper captiuus, ac SVSPENSVS. Ceterum si admiranda illa, quæ homini patuerunt, & quorum periculum fecit, ei semper adessent, nequaquam in ministerium verbi autonus aliquod ferre posset: imo neque de

de ipſo audire, aut ſui, vel craſtinæ diei curam agere, quando res exigeret, ſed tantum ſederet in angulo SVSPENSVS & INEBRIATVS.

## LOCVSTA.

QVOD per volucrẽ expreſſimus, S. Gregorius LOCVSTÆ ſymbolo *Iob 39.*
exhiberi exiſtimat, interpretans illud Iobi Nunquid ſuſcitabit *Pſ 108.*
eum quaſi Locuſta, illudque Pſalmi: Excuſſus ſum ſicut Locuſta. Quia ille Prædicator ad perfectionis culmen erigitur, qui non actiua ſolũmodo, ſed etiã contẽplatiua vita ſolidatur; rectè ipſa Prędicatorũ (Myſticos intellige) perfectio Locuſtis exprimitur. Quę quoties ſe in aere attollere conantur, primũ ſe cruribus impellentes ſubleuant, & poſtmodum alis volant. Ita nimirum ſunt ſancti viri, qui dũ ſuperna appetunt, primum quidem actiuæ vitæ bonis operibus innituntur, & tunc demum ſe ad ſublimia per contemplationis ſaltum volando SVSPENDVNT. Crura figunt, & alas exerunt, quia rectè agendo ſtabiliuntur, & alta videndo ſubleuantur. Qui in hac vita poſiti in diuina Contemplatione manere non poſſunt: ſed quaſi Locuſtarum more à ſaltu, quem dederant in pedibus ſuis ſe excipiunt, dum poſt Contemplatio ad neceſſaria vitæ actiuæ opera reuertuntur: nec tamen in eadem vita actiua remanere contenti ſunt. Sed dum ad contemplationem deſideranter exiliunt, quaſi rurſus aera volantes petunt, vitamque ſuam, quaſi Locuſtæ aſcendentes, deſcendentesque peragunt, dum ſine ceſſatione ſemper, & ſumma videre appetunt, & ad ſemetipſos naturæ corruptibilis pondere reuoluuntur.

Eſt aliud quid, quod Locuſtæ ſimile in Myſticis cernitur. Matutinis namque horis, id eſt, teporis tempore, vix à terris ſe ſubleuant: cum vero æſtus exarſerit, tanto altius, quanto alacrius volant. Myſticus Contemplator teporis tempore, Locuſtæ more, quaſi vix à terra ſubleuatur. Si autem igne diuini ſpiritus incaleſcat, corde cæleſtibus inhærens, mox quantæ ſit ſublimitatis oſtendit, & compulſatis intellectus ac voluntatis alis in altum rapitur, qui quietus in imis torpuiſſe videbatur.

COM-

# COMMENTATIO V.
# QVIES MYSTICA.

QVo aliquis locus aut status est Deo vicinior, eo suauius in eo quiescit anima, si ad illum perueniat. Quid si in Deo ipso tanquam firma in sede commoretur? explicari non potest: quanta cum consolationis & dulcedinis affluentia ibi conquiescat. Hinc apud Mysticos celebris est QVIES, qua perfrui volunt animam silentem, in altissimis suspensam, & Deo arctissime vnitam.

---

## EXERCITATIO I.
## *QVIETIS MYSTICÆ RATIO.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quid per Quietem Mystici intelligant.

RESP. Cum Quies nihil sit aliud quam cessatio ab opere, aut motu: seu tranquillitas, laxamentum, remissio, ocium: maxime, si sit post laborem: omnia hæc ad voluntatem Deo adfectu coniunctam, & in eo quodammodo consistentem seu sedentem, iacentemue (sic enim spiritualem situm concipimus) significant. Donec namque hoc modo in Deo esse cogitetur, apprehenditur esse in motu continuo: siquidem vere dixit Augustinus: *Quia fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum donec requiescas in Te.* Nimirum est Deus tanquam centrum, ad quod nisi grauia perueniant non censentur quiescere.

Lib. 1. Confess. c. 1.

Sed pluribus verbis, & valde significantibus hanc quietem Doctores Scholæ Mysticæ declarant, ex quibus natura illius proprietatesque magis innotescent. Imprimis S. Bonauentura tract. de 7. grad. contemplationis sic disputat: QVIES *est totius animæ mira quadam & suauis tranquillitas per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata. Solis valde spiritualibus experientia huius* QVIETIS *conceditur, quibus & datur etiam ipsas super-cœlestes substantias contemplando transcendere.*

*Quies animæ tranquillitas.*

*Super*

*Super-ignota enim bonitas ipsi familiaris, se ipsam ijs immittit; & ipsi tota virtute dilatato sinu sancti desiderij potenter suscipiunt beatas immissiones, animalibus, & præsumptuosis omnino incognitas. Sic igitur puris sanctorum contemplatiuorum animabus, tam insueto nutrimento ditissime adimpletis splendescit ipsorum ratio, dulcescit concupiscentia, hilarescit irascibilis, ex dilectione, quorum deificam illam* quietem *non ambigimus emanare.*

Multa continet hæc Doctoris Seraphici disputatio oberuatione digna. PRIMO: Quietem mysticam esse *tranquillitatem animæ*; alij vocant *jucunditatem*: quorum sensu Iacobus Aluarez sic *quietem mysticam* definit: *Aluar. To. III. lib. 5. par. III. cap. 4.*

QVIES *est jucunditas quædam voluntatis nihil quærentis nisi sic in Deo perseuerare.* Videt se anima iuxta DEVM, videt se ab eo amatam, & in magno pretio habitam, & non aliter, quam filiam carissimam singulari eius prouidentia protectam, atque circumdatam, & in hoc voluntas amore quiescit, tanquam in complemento sui desiderij, quod iam est consequuta. *Quies, iucunditas voluntatis*

Ab hoc non dissentiunt, qui mysticam quietem *dulcoris* nomine explicant: quod facit Thomas à Iesu, qui illam docet appellandam *quietem animæ in* DEO, seu, *contemplationem quietis*, in qua Deus in puro ac eminenti amore possidetur, & ipse in animam cum dilectione prolabitur, alterque alterius in POSSESSIONE, & quiete mutua requiescit. In hac contemplatione spiritus clarificatur, & totus diuino lumine, ac DVLCORE perfunditur, & DEVS cum ipso, & ipse cũ DEO, mira caritatis adhæsione, & jucunditate ad inuicem conglutinantur. *Dulcor animæ. Tho. lib. 4. de cont diuina ca. 6.*

SECVNDO: Causam quietis mysticæ dicit Bonauentura esse frequentiam orationis, intellige, contemplatiuæ. Verissime: experiuntur enim Mystici hanc iucundissimam quietem à pura DEI contemplatione prouenire, vt notat Thomas à IESV, qui illam degustari ait in Caligine. Quod insinuat Bonauentura docens illos ad quietẽ duci, qui ad super-naturales substantias contemplandas eleuantur.

TERTIO: Addit Bonauentura: Valde spiritualibus tantum hanc quietem concedi: ac proinde paucissimis: non enim turba ád hæc adyta admittitur.

QVARTO: Quietem mysticam spectari in ratione, concupiscibili & irascibili. Quod fusius declarat Aluarez. Animæ enim tres sunt velut partes: Rationalis, quæ tendit in verum; Concupiscibilis in bonum; Irascibilis in arduum. *Itaque rationalis pars, anima in Deum eleuata, ac suspensa coniuncta est summæ ac primæ veritati, iuxta quam se anima esse*

*percipit. Concupiscibilis adhæret summa, & æterna bonitati, quare magnam suauitatem,& purissimam delectationem,etiam in corpus aliquando redundantem habet. Irascibilis iuxta se inuenit summam & æternam potentiam, gloriam,opulentiam,& dignitatem ad quam aspirabat. Atque ideo anima satiatur,quietatur, tranquillatur,stabilitur, & cum ingenti dulcedine sedet, donec surgere,& ad alia,quæ incumbunt,transire iubeatur.*

Docuit hoc ante Ioannes Gerson ostendens,vt loquitur à priori stabiliri,& satiari cor in pura contemplatione ac vnione cum Deo. Nam cum res quælibet sit in quiete,dum perfectionem suam adepta est illique coniuncta:& spiritus noster vniatur, ac coniungatur summo perfectibili per amorem perfectum,necesse est,vt exinde quietetur, satietur, & stabiliatur. Sic materia in forma habita: sic lapis in centro positus: sic res quælibet in adepto fine suo quietatur. Anima quippe rationalis dum coniungitur & vnitur DEO, copulatur suo summo bono. Est enim DEVS summum bonum eius, & centrum eius,finis,totaque ipsius perfectio. quid ergo aliud ipsa requireret, aut ad quid aliud vlterius inhiaret?

*Gerson cõsid. 42. Theol. myst.*

Porro in ipsa anima considero tres tendentias principales proportionabiliter ad triplicẽ vim eius siue potentiam: quarum vna est concupiscibilis: alia rationalis: tertia irascibilis nominatur. Concupiscibilis tẽdit in bonum; Rationalis in verum: Irascibilis in arduum. Sic anima per has vires tendentiam habet in benedictam, & sanctam Trinitatem. Nimirum, quia ad eam,& eius similitudinem facta est, eiusque imago constituta. Attribuimus itaque Spiritui S. bonitatem, & ad hanc tendit vis concupiscibilis. Attribuimus filio veritatem,& ad hanc tendit vis rationalis. Attribuimus Patri potentiam, Maiestatem,& gloriam,& adhæc tendit vis irascibilis. Oportet igitur, vt his viribus satiatis per coniunctionem cuiuslibet cum suo supremo appetibili anima rationalis totaliter satietur, quietetur, & stabiliatur. Ex his satis fit

## SECVNDÆ DISQVSITIONI. An Quies Mystica sit in omnibus animæ facultatibus?

RESPOND. Adfirmate. Est enim vt constat in rationali, concupiscibili & irascibili. A qua si distinguas memoriam: hæc quoque tunc præteritorum non recordatur, sed præsentis intuitionis dulcedine satiata anima, aliorum quorumlibet solicitudine est vacua, nec memoriam fatigat.

Animad-

Animaduertit tamen Iacobus Aluarez, interdum voluntate quieta & blanda manente, intellectum distrahi: eum autem suauiter trahendum esse, vt ipse quoq; tranquillitate illa fruatur. In quiete vero, vires animæ liberas manere, vt possint sine intermissione illius quietis à loco quietis egredi, & pro ratione status occurrentibus negotijs intendere. Sicut, si quis corde in vno maneat, & pedibus alio vadat, vel manibus operi, quod fuerit iniunctum insistat.

## TERTIA DISQVISITIO. Cur in Deo anima sic quietetur?

ET hoc satis est explicatum in superioribus. Breuissime: Quoniam est finis, ac centrum, & desideriorum omnium rationabilium consummatio. Quod pluribus exequitur Gerson. Nam si delectatio in bono conueniente, & voluptatis suauitate quæritur, quid de animæ voluptate sentiendum est? Audiamus quid Propheta dicat ad Dominum: Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Omnis autem delectatio in infimis plus aloes, quam mellis habet, vt inquit Satyricus: lingit enim mel in sentibus & vrticis. propter quod dicit Boethius: Consid. 42 theol. myst.

*Habet hoc voluptas omnis*
*Quod stimulis agat furentes.*

Si præterea quæritur veritatis cognitio, conuertitur aspectus ad verbum Diuinum velut ad artem primam, cuius exemplar verum est esse verum. Si denique potentia, si gloria, si opulentia, si dignitas quæratur: hæc omnia est DEVS animæ eum diligenti, quæ est merces sua magna nimis, in quo & omnia se posse gloriatur Apostolus: Omnia inquit possum in eo qui me confortat. DEVS ergo finis est animæ, & vltima eius perfectio: ipse est velut centrum & locus naturalis omnium desideriorum suorum. Dum ergo in se deficit anima in salutare Dei, velut ad nihilum redacta, nulli iam alteri, nec sibimet innititur, sed soli Deo, vt suæ dulcedini, vt suæ veritati, vt suæ glorificationi: dicens pro primo: Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum: dicens pro secundo: Nihil arbitratus sum mescire, nisi IESVM CHRISTVM factus fluctus propter ipsum: dicens pro tertio: Vtinam, qui gloriatur, in Domino glorietur. Ac proinde non habens, quo vlterius tendat, aut, quod vltra requirat, quietatur anima in DEO, atque stabilitur possidens in DEO omnia, ceteraque contemnens, atque parui pendens.

QVARTA DISQVISITIO. Quid in quiete anima operetur?

RESPONDEO. Cum ordinarie in quiete non ſuſpendatur actus omnis intellectus, & voluntatis: Intellectum contemplari Deum pure, vel in caligine per ſimplicem quandam intuitionem. Deinde, quod fide antea vt certiſſimum habebat, veluti per experientiam intelligere: ſe nimirum, à Deo videri, adflari, manuduci: ſe prope DEVM conſiſtere, illi adhærere, illius beneficio viuere: illum ad exaudiendum promptiſſimum eſſe. Atque ideo gaudet, & quieſcit, tanquam puerulus in ſinum matris receptus, aut in vlnis baiuli. Sentit ēt ſe ad laudandũ Deũ incitari internis facultatum rationaliũ actib. iubilat corde, non ore: petit, non verbis, ſed deſiderijs: poſtulat, non gutturis, ſed pectoris gemitibus, non dolorem, ſed inexplicabilem liquidiſſimamq; voluptatem teſtantibus. Hæc eſſe officia quieſcentium docet B.Laur. Iuſtinianus libello de conflictu interiori cap. 10. Ex quo formetur:

QVINTA DISQVISITIO. Qualis ſit quieſcentium oratio?

DISTINGVIT D.Iuſtinianus loco indicato duplicis generis orationem, ſecundum duplicem ſtatum QVIETIS videl. & PVGNÆ. Nam orationis virtus, inquit, qua mentis intentio ad DEVM dirigitur, quamuis vnum nomen ſortiatur, diuerſis tamen effectibus exercetur. Alia namque QVIESCENTIVM, atque alia oratio noſcitur eſſe PVGNANTIVM. Quis autem QVIESCENTIVM ſtatus enumeret, intelliget ſtudia, vota capiet, aſcenſus intuebitur, & meritorum gratiam metietur? Solus iſta nouit, qui rimatur corda, penſat deſideria, ac vniuerſa proſpectat. Diuerſimode tamen ſinguli, prout S. Spiritus magiſterio ducuntur ſuaue conditori ſuo ſacrificium exhibent.

Eorum etenim quidam proſternati ſuorum recordatione facinorum veniam poſtulantes compunctionis gemitus, & lachrymarũ fundunt riuulos, quatenus diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem flectant, & prope fiant, qui exigentib. culpis longe eſſe videantur. Nonnulli vero ſecum tacite pertractantes, quãta perceperint dona, ſiue ex creaturarum obſequio, ſiue ex miniſterio Angelorum, Deo gratias agere non deſiſtunt. Sunt etiam plurimi, qui reſtaurationis humanæ myſterium, meditando, cernentes inter nos ſenſus ſpirituali delectatione reficiunt, dum ima ſummis, & ſumma imis caritatis vinculo copulata cognoſcunt.

Repe-

Reperiuntur quoque ex ipsis, qui hominum consortia fugientes cordis sui secreta custodiunt: diuinam in se venerantur potentiam, adorant Maiestatem, & colunt gloriam. Propterea efficiuntur corde læti, amore feruidi, ac delectatione iucundi, Propheticum illud deprehendunt in se, quod de se idem pronunciauerat vates: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea insuper & caro mea requiescet in spe. Vacant plerique Deo per orationis studium cælestium eloquiorum sacramenta scrutantes. Percipiunt ij scientiæ lumen, & Scripturarum SS. notitiam perspicacem: intellectu namque visibilia supergredientes, gratiæ præeunte splendore in lumine fidei percipiunt lumen. Psal. 15.

Inueniuntur quoque aliquot in terra, quamuis in numero pauci, qui corde diuini amoris sagitta transfixi suauiter concremantur delectabiliter, iugiter super se feruntur in Deum, laudis obsequium frequenter exoluunt Domino iubilatione permixtum. Cantant, & gemunt: clamant, & laudant: QVIESCENDO tacent: & vociferando discurrũt, tenẽt, & quærũt, atq; amoris brachiis sponsũ amplexando liquescunt. Istiusmodi autẽ, quoniã hoc non licet habere semper, impellente caritate, propheticum illud dicentes ingeminant: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Ps. 41.

Docet deinde QVIETEM esse singulare Dei donũ, ac sæpe sine vllis meritis concessum: fieri .n. quandoque, vt nouissimi sint primi. Ideoque monet, ne quis sibi arroget, quod accepit. Deum sui aduentus in Quiescentium mentibus alternare vices, quatenus nullus erga proximos pro perceptis muneribus insolescere audeat. Videndum ei, qui stat, ne cadat atque in humilitate iacentium admonitione firmetur. Iterum admonet, vt opus suum perficiant QVIESCENTES, neminem iudicent, se nemini præferant: vt dilectam Deo orationis suæ exhibeant seruitutem. Gaudeant se à conturbationibus Dæmonum, & à fragoribus spiritualium bellorum esse remotos.

De Quiescentibus Prophetam cecinisse: Abscondes eos in abscõdito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictionibus linguarum. Tum hanc causam esse subnectit, vnde eorum orationis puritas, vitæ innocentia, contemplatio læta, deuotionis opulentia promanet. Psal. 30.

Adiungit vero, Orationem QVIESCENTIVM esse longe di-

uersam ab Oratione illorum, qui in tentationum agone contendunt, & dici possunt PVGNANTES. Est namque Oratio Quiescentium humilis, compunctione lacrymosa, gratiarum actione referta, exultatione iucunda, Dei cognitione corusca, amoris flamma succensa, & in diuinis laudibus delectabiliter occupata.

Pugnantium vero, quoniã iis vacare non congruit, quæ ad pacem sunt, importuna esse cognoscitur, gemitibus plena, desideriis ignita, postulationibus crebra, ornata fide, & superbiæ tumore vacua. Nequaquam se valet extollere, qui alieno se nouit indigere suffragio. Immundorum quippe spirituum importunitatem sentiens preces ingeminat, propriam necessitatem detegit, imminens periculum narrat, quatenus cælestem placet iudicem, & celerem de persequutoribus vindictam exposcat.

---

## EXERCITATIO II.

## *FIGVRÆ QVIETIS MYSTICÆ.*

### PRIMA DISQVISITIO. An recte dicant Mystici, Terram sanctam Israelitis promissam, esse Typum Quietis mysticæ?

RESP. Cum omnia in figura contigerint Patribus & variarum rerum symbola esse possint V. T. Historiæ, haud incongrue id ab iis asseri. Terra promissa vocatur ore Dei κατάπαυσις, & secundũ quosdam ἀνάπαυσις: quæ addicebatur post laboriosissimam peregrinationem Iudæis, vt in ea ociarentur: cur non ergo typus sit illius tranquillitatis, & suauissimæ sessionis, quam habent post molestissimum cum vitiis & perturbationibus certamen: post continuam in meditationib. concertationem, post longum discursuum, & desideriorum variorum circuitum Mystici?

Ad hanc terram suspirat dum in hoc mortalitatis deserto peregrinatur anima. Sed diligẽter attendãt, vt à viis Dei sui nõ deflectãt, quicumque Quietem hanc in desideriis habent, ne audiant: *Isti non cognouerunt vias meas, vt iuraui in ira mea si introibunt in Requiem meam.*

*Vt iuraui. Hebra.* אשר *ascer: propterea, quia, tunc quare, ergo Ps. 94. 11.*

Terribilis comminatio: iuramento confirmat Deus se iratum ceruicosis quibusdam & rebellibus, atque idcirco negaturum se aditum in terram illam quietissimam & opulentissimam, in qua ipsorum conquiesceret peregrinatio, quamque ipsis & promiserat & parauerat.

rat. Quod ne nobis contingat, Hodie, si vocem Domini audierimus, non obduremus corda nostra, sed adflatus diuinos apetto ore & sinu Deo grati recipiamus. Anhelemus toto pectore ad tranquillissimum hunc animæ statum. Dicamus cum Augustino Mysticæ Quietis amatore feruentissimo.

QVIESCAT in TE Deus meus cor meum, Cor meum enim est Mare magnum tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna veni, & ingredere super fluctus cordis mei, vt tranquilla, & serena fiant omnia mea, quatenus Te vnicum Bonum meum amplectar sine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Cōfugiat Domine mēs mea sub vmbra alarum tuarū, ab æstibus cogitationum huius seculi, vbi in tui refrigerij temperamento abscon sa, lætabunda cantet & dicat: In pace in id ipsum dormiam, & Requiescam. Dormiat, obsecro, Domine Deus meus Memoria mea ab omnibus malis, iniquitatem odiat, iustitiam diligat. Quid enim pulchrius, quid-ue dulcius quam inter tenebras huius vitæ, multasq; amaritudines diuinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mente, vbi vera haberi gaudia certissimum est?

## SECVNDA DISQVISITIO. An Templum Ierosolymitanum accommodate statuatur figura Quietis Mysticæ?

RESPOND. Ad firmate, eadem analogia, qua terra promissa. Quod enim Psalmo 131. Prouocans Deum, canit Dauid Rex: *Surge Domine in Requiem tuam, Tu, & Arca sanctificationis tuæ*, Hebraice, *fortitudinis tuæ*, ad Templum refertur: Inuitatur enim Deus more Poetico vt cum Arca, in qua, & per quam sanctificari solebat ab hominibus, & sancta profundere oracula, quæque intra se res sacras continebat, exurgat, veluti de hospitio, ac loco humiliori, & in Templum, tanquam splendide paratam habitationem ingrediatur, vbi firmiter cōsideat, & REQVIESCAT, non amplius quodammodo peregrinaturus & huc illucque diuagaturus, neque de loco in locum transiturus. Ps 131.8.

Quiescit Mysticus Contemplator in Caligine, tanquam in augustissimo Diuinitatis templo: in quo Deum intuetur, eo modo quo Viatoribus, sed in via molliter per interualla cubantibus permissum est. In eodem quotidie Deo laudis sacrificium, & hostiam labiorum suorum offert: corque suum in holocaustum amoris diuini inflammat.

TER-

## Tertia Disqvisitio. An Quietis Mysticæ Symbolum constitui possint Tabernacula Sem?

RESP. Genesis 9.27. benedicens Noe Iapheto, *Dilatet* inquit DEVS *Iapheth, & habitet in Tabernaculis Sem.* Quibus verbis respexisse Patriarcham ad fixam habitationem in templo Ierosolymitano probat Ioan. Baptista Villalpandus, siquidē ciuitatem illam Sem primus ædificauit: vt significetur fore Iaphetianos à patre benedictos in Iudæa, eiusque vmbilico, ciuitate regia, & magis adstricte in Tabernaculo Sem, seu Templo augustissimo cultui veri Dei, ac pietati vacaturos & ibi quietē inuenturos: donec tandem Gentes, (quorū secundū carnem plurimarum, ac fere omnium parens fuit Iapheth) cum Iudæis, qui secundum carnem sunt filij Sem, in vnum Christi Tabernaculum, in quo vera quies coalescant.

*Villalp. tom. 3. in Ezech. Par. 1. li. 1. cap. 14.*

Qua propter si Templum Ierosolymitanum apte figura censetur Quietis mysticæ, cur non etiam Tabernaculum Sem? Ob quam causam, Mystici, non minus accommodate, spirituales SEMITAE ac IAPHETHIANI, Tabernaculi habitatores nominari poterunt.

Et sane S. Hieronymus *Tabernacula Sem* interpretatur doctrinam eloquiorum diuinorum, eorumque Contemplationem, cui se totos dedunt Mystici. De Sem, inquit, Hebræi: de Iaphet populus gentium nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium à latitudine, quæ Iapheth dicitur, nomen inuenit. Quod autem subditur: Et habitet in tabernaculis Sem, de nobis præparatur, qui in eruditione, & scientia scripturarum, erecto Israel versamur. Quod disserte, ac copiose explicat in Genesim Rupertus Abbas, cuius verba Benedictus Pererius exscribit, & sententiam adprobat.

*S. Hiero. Tradit Hebr. Gen.*

*Pere. li. 14. in Gen.*

*Rup. lib. 4. cap. 39.*

## Qvarta Disqvisitio. An, & Quæ aliæ Quietis Mysticæ figuræ.

RESPOND. Esse. Aliquot pono ad Mysticorum consolationem.

I. HABITATIO, vel SESSIO sub vite, aut ficu. significat enim tranquillitatem coniunctam securitati, abundantiæ, & deliciis: quæ omnia complectitur Quies Mystica. De Salomone, re, ac nomine Pacifico, cum regnum suum in alta pace, ac summa tranquillitate regeret, dicit sacra historia. *Habebat pacem ex omni parte in circuitu: habitabatque Iuda & Israel absque timore vllo. Vnusquisque sub vite sua, & sub ficu*

*lib. 3. Reg. cap 4. 25.*

*cusua.* Explicari satis nequit quam jucundam pacem habeat Mysticus Contemplator ex omni parte, tam à dextris, cum non turbetur prosperis; quam à sinistris, cum non concutiatur aduersis: quamque habitet secure, & absque timore aduersariorum, à quibus nihil metuit, sub vite sua, vnde consolationis vinum abunde haurit, & ficu sua, quæ illi dulcem adfectuũ alimoniam subministrat: vtraque autem contemplationis sanctæ, ac diuinæ est typus: in qua tanquam in suo constanter, non vt in alieno, transeunter solum commoratur.

Hic securitas est: hic versatur Mysticus absque hostium aperte inuadentium; & latronum occulte insidiantiũ; & ferarũ vtroq; modo inuadentium (tot enim sunt tentatorum & tentationũ genera) metu.

Hic abundantia & diuitijs spiritualibus cumulatur Mysticus: nam gazis Dei assidet, è quibus sumere licet non ad necessitatem tãtum, sed ad voluptatem etiam. Est sub vite, ac ficu sua, ex qua semper fas est carpere quantum fuerit collibitum.

Denique, hic delitiarum est locus, quem fructus illi dulcissimi & delicatissimi satis indicant. Quibus cum assidue vescatur, eorumque suauitatem percipiat, quam ad alios quoque deriuari optaret bonus Contemplator, caritate feruens, quid mirum quod inuitet vicinos & amicos ad easdem delitias? *Vocabit vir amicum suũ subter vitem & subter ficum*, inquiebat Zacharias, præuidẽs Testamenti N. tranquillam securitatem, & Mysticorum cætus. De quibus ẽt agens Micheas Propheta: *Sedebit*, ait, *vir subtus vitem suã, & subtus ficum suã, & non erit, qui deterreat.* Et nonne sedit molliter Mysticus contemplationi intentus, in caligine ad paradisi portas subtus vitem, & ficum suam? Nonne verus est Nathanael, verus Israelita non carne, sed spiritu, in quo nullus dolus, nulla fellis amaritudo: de quo dicere potest sibi caris blandiens quietis sacræ amator & inspector: *Cum esses sub ficu vidi te.*

*Zach.* III. 10.

*Mich.* 4. 4.

*Ioan.* 1. 49.

Ad hoc quietis sacræ habitaculum inuitans Deus contemplationis studiosos vsurpare potest, quod Regem Assyriorum Iudęis spopondisse refert sacra narratio: *Facite mecum, quod vobis vtile,* (in meam potestatem venite: dedite vos mihi) *& egredimini ad me, & comedet vnusquisque de vinea sua, & de ficu sua, & bibetis aquas de cisternis vestris.*

*Lib.* 4 *Reg.* 18. 31.

II. Huic figuræ adhæret altera, nimirum SESSIO IN, vel SVB VMBRA. Qui sedet enim sub vite vmbram captat. Loquitur namq; scriptura de vitibus oleuatis à terra: ita vt sub ijs sit locus idoneus ad quiescendum. Tales erant in Palæstina, & ibi ad vmbram sese refocillabant Israelitæ: nempe sub vitibus pergulatis, & cum arborib. maritatis.

Ad idem conueniens est Ficus sub qua vmbram captārunt primi parentes Gen. III. 7. Et sunt etiam-num tam latifolia vt vmbram longissimā latissimamq; iaciāt. Certe, refert Solinus Indorum pomaria ficus habere, quarum caudices in orbem spacio saxaginta passuū extuberant, ramorum vmbræ ambitu bina stadia consumunt: foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur. Easdem tradit Plinius tantum propagari vt sub vna ficu turbæ condantur equitum. Estque ijsdem in partibus ficus, quæ ipsa se semper serens vastis diffunditur ramis, quorum pondera adeo in terram curuantur, vt annuo spacio infigantur, nouamque sibi propaginem faciant circa parentem in orbes quodam opere topiario: intra sepem eam æstiuant pastores opacam pariter, & munitam vallo arboris decora specie subter intuenti, proculue fornicato ambitu superiores eiusdem rami in excelsum emicant, siluosa multitudine vasto matris corpore vt LX. plerǫque orbe colligant, vmbræ vero bina stadia operiant. Quemadmodum autem in huius aliarumque arborum ramis suauiter commoratur peregrinus viator, ita in quiete mystica tanquam in vmbra contemplatorem sessitare & mirabili iucunditate perfundi concipiunt arcanæ sapientiæ cultores.

*Solin. cap. 53.* *Plin. lib. 7. cap. 2.* *Lib. 12. c. 5.*

Verum, non tam vmbram arboris alicuius, quam illius in cuius Caligine quiescunt hic requirunt Mystici: & si obtineant, gloriantur cum Sponsa. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Vmbram petunt itinerantes, æstu flaccidi, & grauati onere: sed nulla est jucundior & securior, quam cuius Deus est auctor, aut quam ipse facit. Et olim quidem suos inumbrabat nube, & lege per Mosen data: sed neutra ardorem concupiscentiæ mitigabat, qui tamen nisi sopiatur, nulla homini potest esse diuturna quies. Itaque vt amorem declararet paterno maiorem, si tamen maior esse possit aliquis, ipse constituit suis esse vmbraculum, & vmbram jacere sub qua Mysticus suauiter conquiescat.

*Vmbra Dei.* *Cant. II. 3.* *Vmbranubu.*

Quare S. Gregorius postquam plures vmbrę significationes adduxit, & exposuit, tandem vmbram quietis dicit esse Incarnationem Domini aut Verbum Incarnatum, sub cuius protectione ab æstu desideriorum carnalium Sponsa requiescit. Cassiodorus, vmbram exponit Diuinitatis protectionem. Ingeniose Honorius Canticorū insignis interpres vmbra fit ex corpore & luce, & est itinerantium refrigerium ab æstu, & protectio à tempestate: Arbor vitæ, id est, malus, est sancta CRVX: Fructus CHRISTVS: Vmbra, tutela vel refrigeriū humani generis, quod graui onere peccatorum per æstum concupiscentiæ premebatur. Constabat vmbra illa ex luce diuinitatis, & corpore

*Greg. li. 33. mor. cap. 3.*

pore opaco humanitatis. Sub hac vmbra sedere dici potest Ecclesia, quando in fide CHRISTI requiescit: & multo magis illi, qui non ex alio, quam humanitatis diuinitatisq; verbi contemplatione delitias suas aucupantur.

Agnoscit eandem arborem Absalon, eximius & ipse Canticorum enarrator, dicitque sponsam quiescere sub vmbra arboris illius pomiferæ, crucis nimirum, aut CHRISTI crucifixi, non sub taxis hæreticorum, non sub ilicibus Iudæorum, non sub sterilibus platanis Philosophorum, non sub lucis obscuris idolorum. O dulcis Mysticorũ sub vmbra huius arboris quies! Hanc vmbrã poscebat Dauid. Sub vmbra alarum tuarũ protege me. Hanc Ieremias: In vmbra tua viuemus in gentib. Hanc Oseas: Conuertentur sedentes in vmbra eius. Psl. 16. 9. Thre. 4. 20 Ose. 14. 8.

In hac vmbra animæ quiescenti fructus est dulcis gutturi contemplantis. Nam ex eadem arbore vmbra iacitur, & multiplex fructus decerpitur. In solo CHRISTO ait Gregorius Papa cibum salutis quoties quærimus, inuenimus. In eius verbis & exemplis animas nostras fructu suaui, & salubri reficimus. Ipse quippe est lignum vitæ, quam nobis tribuit. Ipse est, qui dum nobis inspirat semetipsum animum pascit. In ceteris vero, si quid refocillationis inuenimus, non quod illorum est, sed quod CHRISTI est, ab illis sumimus. quia quicquid in eis, præter Deum, est, mortiferum nobis proculdubio inuenimus.

Necessitatem huius vmbræ ostendit Gulielmus. Quis enim, inquit, posset sustinere solem Iustitiæ nudum? Quis posset intendere oculos in lucem inaccessibilẽ? Quis non consumeretur ardentib. eius radijs, de quo Isaias: *Ardens furor eius, & grauis adportandum.* Et Dauid: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Assumpsit ergo Sol Iustitiæ hominem Mediatorem, & ita ex conjunctione Solis, & humani corporis facta est vmbra, quam desiderabat, qui dicebat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et alibi: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Denique, quasi iam exauditus, & vmbram illam adeptus: Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. Plane *Misericordia non iudicium,* positis sub vmbra ista. Sed extra istam vmbram positis, *judicium sine misericordia.* Psal. 9. Ps. 142. Ps. 139.

O magnum, & optandum animæ anhelantis refrigerium, sedere sub vmbra illius; quem desiderabat; cuius pulchritudo rapit oculum, cuius fragrantiam nares auide attrahunt: cuius vmbra æstum animæ temperat, dum sub ea sedet, & arboris fructu sedens pacate vescitur. Vmbra hæc omnem tentationum feruorem temperat: & dum S. Greg.

*Dicat quisque, quod sentiat, ego aliam caussam non inuenio, quæ illum intrinsecus ita ligatum teneat, vt nec ad modicum quidem exire valeat. Vnum autem scio, quia, quisquis huiusmodi amica desiderio flagrat, quanto eam familiarius nouit, tanto amplius amat: & quanto frequentius eius fruitur amplexibus, eo vehementius eius desiderio æstuat. Eius siquidem frequens contubernium solet sane desiderium non minuere, sed augere, & amoris incendium acrius inflammare. Mirum ergo non est cur iste Beniamin tota die, quasi* IN THALAMO *commoratur, qui talis sponsæ dulcedine fruitur; & inter humeros illius* REQVIESCENS, *eius amore iugiter delectatur.*

Concipit Richardus Contemplatorem quasi Beniaminum, adamantem, velut dilectissimam Sponsam Contemplationem diuinam: vt autem illius assiduè frui possit amplexibus habitare in Domino, seu Quiete mystica, tanquam in Thalamo, & nunquam ex illo velle egredi.

At sensus litteralis illius loci aliud etiam suggerit: nimirum, Dominũ habitare in Beniamino atq; in illius humeris requiescere. Ad illũ veniem⁹, aiebat Christus, & mansionẽ apud eũ faciemus. Quod .n. est in Deuteronomio: Quasi in Thalamo tota die morabitur: Chaldæ⁹ legit, *Super eum erit protegens eum omnibus diebus, & in terra eius habitabit maiestas Domini.* Vnde colligitur, quod nominatiuus, verbi, *Morabitur*, & *Requiescet*: non tam sit Beniamin, quam Dominus: quasi dicatur; Beniamin, quia Domino erit dilectus, & vnitus, habitabit confidenter: & Dominus in illo quasi in Thalamo morabitur, & requiescet inter humeros illius.

Gen. 49. 27 Alcuin. in Gen. Lipomanus Pererius Isiella Cornelius Marius Delrius Salianus.

Quod quidem communiter Interpretes sacri referunt ad Templum Ierosolymitanum & Arcam: extitit enim illud in tribu Beniamin. Quo etiam spectat illa benedictio Genes. 49. *Beniamin lupus rapax mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia.* Quod pertinere ad ædificationẽ Templi in possessione Beniamin, & ad sacrificia, quæ in altari consumebantur, exponit Chaldæus his verbis: Beniamin in terra eius QVIESCET PRÆSENTIA DIVINITATIS, *& in possessione eius ædificabitur Sanctuarium: mane & vespere offerent sacerdotes oblationes; & in tempore vespertino diuident residuum portionum suarum, de reliquis, quæ sanctificata sunt.* Fingitur autem Templum esse *inter humeros* Beniamin: quia in medio tribus: aut, quoniam Ierusalem, quæ erat metropolis Beniamitarum, & Templum in loco editissimo erat velut caput ipsius tribus quod humeris impositum toto corpore eminet, vt exponit R. Salomon.

Abulensis Dionysius Hugo Caietanus Isidorus. Vatablus Oleaster Sa Pineda lib. 5. de reb.

V. Quies eadem Mystica optime exprimitur HABITATIONE IN ADIVTORIO ALTISSIMI. An non enim ille suauissime quiescit cui

cui Altissimus Adiutorium suũ tanquã habitaculũ præparat, in quo illum ab omnibus inimicorum incursibus tueatur? Qui habitant in adiutorio Altissimi? Quibus nullibi est firma statio, nisi in Altissimo: quorum conuersatio est in altissimo: qui vbique sunt peregrini, præterquam in caligine cum Altissimo. O! quam illi QVIETI & felices: quia in protectione Dei cæli commorantur.

*Salea. s. Alia habet Vilalp in Ezech. Par. 1. lib. 1 c. 35. & 16 Psal. 90.*

Quid enim eum turbare, quid ei nocere poterit eorum, quæ sub cęlo sunt, quẽ Deus cęli protegere, & conseruare voluerit? Porro, sub cælo sũt, quæcũq; nocere possunt. Sub cælo sũt aereæ potestates: sub cælo præsens seculum nequam; & caro aduersum spiritũ concupiscens. Nihil igitur timere potest, eorum, quæ sub cælo sunt, qui protectionem Dei cæli habere meruit. Qualis est in Quiete mystica commorans anima contemplatrix. Quæ tamen diligenter attendat: quod sit in protectione, non in præsentia. Angelus in præsentia eius exultat. Ego, inquit Mysticus, vtinam possim in eius protectione morari. Ille beatus in præsentia, quia & in claritate: ego vtinam in protectione, quia etiamnum in caligine, sim securus. Felix tamen Anima, quę vel hanc protectionem consequitur: & quamuis nondum ad adyta admittatur, vbi videbitur Deus Deorum in Sion, sedet tamen cum Mardochæo ad palatij fores & expectat patienter Salutare Dei: dicitque interim Consolatori suo Susceptor meus es tu.

*S. Ber. ser. 1. in Ps. 90.*

Similes autem Figuræ QVIETIS Mysticæ plures enumerari possent, & sequenti exercit. indicabuntur. Quidquid .n. ad tranquillitatem, pacem, securitatem, opulentiam, ocium, firmam commorationem, & consistentiam; addo, delitias, & voluptates pertinet; quicquid denique ad epulas, conuiuia, cænas, thalamos, accubitus, hortos, vineas, florentes campos, & similia sexcenta, siue in Canticis Canticorum, siue alijs SS. V. T. locis spectat, huc referri potest, sensu, saltem mystico & accommodatitio, qui in Theologia Mystica maxime frequentatur.

Hoc autem eodem sensu, Mysticus Contemplator, quietis amatæ intuitu, scite vocatur *Issachar*, de quo sic vaticinatus est Iacob Patriarcha: *Vidit* REQVIEM, *quod esset bona: & terram, quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum.* Issachar, *Merces* dicitur, illorum symbolum, quorum merces magna nimis, Dominus. qui vident Requiem, quod sit bona: ideoque vnum petunt, & hoc requirunt, vt habitent in domo Domini. Hi optimam partem eligunt, Requiescere ad pedes Domini. Hi quoque terram vident, terram viuentium in cuius sunt confinio, quod sit bona, fertilis, omnibus ad voluptatem abundans: ideo supponunt humerum suum ad laborandum, subiicientes

*Mysticus Issachar. Genes. 49. 15.*

uersam ab Oratione illorum, qui in tentationum agone contendunt, & dici possunt PVGNANTES. Est namque Oratio Quiescentium humilis, compunctione lacrymosa, gratiarum actione referta, exultatione iucunda, Dei cognitione corusca, amoris flamma succensa, & in diuinis laudibus delectabiliter occupata.

Pugnantium vero, quoniã iis vacare non congruit, quæ ad pacem sunt, importuna esse cognoscitur, gemitibus plena, desideriis ignita, postulationibus crebra, ornata fide, & superbiæ tumore vacua. Nequaquam se valet extollere, qui alieno se nouit indigere suffragio. Immundorum quippe spirituum importunitatem sentiens preces ingeminat, propriam necessitatem detegit, imminens periculum narrat, quatenus cælestem placet iudicem, & celerem de persequutoribus vindictam exposcat.

---

# EXERCITATIO II.

## *FIGVRÆ QVIETIS MYSTICÆ.*

### PRIMA DISQVISITIO. An recte dicant Mystici, Terram sanctam Israelitis promissam, esse Typum Quietis mysticæ?

RESP. Cum omnia in figura contigerint Patribus & variarum rerum symbola esse possint V. T. Historiæ, haud incongrue id ab iis asseri. Terra promissa vocatur ore Dei κατάπαυσις, & secundũ quosdam ἀνάπαυσις: quæ addicebatur post laboriosissimam peregrinationem Iudæis, vt in ea ociarentur: cur non ergo typus sit illius tranquillitatis, & suauissimæ sessionis, quam habent post molestissimum cum vitiis & perturbationibus certamen: post continuam in meditationib. concertationem, post longum discursuum, & desideriorum variorum circuitum Mystici?

Ad hanc terram suspirat dum in hoc mortalitatis deserto peregrinatur anima. Sed diligẽter attendãt, vt à viis Dei sui nõ deflectãt, quicumque Quietem hanc in desideriis habent, ne audiant: *Isti non cognouerunt vias meas, vt iuraui in ira mea si introibunt in Requiem meam.* Terribilis comminatio: iuramento confirmat Deus se iratum ceruicosis quibusdam & rebellibus, atque idcirco negaturum se aditum in terram illam quietissimam & opulentissimam, in qua ipsorum conquiesceret peregrinatio, quamque ipsis & promiserat & parauerat.

*Vt iuraui. Hebra. אשר ascer: propterea, quia, tunc quare, ergo Ps. 94. 11.*

rat. Quod ne nobis contingat, Hodie, si vocem Domini audierimus, non obduremus corda nostra, sed adflatus diuinos aperto ore & sinu Deo grati recipiamus. Anhelemus toto pectore ad tranquillissimum hunc animæ statum. Dicamus cum Augustino Mysticæ Quietis amatore feruentissimo.

QVIESCAT in TE Deus meus cor meum, Cor meum enim est Mare magnum tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna veni, & ingredere super fluctus cordis mei, vt tranquilla, & serena fiant omnia mea, quatenus Te vnicum Bonum meum amplectar sine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Cõfugiat Domine mẽs mea sub vmbra alarum tuarũ, ab æstibus cogitationum huius seculi, vbi in tui refrigerij temperamento abscõsa, lætabunda cantet & dicat: In pace in id ipsum dormiam, & Requiescam. Dormiat, obsecro, Domine Deus meus Memoria mea ab omnibus malis, iniquitatem odiat, iustitiam diligat. Quid enim pulchrius, quid-ue dulcius quam inter tenebras huius vitæ, multasq; amaritudines diuinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mente, vbi vera haberi gaudia certissimum est?

## SECVNDA DISQVISITIO. An Templum Ierosolymitanum accommodate statuatur figura Quietis Mysticæ?

RESPOND. Adfirmate, eadem analogia, qua terra promissa. Quod enim Psalmo 131. Prouocans Deum, canit Dauid Rex: *Surge Domine in Requiem tuam, Tu, & Arca sanctificationis tua*, Hebraice, *fortitudinis tuæ*, ad Templum refertur: Inuitatur enim Deus more Poetico vt cum Arca, in qua, & per quam sanctificari solebat ab hominibus, & sancta profundere oracula, quæque intra se res sacras continebat, exurgat, veluti de hospitio, ac loco humiliori, & in Templum, tanquam splendide paratam habitationem ingrediatur, vbi firmiter cõfideat, & REQVIESCAT, non amplius quodammodo peregrinaturus & huc illucque diuagaturus, neque de loco in locum transiturus. Ps 131.8.

Quiescit Mysticus Contemplator in Caligine, tanquam in augustissimo Diuinitatis templo: in quo Deum intuetur, eo modo quo Viatoribus, sed in via molliter per interualla cubantibus permissum est. In eodem quotidie Deo laudis sacrificium, & hostiam labiorum suorum offert: corque suum in holocaustum amoris diuini inflammat.

TER-

## TERTIA DISQVISITIO. An Quietis Mysticæ Symbolum constitui possint Tabernacula Sem?

RESP. Genesis 9.27. benedicens Noe Iapheto, *Dilatet* inquit DEVS *Iapheth, & habitet in Tabernaculis Sem.* Quibus verbis respexisse Patriarcham ad fixam habitationem in templo Ierosolymitano probat Ioan. Baptista Villalpandus, siquidē ciuitatem illam Sem primus ædificauit: vt significetur fore Iaphetianos à patre benedictos in Iudæa, eiusque vmbilico, ciuitate regia, & magis adstricte in Tabernaculo Sem, seu Templo augustissimo cultui veri Dei, ac pietati vacaturos & ibi quietē inuenturos: donec tandem Gentes, (quorū secundū carnem plurimarum, ac fere omnium parens fuit Iapheth) cum Iudæis, qui secundum carnem sunt filij Sem, in vnum Christi Tabernaculum, in quo vera quies coalescant.

*Villalp. tom. 3. in Ezech. Par. 1. li. 1. cap. 14.*

Qua propter si Templum Ierosolymitanum apte figura censetur Quietis mysticæ, cur non etiam Tabernaculum Sem? Ob quam causam, Mystici, non minus accommodate, spirituales SEMITAE ac IAPHETHIANI, Tabernaculi habitatores nominari poterunt.

Et sane S. Hieronymus *Tabernacula Sem* interpretatur doctrinam eloquiorum diuinorum, eorumque Contemplationem, cui se totos dedunt Mystici. De Sem, inquit, Hebræi: de Iaphet populus gentium nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium à latitudine, quæ Iapheth dicitur, nomen inuenit. Quod autem subditur: Et habitet in tabernaculis Sem, de nobis præparatur, qui in eruditione, & scientia scripturarum, erecto Israel versamur. Quod diserte, ac copiose explicat in Genesim Rupertus Abbas, cuius verba Benedictus Pererius exscribit, & sententiam adprobat.

*S. Hiero. Tradit. Hebr. Gen.*

*Pere. li. 14. in Gen.*

*Rup. lib. 4. cap. 39.*

## QVARTA DISQVISITIO. An, & Quæ aliæ Quietis Mysticæ figuræ.

RESPOND. Esse. Aliquot pono ad Mysticorum consolationem.

I. HABITATIO, vel SESSIO sub vite, aut ficu. significat enim tranquillitatem coniunctam securitati, abundantiæ, & delitiis: quæ omnia complectitur Quies Mystica. De Salomone, re, ac nomine Pacifico, cum regnum suum in alta pace, ac summa tranquillitate regeret, dicit sacra historia. *Habebat pacem ex omni parte in circuitu: habitabatque Iuda & Israel absque timore vllo. Vnusquisque sub vite sua, & sub fi-*

*lib. 3. Reg. cap. 4. 25.*

*cu ſua.* Explicari ſatis nequit quam jucundam pacem habeat Myſticus Contemplator ex omni parte, tam à dextris, cum non turbetur proſperis; quam à ſiniſtris, cum non concutiatur aduerſis: quamque habitet ſecure, & abſque timore aduerſariorum, à quibus nihil metuit, ſub vite ſua, vnde conſolationis vinum abunde haurit, & ficu ſua, quæ illi dulcem adfectuũ alimoniam ſubminiſtrat: vtraque autem contemplationis ſanctæ, ac diuinæ eſt typus: in qua tanquam in ſuo conſtanter, non vt in alieno, tranſeunter ſolum commoratur.

Hic ſecuritas eſt: hic verſatur Myſticus abſque hoſtium aperte inuadentium; & latronum occulte inſidiantiũ; & ferarũ vtroq; modo inuadentium (tot enim ſunt tentatorum & tentationũ genera) metu.

Hic abundantia & diuitijs ſpiritualibus cumulatur Myſticus: nam gazis Dei aſſidet, è quibus ſumere licet non ad neceſſitatem tãtum, ſed ad voluptatem etiam. Eſt ſub vite, ac ficu ſua, ex qua ſemper fas eſt carpere quantum fuerit collibitum.

Denique, hic delitiarum eſt locus, quem fructus illi dulciſſimi & delicatiſſimi ſatis indicant. Quibus cum aſſidue veſcatur, eorumque ſuauitatem percipiat, quam ad alios quoque deriuari optaret bonus Contemplator, caritate feruens, quid mirum quod inuitet vicinos & amicos ad eaſdem delitias? *Vocabit vir amicum ſuũ ſubter vitem & ſubter ficum*, inquiebat Zacharias, præuidẽs Teſtamenti N. tranquillam ſecuritatem, & Myſticorum cætus. De quibus ẽt agens Micheas Propheta: *Sedebit*, ait, *vir ſubtus vitem ſuã, & ſubtus ficum ſuã, & non erit, qui deterreat.* Et nonne ſedit molliter Myſticus contemplationi intentus, in caligine ad paradiſi portas ſubtus vitem, & ficum ſuam? Nonne verus eſt Nathanael, verus Iſraelita non carne, ſed ſpiritu, in quo nullus dolus, nulla fellis amaritudo: de quo dicere poteſt ſibi caris blandiens quietis ſacræ amator & inſpector: *Cum eſſes ſub ficu vidi te.*

*Zach.* III. 10.

*Mich.* 4. 4.

*Ioan.* 1. 49.

Ad hoc quietis ſacræ habitaculum inuitans Deus contemplationis ſtudioſos vſurpare poteſt, quod Regem Aſſyriotum Iudæis ſpopondiſſe refert ſacra narratio: *Facite mecum, quod vobis vtile*, (in meam poteſtatem venite: dedite vos mihi) *& egredimini ad me, & comedet vnuſquiſque de vinea ſua, & de ficu ſua, & bibetis aquas de ciſternis veſtris.*

*Lib.* 4 *Reg.* 18. 31.

II. Huic figuræ adhæret altera, nimirum SESSIO IN, vel SVB VMBRA. Qui ſedet enim ſub vite vmbram captat. Loquitur namq; ſcriptura de vitibus oleuatis à terra: ita vt ſub ijs ſit locus idoneus ad quieſcendum. Tales erant in Palæſtina, & ibi ad vmbram ſeſe refocillabant Iſraelitæ: nempe ſub vitibus pergulatis, & cum arborib. maritatis.

Zz Ad

Ad idem conueniens est Ficus sub qua vmbram captârunt primi parentes Gen. III. 7. Et sunt etiam-num tam latifolia vt vmbram
*Solin. cap. 53.* longissimã latissimamq; jaciãt. Certe, refert Solinus Indorum pomaria ficus habere, quarum caudices in orbem spacio saxaginta passuũ extuberant, ramorum vmbræ ambitu bina stadia consumunt: foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur. Easdem tradit
*Plin. lib. 7. cap. 2.* Plinius tantum propagari vt sub vna ficu turbæ condantur equitum. Estque ijsdem in partibus ficus, quæ ipsa se semper serens vastis diffunditur ramis, quorum pondera adeo in terram curuantur, vt annuo spacio infigantur, nouamque sibi propaginem faciant circa pa-
*Lib. 12. c. 5.* rentem in orbes quodam opere topiario: intra sepem eam æstiuant pastores opacam pariter, & munitam vallo arboris decora specie subter intuenti, proculue fornicato ambitu superiores eiusdem rami in excelsum emicant, siluosa multitudine vasto matris corpore vt LX. pleręque orbe colligant, vmbræ vero bina stadia operiant. Quemadmodum autem in huius aliarumque arborum ramis suauiter commoratur peregrinus viator, ita in quiete mystica tanquam in vmbra contemplatorem festitare & mirabili iucunditate perfundi concipiunt arcanæ sapientiæ cultores.

*Vmbra Dei. Cant. II. 3.* Verum, non tam vmbram arboris alicuius, quam illius in cuius Caligine quiescunt hic requirunt Mystici: & si obtineant, gloriantur cum Sponsa. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Vmbram petunt itinerantes, æstu flaccidi, & grauati onere: sed nulla est jucundior & securior, quam cuius Deus est au-
*Vmbraculum.* ctor, aut quam ipse facit. Et olim quidem suos inumbrabat nube, & lege per Mosen data: sed neutra ardorem concupiscentiæ mitigabat, qui tamen nisi sopiatur, nulla homini potest esse diuturna quies. Itaque vt amorem declararet paterno maiorem, si tamen maior esse possit aliquis, ipse constituit suis esse vmbraculum, & vmbram jacere sub qua Mysticus suauiter conquiescat.

*Greg. li. 33. mor. cap. 3.* Quare S. Gregorius postquam plures vmbrę significationes adduxit, & exposuit, tandem vmbram quietis dicit esse Incarnationem Domini aut Verbum Incarnatum, sub cuius protectione ab æstu desideriorum carnalium Sponsa requiescit. Cassiodorus, vmbram exponit Diuinitatis protectionem. Ingeniose Honorius Canticorũ insignis interpres vmbra fit ex corpore & luce, & est itinerantium refrigerium ab æstu, & protectio à tempestate: Arbor vitæ, id est, malus, est sancta CRVX: Fructus CHRISTVS: Vmbra, tutela vel refrigeriũ humani generis, quod graui onere peccatorum per æstum concupiscentiæ premebatur. Constabat vmbra illa ex luce diuinitatis, & corpore

pore

pore opaco humanitatis. Sub hac vmbra sedere dici potest Ecclesia, quando in fide CHRISTI requiescit; & multo magis illi, qui non ex alio, quam humanitatis diuinitatisq; verbi contemplatione delitias suas aucupantur.

Agnoscit eandem arborem Absalon, eximius & ipse Canticorum enarrator, dicitque sponsam quiescere sub vmbra arboris illius pomiferæ, crucis nimirum, aut CHRISTI crucifixi, non sub taxis hæreticorum, non sub ilicibus Iudæorum, non sub sterilibus platanis Philosophorum, non sub lucis obscuris idolorum. O dulcis Mysticorũ sub vmbra huius arboris quies! Hanc vmbrã poscebat Dauid. Sub vmbra alarum tuarũ protege me. Hanc Ieremias: In vmbra tua viuemus in gentib. Hanc Oseas: Conuertentur sedentes in vmbra eius. Psal.16.9. Thre.4.20 Ose.14.8.

In hac vmbra animæ quiescenti fructus est dulcis gutturi contemplantis. Nam ex eadem arbore vmbra iacitur, & multiplex fructus decerpitur. In solo CHRISTO ait Gregorius Papa cibum salutis quoties quærimus, inuenimus. In eius verbis & exemplis animas nostras fructu suaui, & salubri reficimus. Ipse quippe est lignum vitæ, quam nobis tribuit. Ipse est, qui dum nobis inspirat semetipsum animum pascit. In ceteris vero, si quid refocillationis inuenimus, non quod illorum est, sed quod CHRISTI est, ab illis sumimus. quia quicquid in eis, præter Deum, est, mortiferum nobis proculdubio inuenimus.

Necessitatem huius vmbræ ostendit Gulielmus. Quis enim, inquit, posset sustinere solem Iustitiæ nudum? Quis posset intendere oculos in lucem inaccessibilẽ? Quis non consumeretur ardentib. eius radijs, de quo Isaias: *Ardens furor eius, & grauis adportandum.* Et Dauid: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Assumpsit ergo Sol Iustitiæ hominem Mediatorem, & ita ex conjunctione Solis, & humani corporis facta est vmbra, quam desiderabat, qui dicebat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et alibi: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Denique, quasi iam exauditus, & vmbram illam adeptus: Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. Plane *Misericordia non iudicium,* positis sub vmbra ista. Sed extra istam vmbram positis, *judicium sine misericordia.* Psal. 9. Ps. 142. Ps. 139.

O magnum, & optandum animæ anhelantis refrigerium, sedere sub vmbra illius, quem desiderabat; cuius pulchritudo rapit oculum, cuius fragrantiam nares auide attrahunt: cuius vmbra æstum animæ temperat, dum sub ea sedet, & arboris fructu sedens pacate vescitur. Vmbra hæc omnem tentationum feruorem temperat: & dum S.Greg.

*Dicat quisque, quod sentiat, ego aliam caussam non inuenio, quæ illum intrinsecus ita ligatum teneat, vt nec ad modicum quidem exire valeat. Vnum autem scio, quia, quisquis huiusmodi amicæ desiderio flagrat, quanto eam familiarius nouit, tanto amplius amat: & quanto frequentius eius fruitur amplexibus, eo vehementius eius desiderio æstuat. Eius siquidem frequens contubernium solet sane desiderium non minuere, sed augere, & amoris incendium acrius inflammare. Mirum ergo non est cur iste Beniamin tota die, quasi* IN THALAMO *commoratur, qui talis sponsæ dulcedine fruitur; & inter humeros illius* REQVIESCENS, *eius amore iugiter delectatur.*

Concipit Richardus Contemplatorem quasi Beniaminum, adamantem, velut dilectissimam Sponsam Contemplationem diuinam: vt autem illius assiduè frui possit amplexibus habitare in Domino, seu Quiete mystica, tanquam in Thalamo, & nunquam ex illo velle egredi.

At sensus litteralis illius loci aliud etiam suggerit: nimirum, Dominũ habitare in Beniamino atq; in illius humeris requiescere. Ad illũ veniem⁹, aiebat Christus, & mansionẽ apud eũ faciemus. Quod .n. est in Deuteronomio: Quasi in Thalamo tota die morabitur: Chaldæ⁹ legit, *Super eum erit protegens eum omnibus diebus, & in terra eius habitabit maiestas Domini.* Vnde colligitur, quod nominatiuus, verbi, *Morabitur,* & *Requiescet*: non tam sit Beniamin, quam Dominus: quasi dicatur; Beniamin, quia Domino erit dilectus, & vnitus, habitabit confidenter: & Dominus in illo quasi in Thalamo morabitur, & requiescet inter humeros illius.

*Gen. 49. 27. Alcuin. in Gen. Lipomanus Pererius Istella Cornelius Marius Delrius Salianus.*

Quod quidem communiter Interpretes sacri referunt ad Templum Ierosolymitanum & Arcam: extitit enim illud in tribu Beniamin. Quo etiam spectat illa benedictio Genes. 49. *Beniamin lupus rapax mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia.* Quod pertinere ad ædificationẽ Templi in possessione Beniamin, & ad sacrificia, quæ in altari consumebantur, exponit Chaldæus his verbis: Beniamin in terra eius QVIESCET PRÆSENTIA DIVINITATIS, *& in possessione eius ædificabitur Sanctuarium: mane & vespere offerent sacerdotes oblationes; & in tempore vespertino diuident residuum portionum suarum, de reliquis, quæ sanctificata sunt.* Fingitur autem Templum esse *inter humeros* Beniamin: quia in medio tribus: aut, quoniam Ierusalem, quæ erat metropolis Beniamitarum, & Templum in loco editissimo erat velut caput ipsius tribus quod humeris impositum toto corpore eminet, vt exponit R. Salomon.

*Abulensis Dionysius Hugo Caietanus Isidorus. Vatablus Oleaster Sa Pineda lib. 5. de reb.*

V. Quies eadem Mystica optime exprimitur HABITATIONE IN ADIVTORIO ALTISSIMI. An non enim ille suauissime quiescit cui

cui Altissimus Adiutorium suũ tanquã habitaculũ præparat, in quo illum ab omnibus inimicorum incursibus tueatur? Qui habitant in adiutorio Altissimi: Quibus nullibi est firma statio, nisi in Altissimo: quorum conuersatio est in altissimo: qui vbique sunt peregrini, præterquam in caligine cum Altissimo. O! quam illi QVIETI & felices: quia in protectione Dei cæli commorantur.

*Salca. 5. Alia habet Vilalp in Ezech. Par. 1. lib. 1 c. 15. & 16 Psal. 90.*

Quid enim eum turbare, quid ei nocere poterit eorum, quæ sub cęlo sunt, quē Deus cęli protegere, & conseruare voluerit? Porro, sub cælo sũt, quæcũq; nocere possunt. Sub cælo sũt aereæ potestates: sub cælo præsens seculum nequam; & caro aduersum spiritũ concupiscens. Nihil igitur timere potest, eorum, quæ sub cælo sunt, qui protectionem Dei cæli habere meruit. Qualis est in Quiete mystica commorans anima contemplatrix. Quæ tamen diligenter attendat: quod sit in protectione, non in præsentia. Angelus in præsentia eius exultat. Ego, inquit Mysticus, vtinam possim in eius protectione morari. Ille beatus in præsentia, quia & in claritate: ego vtinam in protectione, quia etiamnum in caligine, sim securus. Felix tamen Anima, quę vel hanc protectionem consequitur: & quamuis nondum ad adyta admittatur, vbi videbitur Deus Deorum in Sion, sedet tamen cum Mardochæo ad palatij fores & expectat patienter Salutare Dei: dicitque interim Consolatori suo Susceptor meus es tu.

*S. Ber. ser. 1. in Ps. 90.*

Similes autem Figuræ QVIETIS Mysticæ plures enumerari possent, & sequenti exercit. indicabuntur. Quidquid .n. ad tranquillitatem, pacem, securitatem, opulentiam, ocium, firmam commorationem, & consistentiam; addo, delitias, & voluptates pertinet; quicquid denique ad epulas, conuiuia, cænas, thalamos, accubitus, hortos, vineas, florentes campos, & similia sexcenta, siue in Canticis Canticorum, siue alijs SS. V. T. locis spectat, huc referri potest, sensu, saltem mystico & accommodatitio, qui in Theologia Mystica maxime frequentatur.

Hoc autem eodem sensu, Mysticus Contemplator, quietis amatæ intuitu, scite vocatur *Issachar*, de quo sic vaticinatus est Iacob Patriarcha: *Vidit* REQVIEM, *quod esset bona: & terram, quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum.* Issachar, *Merces* dicitur, illorum symbolum, quorum merces magna nimis, Dominus. qui vident Requiem, quod sit bona: ideoque vnum petunt, & hoc requirunt, vt habitent in domo Domini. Hi optimam partem eligunt, Requiescere ad pedes Domini. Hi quoque terram vident, terram viuentium in cuius sunt confinio, quod sit bona, fertilis, omnibus ad voluptatem abundans: ideo supponunt humerum suum ad laborandum, subiicientes

*Mysticus Issachar Genes. 49. 15.*

*Sedes Deo gratissima*
*Sedata mens, silentio, &*
*Deuota solitudini*
*Nolo foris vagarier,*
*Oculisque simul & auribus*
*Rerum sequi vanissima*
*Domi sedere me iuuat:*
*(Cara domus est, domus optima)*
*Actus procul tumultibus*
*Habitare mecum, & Olympicis*
*Liquescere voluptatibus,*
*Dum sancta lego volumina:*
*Regem, & beatos ordines*
*Dum mentis acie contuor,*
*Et rebus à pereuntibus*
*Illuc abire concitor.*

Iac. Pontan. in Floridis Lib. II. Sponsal.

Porro, quoniam diuersissimis nominibus exprimitur à Mysticis, tum quies, tum vnio illi coniuncta, earumque adfectiones variæ, quarum si habeatur plenior cognitio, plurimum lucis accedet ad naturam contemplationis diuinæ inuestigandum penitiusq; introspiciẽdum. Horum aliquot sequentibus exercitationibus pertractabimus.

---

# EXERCITATIO III.

## *EBRIETAS MYSTICA.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quotuplex sit Ebrietas?

REBRIETATIS multiplex potest esse partitio. vniuerse:&ad rem nostram accommodare, dispescitur in PROPRIAM & METAphoricam. Propria est, *excessus in potando, caussa voluptatis vsque ad violentam vsus rationis priuationem.* Vel: *Violenta rationis interceptio per nimiũ potum caussa voluptatis adsumptum.* Quoniam autem, qui potus excessu rationis vsu destituuntur, agunt & dicunt multa, quæ à rectæ ratio-

*S Tho. S. II q. 150. Caiet. sum. ver. ebrietas. Nauar Enchrid. cap 23. Lessius lib. 4. de Iust. c III dub. 3*

nis præscripto aliena sunt, & insaniam quandam produnt, vt delirare videantur. Nam *videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem iacere conuiuæ: alios scissis vestibus in vulnera aliena proruere: alios clamare: alios dormitare*, vt Hieronymus disserit. Et vt Ambrosius eleganter: *Ebrietas sensus hominum mutat & formas: per hanc fiunt ex hominibus, equi adhinnientes: vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelãt, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt.* Denique, *quia multa ebrij faciunt, quibus sobrij erubescant*, inquit Seneca: vt ebrietatem dicere possis *voluntariam insaniã.* Hinc Ebrietas improprie vocatur omnis istiusmodi operationum quæ insolens quid habent, caussa: siue illa sit excessus amoris, siue alterius alicuius adfectus, siue quidlibet alij. Sicq; appellantur ebrij, qui dicunt aut faciunt ijs similia, quæ à vino madidis patrari solent.

S. Hier. ep. 1. ad Tit. Amb. lib. de El. & ieiu. ca. 16 Sen. ep. 83.

Ebrietas autem propria est corporalis: impropia dici solet spiritualis.

## SECVNDA DISQVSITIO. An Ebrietas aliqua sit bona & laudanda?

RESP. I. Nullam Ebrietatem corpoream si voluntaria sit, qualem descripsimus esse bonam: sed genere suo omnem esse peccatum mortiferũ. Hoc probamus in Scholasticis ex SS[ra] Patrum sensu communi, Doctorum Scholasticorum adprobatione, & argumentis à ratione mutuatis. Neque huc spectat. legatur S. Thomas S. II. q. 150. art. 2. Caietanus, Siluester, Angelus, Fumus & Summistæ alij *verbo, Ebrietas:* aut *Ebrius:* Paulus Comitolus responsorum moralium lib. 5. q. 5. Leonardus Lessius lib. 4. de iust. ca. 111. dub. 111. Gregorius de Valentia tomo 111. disp. 9. q. 111. punct. 2. Ioa. Busæus in Panario *Tit. Ebrietas.*

RESPON. II. Aliquam Ebrietatem metaphoricam, seu spiritualem esse bonam ac laudabilem. Probatur: quoniam actiones illæ, quæ præter, aut contra rationem videntur, à quibus spiritualiter quis ebrius dicitur, oriri possunt à bono principio: vt instinctu Dei, vel excessu adfectus boni; & dirigi ad bonum finem. Itaque ebrietas spiritualis quæ ab his non distinguitur est bona.

TER-

## TERTIA DISQVISITIO. An ebrietatem spiritualem causset dolor de peccatis, & perfecta contritio?

RESPON. Adfirmate. Et hæc est Ebrietas hominum in via purgatiua consistentium. Hominem spiritualiter inebriat timorosa cōtritio, inquit Petrus Berchorius. Sicut enim videmus, quod ebrius titubat, cadit, spumat, faciliter plorat, & sine verecundia se denudat: parietibus innititur, ne corruat. Sic quem contritio facit ebriū, per Dei timorem titubat: per confessionem spumat: per orationem parietibus: id est, sanctis innititur: per humilitatem cadit, & deprimitur: per compunctionem plorat, & desolatur. Adiungit istiusmodi ebrium similem esse Delphino, qui audito tonitru vsque adeo terretur, vt haud secus ac ebrius circumagatur, seseque in profundum maris recipiat, vel capi permittat à piscatoribus. Idem accidit peccatori: audiat ille, & bene percipiat tonitru diuinarum comminationum; concutietur illico, & recipiet se in profundum maris: hoc est, inferni, per considerationem seriam, permittetque se capi ab animarum piscatoribus. Subjungit aliud. Quod quemadmodum panis nigellæ comestus reddit ebrium, sic pœnarum inferni masticationē, quæ fit intellectus meditantis dentibus, inducere ebrietatem hanc spiritualem.

Itaque inculcandum frequenter hominibus in mundo etiamnum versantibus illud Prophetæ: *Expergiscimini ebrÿ, & flete: & vlulate omnes, qui bibitis vinū in dulcedine.* Ioel. 1.5. Inuitandi autē sunt ijdem ad aliam ebrietatem, de qua Isaias: *Obstupescite, & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini, & non à vino: mouemini, & non ab ebrietate*: nimirum, corporali: sed spirituali de qua idem Propheta: *Inebriabo te lachryma mea.* Isa. 19. 9. Isa. 16. 9. Et Dauid: *Visitasti, & inebriasti terram, sana contritiones eius, quia commota est.*

## QVARTA DISQVISITIO. An bonam Ebrietatem spiritualem inducat verbum Dei, & doctrina spiritualis?

RESPONDEO: Adfirmate. Comparatur enim Dei verbum, & doctrina sana vino: quod mentem non secus, ac corpus humor vitis inebriet, & bonis operibus fœcundet. Comparatur etiam imbri, de

Isa. 55.10. quo Isaias: *Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur: sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo.*

## QVINTA DISQVISITIO. An Ebrietatem spiritualem gignat Amor?

RESP. Amorem prauum & detestabilem, generare ebrietatem eiusdem denominationis: Amorem bonum ac cælestem esse causam Ebrietatis similis plane appellationis. Sed fortasse melius, amor ipsa dicetur ebrietas. Est enim excessus priuans vsu rationis, sensum, modum, rationem negligens.

*Est in amore modus, non tenuisse modum.*

Berch. To. III. dict. mor. V. Ebrietas. Populariter Petrus Berchorius. Sicut videmus quod ebrius solet sua liberaliter dare, vestimenta sua abijcere, de illatis injurijs non curare, prælium audacius inire, & in prælio ictus, ac vulnera non sentire. Sic Amor Dei, quando cor inebriat, facit hominem pium, & liberalem, datorem vestimentorum: id est, bonorum temporalium contemptorem: illatas iniurias obliuiscentem: prælium contra vitia aggredientem, & pro Christo illatas injurias non sentientem.

Talem Ebrietatem habuerunt Martyres, qui se sicut homines ebrij absque sensu morti exponebant: nec de illatis vulneribus curabant. Dicetes hos Elephantes qui de industria inebriantur, vt eo cõfidentius prælium ineant. Vere quando amore Dei inebriati fuerint homines tunc prælia mundi & tribulationum alacriter iniuerunt, ac viriliter sustinuerunt.

## SEXTA DISQVISITIO. An Ebrietas spiritualis coniuncta sit contemplationi diuinæ?

RESP. Adfirmate. Est communis sensus Mysticorum. Iterum hic Berchorius. Potus deuotionis & perfectæ contemplationis inebriat hominem, ipsumque facit stupidum & mirantem. In huius typum

Genes. 9. Noe quietis amans & procurator plantauit vineam, bibensque vinum inebriatus est. Et exemplar fuit Anna Samuelis mater, animæ contemplatiuæ: illa autem præ deuotionis feruore fuit æstimata ebria ab Heli sacerdote, qui putans temulentam esse oratricem, dixit

1. Reg. 1.14

ei: *vsq; quo ebria eris, digere paulisper vinum quo mades.* Nõ erat ebria vino: quia vinum, & omne, quod inebriare potest, non biberat: erat tamen ebria spiritu: & ita effundebat animam suam in conspectu Domini.

Notat autem Berchorius, Ebrietatem hanc conuenire vere Contemplatiuis, non ijs qui specie solum externa Contemplantium vultum præferunt, aut mentium, quos Hypocritas vocat, Mimos posset, aut Histriones. Hos vero similes esse ait Lapidi, qui dicitur Dionysias. hunc refert Dioscorides aqua maceratum vinum flagrare; sed, quod mirum, ebrietati resistere. Haud secus illi dictis, & simulatis factis vinũ æternæ voluptatis, ac dulcedinis flagrare, sapere, ac desiderare videntur: sed reuera non nisi fumum habent: nam interius nec Contemplationi, nec diuinarum rerum amori sunt dediti, sed spirituali ebrietati quantum possunt resistunt His dicere possis illud Aggæi: *Bibistis multum, & non estis inebriati.* Non ita vere spirituales, & Mystici, quos monet idem Auctor, vt sint ebrij, dormiendo per deuotionem; diligendo per affectionem; largiendo per compassionem; titubando per contritionem; hauriendo per instructionem. Agg. 1.

Ex his constat, quæ sit Ebrietas Mystica: nimirum, omnis illa spiritualis, quam caussat vel peccatorum consideratio ac dolor peculiaris in Incipientibus: vel diuinum verbum, seu spiritualis instructio, aut diuinorum Mysteriorum consideratio in proficientibus: vel Amor, & Contemplationis quidem excessus in Perfectis. Hæc autem peculiariter est illa, quæ à QVIETE MYSTICA, vel VNIONE non differt. Cuius proprietates, vt magis innotescant, sit

## SEPTIMA DISQVISITIO. An Ebrietatis Mysticæ vna possit nominari caussa princeps?.

RESPONDEO: Posse: Esse autem Spiritum-sanctum. Hic est curator, hic auctor, hic fons huius excessus & ebrietatis: quæ vsque adeò quandoque mentem occupat, eamq; possidet, vt ad exteriora etiam prorumpat, & ebrij putentur ab ignaris non spiritu solum & ebrietate mystica, sed & vino ac ebrietate corporea: ideoque hominibus carnem tantum & sanguinem sapientibus sint ludibrio.

Exemplum illustre est in Apostolis, quos cum inebriasset diuinus spiritus, illique aliena dicere ac facere viderentur: tanta erat spiritualis illius potus abundantia; *stupebant* Iudæi, *& mirabantur ad inuicem dicentes: Quid-nam vult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant:* Actuum. 2. 12. 13.

 Quia

*Quia musto pleni sunt isti.* Qui nam habebant hanc persuasionem, de Apostolis: qui sæpe-numero similem concipiunt de Viris sanctissimis Contemplationi deditis? Gentiles respondet Hilarius, vt est Hymno cantari solito ad Laudes festi Pentecostes:

*Linguis loquuntur omnium*
*Turbæ pauent Gentilium*
*Musto madere deputant*
*Quos Spiritus repleuerat.*

Per Gentiles intelligere potuit Iudæos inter Gentes dispersos: vel Idololatras. Sed an hi soli spiritualiter ebriorum sunt irrisores? Non, non, sed ipsi etiam Israelitæ, populares, domestici: quos exprimit matutinalis eiusdem festi à Gregorio compositus Hymnus.

*Iudæa tunc incredula*
*Vesana toruo spiritu,*
*Ructare musti crapulam.*
*Alumnos Christi concrepat.*

Marci 3.21 Quid mirum? Nam & Christum, *cum audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim: Quoniam in* FVROREM *versus est*: Pharisæos signate existi mat fuisse istos calumniatores Basilius: Oecumenius vero, viliores, plebeios, ac vulgares quosdam homunciones.

Bas. Ser. 1. de Inst. Mona.

Quicumq; tandem fuerint, animales certe fuere, qui non percipiebant ea, quæ sunt spiritus. Nam *qui corporis sunt illecebris deliniti,* vt recte scripsit Olympiodorus, *eorum, qui iustitiæ & spiritui nauant operam, stultam arbitrantur esse conditionem: de quibus dictum est: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.*

Olymp. Iob. 11.4. 1. Cor. 11.14

Porro Apostolos ebrietate mystica alienatos mente, ac sensu fuisse, vereque dici potuisse Ebrios docet V. Beda Actuum interpres, ibidemque Glossator: & Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 17. Hieronymus quoque lib. 1. contra Iouinianum: nec non S. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 5. & egregie S. Augustinus Sermone 185. de Tempor: docens quinam Mystice ebrii censendi sint & plures istiusmodi in Ecclesia Dei reperiri.

Mystice ebrij. Siquidem, *Multi*, inquit, *pro desiderio salutis suæ, parentes, & patriam suam fugiunt, & mortui huic mundo, alios animarũ inquirunt parentes & liberi sub iugum veniunt: & paulo ante elati atq; sublimes, humilia adfectant, superba fastidiunt, & cupiunt esse quod ante despexerant: & odisse incipiũt, quod fuerant: præsentium hospites, futurorũ appetitores, æternam illam patriam contẽpta temporalium falsitate, suspirant: abstinentiam, delitiis: vigilias, dulcibus somnis; paupertatem diuitiis anteponunt: arduum contra vitia laborem, iucundissimam computant voluptatem: dulcescunt eis vilia, & quæ prius fuerant preciosa,* vile-

*vilescunt:diligunt inimicos suos, & benefaciunt his, qui se oderunt: non conuiciantur indignantibus:non irritantur in opprobriis, non franguntur in iniurijs:prorsus horum nihil sentiunt propter feruorem* Spiritus-sancti *& propter æternam retributionem.*

## Octava Disqvisitio. Quæ Mysticæ Ebrietatis caussa proxima?

Respondeo: *Esse* Vinum; *aut* Mustum Mysticum. Est enim hic loquendum ἀναλόγως ad Ebrietatem corpoream, cuius fere caussa vinum vitis. *Musto pleni sunt*, aiebant irrisorie calumniatores. Syrus habet: *Isti mustum, vel, merum biberunt, & inebriati sunt.* Id reuera conueniebat Apostolis, at sensu longe alio. Nam vt bene ibi notat Lorinus: *Ioan.11.3.* non vino veteri, quod in nuptijs Ecclesiæ defecit: sed Musto gratiæ spiritualis repleti erant. Iam enim Vinum nouum *in vtres nouos venerat*, cum Apostoli *non in vetustate litteræ, sed in nouitate Spiritus, Dei magnalia resonarent, introducti in cellam vinariam, & vino inebriati spirituali.*

Quod-nam istud est vinum nouum? Nominat S. Gregorius, & Augustinus, *Feruorem spiritus.* Et subdit Augustinus: *Hoc spirituali mero calebant Martyres, quando abijcientes, & post se iactantes omnia mundi blandimenta ibant ad passiones obliuiscentes facultates, & affectiones, patrimonia, ac matrimonia sua, & vincentes arma tam contra se paruulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes puluerem mittentes in capita sua, & matres facies suas auulsis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam* Ebrii *non videbant, nec cognoscebant suos; quia infuso præcordijs suis Spiritu-Sancto, ad dolores, ad supplicia, tanquam ad consolationes, & ad præmia festinabant.* *Mustum Mysticum Feruor spiritus.*

Eadem autem proprietate, Mustum-Mysticum vocare possis, Gratiæ abundantiam, Amoris diuini exuberantiã, Afflatus cælestes, Instinctus internos, Illustrationes lucidissimas, motiones vehemẽtissimas, vocationes repẽtinas, his enim, & similibus exprimi solet illud, quicquid sit, quo agitãtur, qui tanquã extra se positi, dicunt, & faciũt quæ in hominũ oculos, & sermones incurrunt, & calũniantium ludibriis sunt exposita. Recte autẽ hæc omnia *Musto* cõparantur: quoniã Mustum maxime inebriat propter lubricitatem lentoremque dulcedinis magis penetrantem in cerebrum, vt Oenopolæ norunt, quibus cum sentiebat Albertus Magnus. Mustum etiam non se continet, sed foras prorumpit. hinc illud Eliu Buzitis apud Iobum. *Plura eiusdem denominatio-nis.* *Mustum maxime inebriat.* *Apud Caliũ Rhodig.lib. 28.ca.38.* *Contrariũ sentiunt multi apud eund. ca.37.*

*En venter meus quasi* Mustum *absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit*: nimirum, Mustum in dolio occluso, vel vtre ligato, æstuat, ac fer- *Iob 32.29. 20.*

ac feruet,& egredi tentat,neque enim æstus ille & tumor recentis vini angustias,aut operculũ patitur,vt rectè monuerit Columella,cũ in dolia Mustum infunditur non esse statim operculanda. Haud secus,quem diuini Spiritus gratia inebriat,continere non potest spiritum,quin erumpat verbo,gestu,opere: est enim instar vtris, laguncula,aut dolij,cui si Mustum infundatur, & orificium ligetur, disrumpitur,vt vinum respirare possit Alia id comparatione explicant 70.qui Follem ferrarij producunt,quem constat efflare spiritum quẽ intus habuit. Profani ad idem significandum, Fermentum & Caprificum nominarent. Vt enim Fermentum massam farinaceã turgefacit & dilatat,ita animam feruor intus latens, amoris maxime. Vt etiam Caprificus marmora findit: ita concepti vis amoris pectus hominis disrumpit,vt se tandem prodat. Exempla habemus in Francisco, Ægidio aliisque diuina pati solitis,qui se cohibere non poterant à cursu,vociferatione,plausu, quib. æstum interiorem & Ebrietatis mysticæ impetum testabantur. Quod fecerunt etiam Apostoli spiritu-S.ebrij magnalia Dei eructando: faciunt alij, arcana diuina pandendo,hilares se ac intrepidos exhibendo,sui ac suorum oblitos, atq; hominẽ quodammodo exutos. Iidem,quod Ebrij solent, suauissimo somno,sed Mystico,de quo postea demerguntur: & multis ludibrio cum sint,ipsi non pauciores,sed meliori causa rident.

*Col.lib. 12. cap. 30.*

*Persius satyra 1. Quid didicisse nisi hoc fermentum,& quæ semel intus Innata est rupto iecore exierit Caprificus?*

## NONA DISQVISITIO. Quæ sit inter corpoream ac spiritualem Ebrietatem seu Mysticam differentia?

RESP. Tot esse inter vtramq; discrimina quot sunt effectus, caussæ ac proprietates,quæ alterutri conueniunt: nam in omnibus istis quam maxime differunt. Breuiter: quia vna est vini materialis: altera spiritus-S. vel vini ex illa vite expressi,quæ dicebat: *Ego sum Vitis, vos Palmites*, vt obseruat Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 17. Vbi etiam addit, Mysticam Ebrietatem contrariam esse corporeæ, quod non inducat cognitorum obliuionem: nempe,cælestium: sed etiam ignoratorum notitiam donet, vocatque illam *Sobriam Ebrietatem*. Quo epitheto,& nobis est vtendum,dum cum Ambrosio supplices precamur Deum,vt

Læti bibamus sobriam
EBRIETATEM SPIRITVS.

*Ioa. 15. 5.*

Ad hanc Ebrietatem inuitabat amicos & fratres suos sponsus: *Comedite*

*edite amici*, *& bibite*, *&* INEBRIAMINI *cariſsimi*. LXX. exprimunt, *Cant.5.1.*
*fratres* apud Symmachum eſt ἀδελφίδοι, fratrueles, apud Aquilam ἑταῖροι: *ſodales*: omnibus enim iſtis titulis compellantur Myſtici. Iis autem verbis exiſtimat Abſolon contineri exhortationem ad eximiam quandam deuotionem, quam eandem diximus eſſe cum ebrietate ſpirituali. Itaque, comedite, inquit Sponſus, de fructu bonæ operationis: Bibite de vino compunctionis: Inebriamini de gaudio ſanctæ deuotionis. *Bibite*, inquiunt Tres viri apud Theodoretum, *vos, qui conuerſi eſtis*, *& vitia repuliſtis*, *& virtutem cum pura eruditione exquirentes ad me acceſſiſtis:* Bibite *exterioris diuinitatis vinum cum doli experte fide*, *& ab illis, quæ naturalia ſunt, ad ea, quæ natura præſtãt, eleuamini*. quod proprium eſt Myſticorum.

*Abſolon ſer.41. de dedicat. eccleſ.* *Tres Patres apud Theo.*

Ipſe autem Theodoretus inuitari putat ad bibendum viros perfectos; qui incorruptam ſponſi ſeruant imaginem, & cum eo intime conjungi optant. Monet autem non inuitari niſi ad Ebrietatem bonam, quæ temperantiam, non intemperantiam patit, vtpote de *Vino* manans, in quo non eſt luxuria, ſed, *quod germinat virgines. Hic calix Domini inebrians, quam præclarus eſt?*

Hunc calicem implet diuinus ſpiritus in conuiuio Sapientiæ Myſticæ. Vis igitur manducare vſque ad ſaturitatem vis vſque? ad Ebrietatem bibere? *Veni ad conuiuium ſapientiæ*, inquit Ambroſius. Hæc *inuitat omnes cum magna prædicatione, dicẽs:* Venite, & edite panes meos, & bibite vinum, quod miſcui vobis. *Delectant cantica, quæ epulantem demulceant? Audi hortantem, audi cantantem Eccleſiam, non ſolum in canticis, ſed etiam in Canticis Canticorum:* Manducate proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres mei. *Sed hæc* Ebrietas *ſobrios facit: hæc* Ebrietas *gratiæ, non temulentiæ eſt. Lætitiam generat, non titubantiam.*

*Lib.1.de Cain & Abel. ca.5.* *Prou.9.*

*Bona Ebrietas*, inquit idem Doctor alibi, *quæ ad meliora, atque iucunda facit quendam mentis exceſſum, vt immemor ſolicitudinum animus noſter vino iucunditatis hilararetur. Bona menſæ ſpiritalis* Ebrietas. *Denique* Poculum inebrians quam præclarum! *Sed & alibi habes:* Riuos eius inebria: multiplica generationes eius: *eo, quod* Ebrietas, *terræ cum infuſa fuerit, imbre cæleſti, ſuſcitare ſemina, fructus multiplicare conſueuerit. Itaque, vbi verbum, quod ſicut pluuia deſcendit de cælo, vexas terra noſtra, vel animæ ac mentis noſtræ inebriauit prædicatione diuina, excitauit virtutum ſtudia diuerſarum fructuſque fidei & caſtæ deuotionis adoleuit; merito ei dicitur:* Viſitaſti terram, & inebriaſti eam. *Suſceptione etenim corporis viſitauit, vt ſanaret infirmos, inebriauit gratia ſpirituali, vt anxios jucunditate mulceret.* O bona Ebrietas Myſtica!

*Serm.11.in Pſ.118.§.7.* *Pſ.22.* *Pſ.64.*

# EXERCITATIO IV.

## *HAVSTVS, GVSTVSQVE MYsticus.*

QVIETEM eãdem, & in ea delectationem, suauitatem, dulcedinem, satietatemue (diuersis enim nominib. idem in nostra Schola exprimitur) vocant Mystici HAVSTVM, vel GVSTVM, sed diuersorum respectu. Nam comparatione gloriæ cœlestis haustus dicitur, vel gustus: at comparatione omnis delectationis huius mundi, vt excellere, & excedere multis modis appareat, appellatur Ebrietas.

Richar. de Bmia-Mino. cap. 37. Quarum denominationum discrimina ita pie & suauiter exponit Richardus Victorinus, conferens interiorem cum exteriori dulcedine. Internæ dulcedinis degustationem scriptura-sacra nunc degustationem, nunc ebrietatem vocat, vt, quam sit parua, vel magna ostendat. Parua quidem ad comparationem futuræ plenitudinis: magna autem incomparatione cuiuslibet mundanæ jucunditatis. Præsens etenim spiritualium virorum delectatio futuræ vitæ gaudijs comparata, quantumlibet excrescẽs, inuenitur parua: in cuius comparatione tamen omnis exteriorum delectationum suauitas est nulla.

O dulcedo miranda! dulcedo tam magna, dulcedo tam parua! Quomodò non magna, quæ mundanam omnem excedis? Quomodo non parua, quæ de illa plenitudine vix stillam modicam decerpis. Modicum quidem de tanto felicitatis pelago mentib. instillas, mentem tamen, quam infundis plene INEBRIAS. Merito tantillum de tanto GVSTVS quidem dicitur: merito nihilominus, quæ mentem à seipsa alienat, EBRIETAS nominatur. GVSTVS ergo est, & EBRIETAS iure dici potest. Gustate, inquit Propheta, & videte, quoniam suauis est Dominus. Et Apostolus Petrus: Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. Et de ebrietate idem Propheta: Visitasti terram, & inebriasti eam. Audi hominem hac ebrietate madentem, & quid circa se agatur omnino ignorantem. Siue in corpore, inquit, siue extra corpus, nescio, DEVS scit. Quomodo, putas, inebriatus erat: quomodo mundus ei in obliuionem venerat, qui seipsum nesciebat?

EXER-

# EXERCITATIO V.

## RVCTVS MYSTICVS.

OPiparam epulationem, & ebrietatem comitari solet RVCTVS, aut consequi. Quæ vox in sacris est Mystica, & abditam habet significationem, exprimens optime ebrietatis mysticæ effectum: pro ea etiam nonnunquam vsurpatur: & alia quædam indicat, quæ eum quiete, & vnione diuina sunt connexa.

Quorundam enim in quietis contemplatione existentium mẽs tanta illustrationum diuinarum copia impletur, vt dum in gemitus, vel lætitiæ signa prorumpunt, aut in verba adfectum testificantia, non tam loqui, quam ex plenitudine quadam dulcedinis diuinæ, ac reuelationum cælestium eructare videantur, ac dicere possint verissime *eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Quo pacto *Psal. 44. 2.* Dauidem ex persona sua loqui docet apud Athanasium de sententia Dionysij ipse Dionysius Alexandrinus & Hilarius in Psalm. 118. in id: *Eructabunt labia mea hymnum.* Sensus autem est, cor animusque tantis *Ps. 118. 171* scatent & redundant quasi dapibus diuinis jucundissimis, atque suauissimis de paruulo Emmanuele ac Rege meo Messia, vt illa cogat eloqui, ac veluti effundere. Sic copia cibi, vel potus grauatus stomachus nec amplius continere se valens ructus effundit. Porro vt eructationis mysticæ ratio percipiatur

OBSERVO. Ructum ex plenitudine vel abundantia ciborum prouenire. Est autem cibus animi diuinorum sensus, adfectus, deuotio, spiritualis doctrina, & reuelatio, quibus tanquam adipe & pinguedine repletur anima. *Ps. 62. 6.* Hic dum abundat in corde, intellectu, & voluntate oritur ructus spiritualis mysticorum verborum cælestium. Notat autem S. Chrysostomus Homil. 11. in psal. L. spiritualia sensa differre ab escis carnalibus, quod hæ temporis tractu corrumpantur, illa fragrantiam suam reddere, nunquam intermittant, virtutem vero eructent, proximumque voluptate afficiant. Et hoc, ait idẽ Doctor Homilia in id Zachariæ 6. *Ecce vir oriens*: quod Christus dixit Matth. 12. 35. quia bonus homo de thesauro cordis sui profert bona.

Siquidem vt optime dicit S. Hieronymus: Iuxta qualitatem ciborum è stomacho ructus erumpit & boni, vel mali odoris flatus indicium est: ita interioris hominis cogitationes verba proferunt, & ex abundantia cordis os loquitur. Hinc verba ipsa, hominum experi-

 men-

2.Cor.13.3. menta vocari possunt, dicente Apostolo: *An experimentum quæritis*
Pro.15.3. *eius, qui in me loquuitur Christus?* Quo facit illud Prouerbiorum 15. *Os stultorum ebulliet* (quid hoc est aliud, quam *eructabit*? vel scaturiet, tanquam è fonte) *stultitiam*. prodit enim quod intus latet. Effigies animi, ait Seneca, sermo est. Sic contemplator comedens, replensque animam suam, cum diuinis afflatibus, sacrisque doctrinis fuerit satiatus, de boni cordis thesauro profert ea, quæ bona sunt.

*Eructatio ex cordis affectu.* Cogit autem ad ructum mysticum inflammatus ergà Deum ac diuina affectus. Ita Bernardus docet optimus spiritualium Magister. Habent, inquit, suas voces affectus, per quas se ét cũ nolunt, prodũt: timor videlicet meticulosus, dolor gemebundus, amor jucundus. Nunquid dolentium planctus, mærentiumque singultus vel gemitus, percussorum: itemque pauentium subitas & efferatas clamitationes, seu etiam saturatorum Ructus aut vsus creat, aut ratio excitat, aut deliberatio ordinat, aut præmeditatio format? Eiuscemodi certum est, non nutu prodire animi, sed erumpere motu. Sic flagrans ac vehemẽs amor, præsertim diuinus, cũ se intra se cohibere nõ valet, nõ attendit quo ordine, qua lege, quaue serie, seu paucitate verborũ ebulliat, dummodo ex hoc nullum sui sentiet detrimentũ interdum, nec verba requirit, interdum nec voces omnino vllas solis adhoc cõtẽtus suspirijs. Inde est, quod sponsa sancto amore flagrans, idq; incredibili modo, sane pro captanda quantula cumq; euaporatione ardoris, quẽ patitur, nõ considerat, quid, qualiter eloquatur, sed quicquid in buccam venerit, amore vrgente non enunciat, sed eructat.

*Sponsa ructus ex plenitudine.* Quid ni eructet sic refecta, & sic repleta? Quę repleuerat in bonis desideriũ suum, quid mirum, si ructũ potius, quã verbũ facit? Et si verbũ tibi fecisse videtur, eructatũ puta, & non subordinatũ aut pręordinatum. Nec enim sponsa rapinã arbitratur aptare sibi Prophetæ dictum: Eructauit cor meum verbum bonum, quippe eodem repleta spiritu. Dicit: Dilectus meus mihi & ego illi. Nihil consequentiæ habet, deest orationi. Quid inde? Ructus est. Quid tu in ructu quæris orationem, iuncturas, solennia dictionum? Quas tu tuo ructui leges imponis vel regulas? Non recipit tuam moderationem, non à te cõpositionem expectat, non commoditatem, non opportunitatem requirit: per se ex intimis, non solum, cum non vis, sed & cum nescis, erumpit, euulsus potius quam emissus.

*Odoratus ructus sponsæ.* Tamen odorem portat ructus, quandoque bonum quandoq; malum, pro vasorum à quibus ascendit contrarijs qualitatibus. De-
Luc.6. nique bonus homo de bono thesauro suo profert bonum, & malus malum. Bonum vas sponsa Domini mei, & bonus mihi odor ex illa.

Gra-

Gratias Tibi ago Domine IESV, qui me dignatus es admittere saltem ad odorandum. Ita Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. Mihi, fateor, bene redolet Ructus Dilectæ meæ, & de plenitudine eius, quamuis modicum quid gratanter accipio. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructat mihi, & nescio quid ineffabile tuæ dignationis & amoris odoratus sum in voce ista: Dilectus meus mihi & ego illi. Ipsa, vt dignum est, epuletur, & exultet in conspectu tuo, & delectetur in lætitia. Veruntamen sic tibi excedat, vt sobria sit nobis. Ipsa ergo repleatur in bonis domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potetur. Sed quæso, perueniet ad me pauperem vel tenuis odor eructante illa, cum satiata fuerit. *Matth. 15* *Ps. 144.* *Ps. 67.*

Bene mihi eructauit Moses, & bonus odor in Ructu eius creantis potentiæ: In principio, inquit, creauit Deus cælum, & terram. Bene Isaias: Nam suauissimum redimentis misericordiæ odorem dedit, ita eructans: Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit, vt non perirent. Quid æque misericordiam redolet? Bonus quoque ex ore Ieremiæ Ructus: bonus ex Dauid, qui ait; Eructauit cor meum verbum bonum. Repleti sunt omnes spiritu-sancto & eructantes omnia impleuerunt bonitate. Ructum Ieremiæ requiritis? non sum oblitus: iam parabam illum: Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. Eius est (non fallor) admouete naribus: balsamum vincit suauitas remunerantis Iustitiæ, quam importat. Patientem pro Iustitia vult me expectare mercedem in posterum, non recipere in præsenti. *Varij Ructus probo-rum.* *Isa. 53.* *Thren. 3.*

Sic Dauid, Expectans expectaui Dominum. Ipse est quartus de numero prænominatorum Ructatorum meorum. Ipse os suum aperuit, & attraxit spiritum, & saturatus, non modo eructauit, sed & cantauit. IESV bone quandam meis auribus, & naribus iste infudit suauitatē in Ructu, & cantu suo de oleo lætitiæ, quo vnxit TE DEVS, DEVS tuus, præ consortibus tuis. In illa hora replebitur gaudio os meum, & lingua mea exultatione, dum singulos non dico Psalmos, sed versus, singulos sentiam ructus, & quidem odoriferos super omnia aromata. *Ps. 39.*

Quid Ioannis Ructu fragrantius, qui Verbi mihi redolet æternitatem, generationem, diuinitatem? Quid de Pauli Ructibus loquar, quanta orbem suauitate repleuerint? Denique Christi bonus odor erat in omni loco. Verba certe ineffabilia & si non profert, vt

audiam,offert tamen,vt cupiam,& libeat odorari, quæ audire non licet. Hæc Bernardus. Addatur

Suauissimus Ructus fuit Verbi à Patre ructati,de quo est illud: Aperiam in parabolis os meum:eructabo abscōdita à constitutione mundi. Quod est idem cum illo Psal.77. Aperiam in parabolis os meum,loquar propositiones ab initio: hoc est proferam sententias, quæ fuerunt absconditæ,& abdita quædam sensa, quæ latuerunt ab initio mundi. Quamuis enim mysteria,& sacramenta Christi, statim à mundo condito prædicta, atque adumbrata fuerint,tamen velis quibusdam ænigmatum obuoluta fuerunt & paucissimis apertę reuelata. Quocirca à Paulo vocantur inuestigabiles diuitiæ: & sacramenta abscondita à seculis in Deo. Proprie autem dixit Matthæus, *Eructabo:* quoniam vox Hebraica Psalmo 77. *abigah* אביעה non significat loqui quocumque modo,sed ebullire,profundere, ex imo corde proferre. Quod aptissime vocabulo eructandi exprimitur.

*Psal.77.2.* *Ephes.3.9*

Fingebant olim Eruditi Homerum veluti ebrium ab ore carmina profundentem, ac vomitantem: inde reliquos Poetas veluti vasis suis colligentes. Accommodaret hoc fortasse Philologus vel Christo, vel Dauidi arcana diuinorū mysteriorum promentem. Sed profanitatis huic symbolo inesset aliquid:non illi quod sequitur, & desumptum est ex libro Prouerbiorum:vbi Salomon effata sua appellat, *Congregantis, filij vomentis,* & visionem,quam loquitus sit vir, cum quo esset Deus,& qui Deo secum morante confortatus esset. Quæ periphrasim continent hominis mystice ructantis. Congregat Mysticus multam sapientiam,quæ à Patre luminum desiderantibus offerri solet:estque filius vomentis,nempe Christi,qui se Ructatorem fatetur,facilemque ad vomitum,quem Ructus solet præcedere. Filius etiam vomentis: id est, Spiritus-Sancti,qui per sibi singulariter nexos multa,magnaque,tanquam ex viuente vena, & scaturiente semper fonte profundit. Verus Mysticus ex pectore,corde,mente,ore cum impetu quodam & continente fluxu celeritate, & copia admirabili non eructat solum,sed & spiritualiter vomit.

*Ælian.lib.13.variar.ca.22.* *Rhodig.lib.21.c.44.* *Prouerb.30.1.*

In Ructatorum spiritualium numerum merito referendi sunt illi,quos spiritu-sancto recepto,plenosque diuinis charismatibus vesani musto plenos dictitabant.

*Iudæa tunc incredula*
*Vesana toruo spiritu*
*Ructare musti crapulam*
*Alumnos Christi concrepat.*

Si suauiter ructare velis,qui ad Mysticen erudiris imitandus tibi est

bi est Rex Dauid dulcissimus Ructator: à quo curatum fuisse monet Bernardus Sermone 18. in Cantica, vt prius impleretur, quam eructaret, ne pro salubri eructatione, inanem, turpemque oscitationem produceret. Dicit Dauid, ait, Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum: infundi nimirum prius volens, & sic effundi: nec solum infundi prius, sed & impleri, quatenus de plenitudine eructaret, non oscitaret de inanitate. Caute quidem, ne quod aliis est remissio, sibi esset tribulatio. Et nihilominus caste imitans illum, de cuius plenitudine omnes accepimus. Addit deinde salutare monitum, vt & nos si velimus inter sacros Eructatores esse accenseri, prius infundamur, & impleamur, vt de plenitudine eructemus, non autem oscitemus de inanitate: prius adipe, & pinguedine repleamur, quã labiis exultationis laudet os nostrũ. *Ps.161.* *11.Cor.8.* *Ps.61.6.*

Quo loco vir diuinus distinguit inter illos, qui ructant, & oscitant. Eos ructare docet, qui pleni diuino spiritu doctrina & sensibus spiritualibus aliquid ex abundantia cordis per os deriuant: oscitare, qui quum sint vasa vacua nihil habent, neque doctrinæ cælitus haustæ, neque humanitus adquisitæ, neque aliunde emendicatæ, inani autem verborum sono strepitum illi similem edunt qui de inanitate, clare ac sonore osc tat: Doctores, antequam auditores: Magistri antequam discipuli. Qui tantæ sunt caritatis (inquit) ironicῶs Bernardus, vt ante effundere, quam infundi velint, loqui, quam audire paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt, & aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Hi oscitare dicuntur: recte, Oscitare enim est, præ somno, tædio, ignauia os cito aperire, & commouere, ac vacuitatis potius, quam plenitudinis est index. *Oscitantes à Ructantibus diuersi.*

Vt autem hortatur Bernardus ad mysticam eructationem, ita ab oscitatione deterret. Rem proximi, inquit, retines tibi: si V.C. plenus virtutibus cum sis, forisque nihilominus donis scientiæ, & eloquentiæ adornatus, metu forte aut segnitie, aut minus discreta humilitate, verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, imo & damnabili ligas silentio, certe maledictus, qui frumenta abscondis in populis. Talis qui est, opus Dei negligenter, oscitanter, & oscitabunde, proprij quam communis boni amantior peragit. At væ illi, qui opus Dei facit negligenter. *Deuter.15.*

Sed aliam quoque oscitationem adiungit Bernardus. Quod tuum est, inquit, spargis, & perdis, si prius, quam infundaris, tu totus semiplenus festines effundere, contra legem arans in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondens. Nimirum, vita atque salute quam alteri das, te fraudas dum sana vacuus intentione, gloriæ inanis

nis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & lethali apostemate turgens interis. Quamobrem, si sapis, concham te exhibeas, & non canalem. Hic siquidem simul pene & recipit, & refundit: illa vero donec impleatur, expectat, & sic, quod superabūdat sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam facit deteriorem. Verum, canales hodie multos habemus in Ecclesia, conchas perpaucas.

Tales non eructant ex plenitudine, quam intra se ad concoquendum habent, sed tantum oscitant, quod cum crebro fit, vitium contrahunt vel, vt loquimur, habitum, qui Oscedo dicitur, quo quis sæpius oscitat. Est illorum, qui, cum dicendum est aliquid ad commune bonum, nulla facta præparatione, nulla præmissa, vel rerum, vel dispositionis cogitatione, rationū momentis minime pēsitatis, securi iudiciorum, iudicumque, de auditoribus minime soliciti, prout in buccā venit, effundūt vel effutiūt quidlibet homines ignaui, somnicolosi, oscitantes. A quibus titulis cauendum Mystico Oratori, cui nō patrocinaretur, iteratis actibus genita consuetudo. Est enim hæc oscedo voluntaria: nam naturalis excusationem meretur.

Gell. lib. 4 cap. 20. Eleganter Gellius. Deliberatum de nota eius, qui ad censores ab amico aduocatus est, & in iure stans, clare nimis & sonore oscitauit, atque inibi prope, vt plecteretur, fuit, tanquam illud indicium vagi animi foret, & hallucinantis, & fluxæ, atque apertæ securitatis. Sed cum ille deierasset, inuitissimum sese, & repugnantem, oscitatione victum tenerique eo vitio, quod Oscedo appellatur, tum notæ iam destinatæ exemptus est. Non valet isthæc excusatio in spiritualiter oscitantibus, temq; diuin . n negligenter peragentibus. Quot tamen tales numerare possemus? Quam multos audire contingit, quicum ex officio eructare deberent verbum bonum, id est, iucundum, lætum, suaue, vtile, honestum, faustum, vno vocabulo, εὐαγγέλιον, de iis tamen pronunciare necesse est, Oscitant. Quod Cicero de Epicuro proferebat: Epicurus oscitans hallucinatus est, pluribus hoc tempore indoctis, atque ignauis conuenit. Sed istam dormientem & oscitantem sapientiam, sectariorum Magistris, quibus non vacat, cum in re familiari curanda distineantur, spiritualibus diuinisque rebus intendere concedamus. Sed ad spiritualem Ructum iterum deuoluatur oratio.

lib. 1. de Nat Deor.

Pro. 29. Habet hoc ructus peculiare, quod eo non omnia, quæ intus sunt effundantur. *Stultus profert totum spiritum suum simul:* retinet multa sibi vir spiritualis, quæ minime efferenda iudicat, Dauidis approbans consilium, quem Psalmorum interpres egregius existimat vsum vocabu-

cabulo eructandi Psalmo 44. vt ostenderet se non omnia, quæ Deo reuelāte cognorat in eo carmine expressisse, sed modicum quid protulisse ex magna plenitudine. Ructus enim est quidem signum repletionis, sed exiguus flatus ab illa repletione foras erumpens. Non eructat igitur stultus, qui profert totum spiritum suum simul: eructat sapiens, qui vt ibidem addit Salomon, reseruat in posterum. Multa habet ructator spiritualis, quæ non licet homini loqui, vt dicere cogatur, quod Isaias, secretum meum mihi. Sic qui à Deo diuinitus illuminantur, & à Spiritu S. implentur fateri solent, se non habere voces, quibus abdita pectoris prodant. Idcirco fortasse dictum à Dauide eructauit cor meum verbum bonum, ἐυαγγέλιον, non verba bona in numero multitudinis. *Bellarm.* *Isa. 24.*

Quamobrem salutaris est Bernardi obseruatio, eructandum esse viro spirituali ex abundantia, ac plenitudine. Disce, inquit, & tu nonnisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitetur fontem. Non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusiorem. Denique ipse fons vitæ plenus in seipso, & plenus seipso, nonne primum quidem ebulliens, & saliens in proxima secreta cælorum, omnia impleuit bonitate, & tunc demum impletis secretioribus superioribusque partibus erupit ad terras, ac ille superfluo homines & jumenta saluauit, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam DEVS. Prius interna repleuit, & sic exundans in multis miserationibus suis visitauit terram, & inebriauit eam, multiplicauit locupletare eam. Ergo & tu fac similiter. Implere prius, & sic curato effundere. Benigna prudensque caritas affluere consueuit nō effluere. Fili mi ne perfluas, inquit Salomon. Et Apostolus ad Hebræos: Propterea debemus intendere his, quæ dicuntur: ne forte pereffluamus. Quid enim? Tune Paulo sanctior, sapientior Salomone?

AT quę causa, vt ex plenitudine ventriculi os eructet? Ea ex vocis quae ructatio Hebræis exprimitur, vi atque potestate elici potest. Itaque sic habeto. Vox Hebręa רחש Rachas, quam interpres psalmo 44. vertit *eructauit*, ibi solum reperitur: illius autem significatio optime intelligitur ex simili vocabulo מרחשת marchesetz quod in Leuitico vertitur craticula: alij putant esse sartaginem, aut frixorium, nēpe vas ferreum in quo farinacea frigi oleo solent. Finge igitur cor hominis diuina pati soliti instar craticulæ, aut frixorij, rerum altissimarum cogitationibus tanquam farinaceis quibusdam libis plenissimi. Subijci huic patellæ caritatis ignem, ardentem quidem pro vitæ *Hiero. Oleaster. Leuit. 11. Forster Pagninus*

Ccc huius

*Marinus Pineda reb. salo. libr. 5. cap. 4. Lorin in Psal. 44.*

huius modulo, sed non tam potentem, vt hisce plene concoquendis, maturandisque sit sufficiens: inijci vero desuper vnctionis spiritualis oleum, animaduertes affectus varios commoueri, prorumpere laudandi desiderium, ebullire gratitudinis impetus, lætitiæ motus excitari, contemplationes altissimas quasi subsilire, non sine oris muginatione ac sibilo. Tum præterea internus eiusdem cordis & caritatis calor concepta mysteria confouens, & non satis vincens cogitatio, bullas ac flatus excitat. Inde spiritualis eructatio, & sibilans spiritus, per os, ac vocem. Hinc illæ exclamationes. Exaltabo te DEVS meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Generatio, & generatio laudabunt opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ ERVCTABVNT, & iustitia tua exultabunt.

*Psal. 144.*

QVOD itaque ex stomacho est cibi RVCTVS hoc est ex cordis cogitatione ac feruore vox iubilationis & laudis. Duæ quippe viæ sunt, altera ad stomachum per quam ructus, altera ad cor per quam vox ac verbum. RVCTVS inquit Basilius, est occultus quidam flatus, qui ex feruore alimenti erumpentibus bullis exhalat, & D. Hieronymus: Est digestio cibi, & concoctarum escarum in ventum efflatio. Porro cor concipiendum est, tanquã animæ ventriculus, & ventrem pro corde sumi ostendimus alibi.

*Epist. 140. Tit. comparat. medic verbi cum ructu.*

Ingens profecto est diuinorum mysteriorum, ac mysticorum sensuum, suauitatumque internarum magnitudo: est escarum spiritualium validissima substantia, quam non satis decoquere potest, vllius, licet sapientissimi, ac sanctissimi, siue corculi, siue ventriculi calor: neque potest satis sua exiguitate continere, quin ad vocem, per oris eructationem redundent, vt sic ex abundantia cordis os loquatur.

*Matth. 12. 34.*

Hic discrimen obseruo, quod est inter hominem vere mysticum & spiritualem, ac carnalem, & in rebus diuinis socordem: quod ille tanquam feruentissimi cordis eructet verba bona: hic nullum boni verbi ructum emittat. An in hoc fortasse simile quid ei quod in corpore accidit? vt enim docet Galenus de symptomatum causis lib. III. cap. 2. In animalibus neque in caloris summa imbecillitate, nec cum idem nimium est vehemens: sed in ijs, qui inter hos sunt flatibus flatuosum excrementum gignitur. Ita sane, refrigescente nimium caritate, & in summa caloris cælestis infirmitate imbecillitateque nullum bonum verbum à frigidis hominibus eructari audias: à feruentibus vero, & Mystices diuinæ gnaris, quam plurima. Nullus enim tantus

*Frigidum & tepidum cor nil boni eructat.*

tus

tus feruor, ardorue pectoris, dum in hoc medio mortalitatis statu sumus, reperitur, qui sublimium mysteriorum magnitudini par esse possit.

ERVCTANT autem Mystici, quod non satis decoquunt, aut capiunt, mysteria maxima quæ musti instar sunt in mentis stomacho, quod cum concoquitur ructum excitat, qui per os difflatur. Sic Iudæi existimabant Apostolos eructare musti crapulam. Sed in musto errabãt: mustum quidem eructabant Apostoli, sed non illud, quod vesana gens opinabatur. Musto pleni erant discipuli, quo & Mystici abũdãt, qui cum ẽt alacritate, & gaudio spirituali diffluant, eructant verbum bonum, id est, iucundum, lætum, ei simile, quo bene pasti potiq; sunt.

Dicit illorum quilibet, conceptum sermonem tenere quis poterit? Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. En venter meus, quasi mustum, absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Sentit, quod Ieremias, qui, factus est, aiebat in corde meo, quasi ignis exæstuans, claususque (id est) retentus in ossibus meis & defeci ferre non sustinens. Loquitur idem, vt parturiens. Non potest tenere conceptum sermonem vi erumpentem, & impetu, ac nisi eructatione difflet, coarctabit illum spiritus vteri, & laborabit difficili, molestaq; empnenmatosi: ideo eructat, loquitur, ac respirat paululum, spiritumq; edit suauissimum, ac dulcissimum sibilum. Eructãt labia eius hymnum: memoriam abundantia suauitatis eructat. *Iob. 4. 2.* *Ier. 19.* *Is. 42. 14.* *Gal. lib. 1. de symp. caus.*

PIA est illa S. Hieronymi obseruatio perpendentis odorem bonum, qui est in ructu spirituali hominis diuinis epulis pasti in mensa Eucharistica: Vitulus, inquit, saginatus, qui ad pœnitẽtis immolatur salutem ipse Saluator est, cuius cotidie carne pascimur, cruore potamur. Fidelis mecum Lector intelligis, qua pinguedine saturati in ructum laudis eius erumpimus, dicentes: Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. *Epist. 146. & in cap. 60. Isa.*

Suauissime sane ructus illi esse debent, qui ex plena saturitate Dominici corporis, ac sanguinis erumpunt: si verum est, quod idem Hieronymus docet, & experientia satis constat, ex qualitate ciborũ, & iuxta illam è stomacho ructum erumpere. Eundem Patrem & Magistrum nostrum, si audimus, Eucharistiam absque condemnatione nostri, & pungente conscientia semper accipere possumus, ac Psalmistam audire dicentem: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus & cum eo canere eructauit cor meum verbum bonum. *Epist. 18. ad Luciniũ* *Psal 33. 9.*

Est alia causa cur ructus mysticis conueniat quam ex S. Hilario sumo. Hic in psal. 118. dum exponit illud, eructabunt labia, monet, eloquium Dauidis eructandi vocabulo exprimi. Quoniam omnis sermo

hominum, ex sensu cogitationis initur, ac motu, vbi ad aliquid enunciandum mota est mens nostra, nam quod in adfectum inciderit, per verba declaratur. At vero, vbi extra humanæ mentis instinctum, non ad animæ sententiam lingua famulatur, sed per ineuntem spiritum, officio oris nostri diuinus sensus sermo diffunditur, illic eructatū videtur esse, quod dicitur, cū nō ante cogitatione, motuq; percepto, ad id quod pulsa est mens loquatur: sed ignorante sensu spiritus vocem in verba distinguat. Aguntur spiritu mystici, qua filij Dei, quid mirum quod spiritus in ijs vocem in verba distinguat.

Thomas Aquinas, illos in oratione eructare docet, qui non solis labijs honorant Deum. Qui enim solis labijs orant, oscitant; non ructant: ructant vero, qui psallunt spiritu, ac mente, quod proprium est Mysticorum. Orandus Deus cordis nostri, vt sentientes, quam multa figmenta pariat cor humanum nihil ex ijs figmentis pro solido vero eructemus.

*Isa. 29. 13. 1. Cor. 14. 15*

Quod est Psal. 44. *Eructauit*, LXX. Interpretes legunt ἐξηρεύξατο, verbum cuius significatio fontem aut scaturiginem designat. Quod egregie Mysticis conuenit: fluit enim ex corde, ac deinde ore ipsorum verbum bonum tanquam ex fonte perenissimo, ac viua scaturigine. Ad hanc tractationem hortabatur suos S. Bernardus sermone de Aquæductu in natiuitate B. V. Mariæ. Curandum nobis est, aiebat, summopere, ne verbum, quod de ore Patris ad nos egressum est, virgine mediante, vacuum reuertatur; sed per eandem nihilominus virginem gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriam, donec præsentiam suspiramus, & suæ reddantur origini, fluenta gratiæ, vt vberius fluant.

Vtinam tales RVCTATORES essent, quicumque populum siue ex superiori loco docent, & Concionatores vocantur; siue cum ijs aut in confessionis tribunali agunt, aut alibi ad pietatem instituunt, vt vere quilibet ex ijs vsurpare posset, eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi; quo laudaret sermonem suum, secundum interpretationem Hugonis, *Primo*, à plenitudine sapientiæ: quod indicat verbum eructandi, quasi de pleno, vt ex abundantia cordis os loquatur. *Secundo*, ab interiori sapore; quod indicatur, per τὸ, *Cor meum*: Illi soli de Deo suauiter loqui nouerunt, inquit Gregorius, qui cum totis cordis visceribus amare didicerunt. *Tertio*, à fidelitate sermonis: Verbum bonum, non fabulas, non falsa, non vana: vt dicere possint: Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur: *Quarto*, à cōformitate operis, & sermonis. Dico ego opera mea Regi.
id est,

id est, illa, quæ dico, facio, & illa, quæ facio, prædico, ne dicatur mihi: Qui prædicas non furandum, furaris. Loquentis auctoritas perditur, inquit Gregorius, cum vox opere non adiuuatur. Vnde Romanorum 15. Nihil audeo loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. *Quinto* à bona intentione. Quod insinuat vocula *Regi*: nempe ad honorem Regis. In Doctrinis glorificate Dominum ait Isaias. *Sexto*, à spiritus diuini dictamine: vt sit lingua eius calamus scribæ: loquatur non à se ipso, sed à spiritu inhabitante, dictante, ac scribente in corde dicentis æque, ac audientis. Septimo, à celeritate: *velociter scribentis*. Nimirum, spiritus-sanctus, non paullatim & cum mora infundit gratiam, sicut adquiritur scientia per longum studium, sed subito. Nescit tarda molimina Spiritus-S. gratia. *Rom. 15.* *Isa. 24.*

Tandem, nec illud omittendum: Ructum, qui ex cibo corporali caussatur, indicium esse cruditatis: at, qui à cibo spirituali, potius esse bonæ concoctionis, bonæque Contemplationis, ac meditationis. Sic Paulus eructabat vbique Christum, quo plenus erat: Christi bonus odor sumus, aiebat confidenter: nimirum olemus, quem manducamus, quem bibimus, quem meditatione, & contemplatione concoquimus. *II. Cor. II. 15.*

---

# EXERCITATIO VI.

## *SABBATISMUS MYSTICUS.*

ITA etiam QVIETEM illam suam celebratissimam exprimunt Mystici: accommodate equidem. Sumitur enim id vocabulum à Paulo Apostolo pro vacatione iucundissima ab omni opere, quod molestiam possit parere, Et *Sabbatum*, idem est, quod Quies. Exodi 20:10. *Septimo die Sabbatum est.* Leuitici 19. 39. *Die octauo erit sabbatum*, Deuter. 5. 14. *Septimus dies Sabbati est.* Hinc *Sabbatizare*, quiescere ab opere, vacare, ociari. Ex. 16. 30. *Sabbatizauit populus die septimo.* Leuitici 25. 2. *Sabbatizes sabbatum Domino.* Ibidem ver. 4. *Septimo anno Sabbatum erit terræ.* Quod exponitur per adiuncta: *requietionis Domini* 5. *agrum non seres, & vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus, non metes: & vuas primitiarum tuarum non colliges, quasi vindemiam, annus enim requietionis terræ est.* *Heb. 4. 9.*

Iam vero dicitur quidem agere Sabbatū, qui cessat à peccatis, quę eatenus perpetrauit, vt notat S. Gregorius Homil. 6. in Ezechiel

& perpetuum seruare sabbatum, qui spe futuri omnia bona operatur: tamen illa magis proprie sabbatizare censetur, & mysticum sabbatum agere, qui spiritualibus tantum vacat, & totum se Contemplationi addicit. Atque ita Sabbatum est Quies vitæ contemplatiuæ: quæ est *Sabbatum* illud *delicatum*, quod prædicat Isaias: vere *Sabbatum requietionis*: in quo perfectissime cessatur ab omni opere seruili, & vacatur tantum officiis filiorum: laudaturque Deus & honoratur: ac sacrificium Deo gratissimum, spiritus contribulatus in ara cordis, ac in igne & feruore cordis offertur. Ita S. Bernardus in Dedicatoria Epistolæ ad fratres de Monte Dei quæ tota est de vita Contemplatiua, precatur solitariis quibus eam scribit SABBATVM DELICATVM: vitiosi in meo Codice est: *Dedicatum*.

*Isa 58.13.*

Hoc autem *Sabbatum* non conuenire nisi Perfectis, qui diu se in virtutum solidarum muneribus exercuerint, probat S. Augustinus ingeniose, ex eo: quod Deus initio mundi conditi non sabbatizauerit, nisi peracto operum præclarissimorum orbe. Postquam enim compleuit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, requieuit die septimo Et *ipse quidem*, vt disputat Augustinus, *nunquam ista Requie caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit. Hinc etiam significans, non percipi* Requiem *suam nisi à* Perfectis, *cum ad eam imitandam non deputauit diem, nisi qui perfectionem rerum omnium sequebatur.* Itaque Quies Dei in die septima, Augustini sensu, figura fuit, vel documentum potius, vacationis mysticæ ab omni opere, quod mentem à coniunctione intima cum Deo possit distrahere.

*Genes. II. 2.*

*lib. IV. de Genes. ad litt. ca. 15.*

Quod perfecte consequitur post labores innumeros, in Mystica Quiete Contemplator. In hac enim anima à vitiis depurata sabbatizat, & inenarrabili tranquillitate fruitur: in eo loco agens, vbi neque perturbationum ventis agitatur, neq; tentationũ insultibus concutitur, neq; aduersantium stimulis inquietatur. *O quam bene & optime tunc est anima amorosa*, inquit Carthusianus, *quam serena, quam iucunda, quam calíformia ac tranquilla sunt omnia tunc in ea! Vbi tunc nebula vitiorum? turbines passionum? inuolutiones phantasmatum? varietates distractionũ? inquietudo tentationum? Nonne à præsentia solis iustitiæ, à conspectu & ardore, atque fulgore solis Sapientiæ fugiunt omnia illa?*

*D. Car. De fon. Lucis art. 17.*

EXER-

# EXERCITATIO VII.

## QVIETIS MYSTICÆ ADFINIA significata.

QVoniam Requies est cessatio à labore, secundum huius differentiam, illius sumitur diuisio. Mysticorum partitio est in triplicem, quam habet Michael Ayguanus in Psalmum 94. Prima dici potest Requies Iustorum: secunda, Requies Contemplatiuorum: Tertia, Requies Beatorum. Prima est contra laborem culpæ: secunda contra laborem vitæ actiuæ: Tertia contra laborem omnis miseriæ. Secunda & Tertia primam supponit. Ad tertiam perueniri potest sine secunda modo præcesserit prima. Secunda tamen typus est tertiæ: & hæc finis tum secundæ, tum primæ.

Prima vocatur Requies Iustorum. Mali enim in peccatis versantes, nunquam habent Requiem. Superbus semper cum ambitione contendit: auarus cum diuitiis: iracundus cum vindictæ cupiditate: lasciuus cum voluptate: vnde Gregorius: Rarum valde est, vt qui aurum possident ad Requiem tendant, cum per semetipsum veritas dicat: Difficile, qui pecuniam habent, intrabunt in regnum cælorum. Nam, qui hic multiplicandis diuitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? Quod tamen vt Redemptor N. valde ratum, & ex solo diuino miraculo euenire posse monstraret: Apud homines, inquit, hoc est impossibile, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Sed Boni & Iusti in conscientia sua Requiem habent, qui se ipsos sanctificāt Deo Exodi 16. Requies Sabbati sanctificatio est Domino. *lib. 4. Mor. ca. 2.* *Luc. 18.* *Mat. 10.*

Secunda Requies dicitur Contemplatiuorum. Actiui enim sollicitudinibus intenti huius seculi Requiem habere non possunt. At veri pauperes, qui vitam contemplatiuam eligunt: veram Requiē cordis habent. Quoniam, vt inquit Gregorius, Mira securitas cordis est, aliena nō quærere, sed vniuscuiusq; diei sufficientia contentū manere Ex qua etiam securitate perennis Requies nascitur: quia à bona, & tranquilla cogitatione ad gaudia æterna transitur. E contra Reprobi & hic fatigantur in desideriis, & illic in tormentis: eisque de labore cogitationis labor doloris nascitur, dum ab æstu auaritiæ trahun- *lib. 15. Mor. ca. 12.*

huntur ad ignem gehennæ. Et quia Contemplatiuus quilibet in solo Deo requiescit, ideo dicit: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.*

*Psal.4.*

Tertia est Requies Beatorum ceterarum finis, & complementum. Vera enim, & omnibus absoluta numeris Requies in hac vita haberi non potest, vbi in quocumque statu abundant labores, ac miseriæ; sed solum in patria, vbi est status bonorum omnium aggregatione perfectus. De hac Requie est illud Iobi 36. Requies mensæ tuæ erit plena pinguedine. Huius mensæ epulas desiderabat Propheta, cum diceret: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Huius mensæ pocula sitiebat; dicens: *Sitiuit anima mea ad* Deum *fortem, viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* De hac etiam Requie dicitur Isaiæ 32. *Sedebit populus meus in* Requie *opulenta.* Et Apocalypsis 14. 13. promittitur morientibus in Domino hæc Requies à laboribus suis.

*Greg. lib. 26. Mor. cap. 32.* *Psal. 16.* *Ps. 41.* *Isa. 32. 18.* *Apoc. 14. 13*

*Iesus Requies. Iosue, Dux ad Requiem.*

Ad hanc Requiem ipsemet dux & via est, qui & Requies, Dominus Iesus, cuius typus, fuit Iosue, introducens populum in Requie terræ promissæ, vt Mystice philosophantur Patres, ex nominis analogia cum Iosue: Clemens Alexandrinus, in Protreptico, D. Chrysostomus Hom. 22. in Epist. ad Ephes. Rupertus lib. 1. in Num. cap. 37. & lib. 1. in Iosue cap. 1. Origenes lib. 1. & 11. in Iosue. D. Augustinus Sermone 15. de Temp. Theodoretus in Iosue cap. 1. aliique non pauci. Elegantissime autem Auctor Op. Imperfecti Requiem dicit esse Christum ipsum, in quo quiescat, & sabbatizet, qui ocietur ab vniuerso opere mundi, non diligens illum, neque ea quæ in ipso sunt vt est 1. Ioan. 11. 15.

Est enim reuera Requies illa terræ promissæ figura Quietis illius vltimæ, quam in patria expectamus: & Sabbatum huius vitæ, alterius Sabbatismi, nempe cælestis: vt fuse declarat Paulus Apostolus Capite 3. & 4. Epist. ad Hebræos: monens sedulo, vt timeamus, ne propter incredulitatem excludamur, ac repudiatum Euangelium, adeoque bonum nuncium, ac promissionem, quam promissa illa, & tot votis expetita terra præfigurabat. Exstimulans etiam fideles ad quos tunc scribebat, & in ijs, nos omnes, vt festinemus ingredi in eandem Requiem, multo meliorem REQVIE SABBATI, quod colebatur in memoriam peractæ creationis: & REQVIE TERRÆ PROMISSÆ: quoniam etiam nunc hodie promittitur alia REQVIES ijsdem Prophetæ Regij verbis post tantum temporis, quo, qui tūc crediderunt in REQVIEM illius terræ sunt ingressi.

Nemo autem desperet, se peruenturum ad felicissimam illam *Requiem:* maxime, si QVIETIS MYSTICÆ sit cultor. Addicit enim suam fidem Deus, argumentans quasi, in nostri gratiam, ex comparatione

tione minorum & maiorum, apud Ieremiam Prophetam: *Inuenit gratiam in deserto populus, qui remanserat à gladio: vadit ad* requiem *suã Israel*: hoc est, vt exponunt Paraphrastes Chaldæus, Nicolaus Lyranus, Richelius, Vatablus, Isidorus, Clarius, & Ch. Castrius: Populus ille, qui euaserat in deserto ex communi strage, inuenit gratiam apud DEVM, qui dux præibat cum columna nubis, & ignis, vt requiescere illum faceret in terra, quam patribus eius promiserat: & non inueniet eandem gratiam populus fidelis ductorem DEI FILIVM CHRISTVM sequens, qui introducat eum in terram viuentium Ecclesiæ, æternæque felicitatis in REQVIEM æternitatis? Ier. 31. 2.

Eandem REQVIEM gentibus promittit Esdras, admirandam illius jucunditatem innuens. *Ego Esdras*, inquit, *præceptum accepi à Domino in monte Oreb, vt irem ad Israel, ad quos cum venirem, reprobauerunt me, & respuerunt mandatum Domini. Ideoque vobis dico, Gentes, quæ auditis, & intelligitis: Expectate Pastorem vestrum*, REQVIEM ÆTERNITATIS *dabit vobis: quoniam in proximo est ille, qui in fine seculi adueniet. Parati estote ad præmia Regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite vmbram seculi huius: accipite jucunditatem gloriæ vestræ. Ego testor palam Saluatorem meum. Commendatum donum accipite, & iucundamini, gratias agentes ei, qui vos ad cælestia regna vocauit.* Lib. 4. Esd. 11. 33. & seq.

Aspirant omnes ad hanc requiem Mystici, & quamuis in illa sua quiete tranquillissime agant, ad vlteriorem tamen quotidie anhelantes, dicunt frequenter animæ suæ: *Conuertere anima mea in requiem tuam*. Et, *in omnibus* requiem *quæsiui*: sed, quia non inueni: *in hereditate Domini morabor. Hæc* Requies *mea in seculum seculi.* Ps. 114. 7. Eccl. 24. 11 Ps. 131. 14.

---

# EXERCITATIO VIII.

## *EFFECTVS QVIETIS MYSTICÆ.*

NE QVIES Mysticorum, iners ocium putetur, quemadmodum ab ignaris arcanæ sapientiæ traducitur, fructus adferamus, quos in ea colligunt spiritualis contemplationis Mystę. Multos sparsim recenset S. Mater Teresa in vita, Dei instinctu, vel jussu, à se scripta, à cap. 14. & sequentibus, vbi agit de oratione Quietis: seligam potiores.

*Hic magna adquiritur Humilitas*, inquit Teresa. Vere ita est: idemque obseruant alij vitæ Mysticæ cultores: qui adiungunt, humilita- S. Teresa lib. 5. ca. 14

Ddd tem

tem hanc non tam esse speculatiuam, quam practicam. Nam in quiete, anima, velut ad portam palatij cælestis considens, aut jacens, cum Lazaro, vlceribus defœdata, deijcit se profundissime, ac omnium vilissimam, & despectissimam se judicat. Quæ humilitatis species depingitur scitissime à Diodoco, postquam egit de humilitate illa, quæ ex consideratione propriæ imbecillitatis oritur, aut tentationum vehementia, & in ijs succumbendi periculo.

*Diodo, cap. 95.*

*Humilitas quasi naturalis.*

Cum mens, inquit, à sancta gratia in multo sensu & plenitudine illustratur, tunc anima veluti naturalem habet humilitatem: facta enim plenior, & quasi pinguior per diuinam gratiam, non potest amplius tumore cupiditatis gloriæ efferri, quamuis perpetuò mandata Dei perficiat: quin potius, inferiorem se omnibus ducit, propter submissionis suæ, & diuinæ modestiæ communionem. Est autem illa quidem prior humilitas, vt plurimum, in dolore, & mæstitia; hæc vero in lætitia, cum pudore quodam prudentissimo.

*Alu to. III lib 5. par. III. cap 4.*

*Cap. 14.*

Sed quamobrem vsque adeo in quiete Mystica humiliatur anima. Quia, *hic*, ait Aluarezius, *anima à* DEO *quasi atteritur, & annihilatur, vt vilissime de se sentiat.* Respõdere possis, sensu matris Teresæ: Agnosce hic carissime animam, dignationem maximam Dei, suam vero ingratitudinem summam: hinc demissionis infimæ adfectus. *Possibilene est, ô Domine*, inquit feruentissima illa oratrix, *vt inueniatur, anima, quæ eo peruenit, vt agnoscat fauorem, & amorem, quo cum ea remanere gaudes, denuo te offendere audeat? & nihilominus tanti amoris distractionem suffers, vt quotidie per experientiam videmus. Certum est, quod huiusmodi inueniantur:* nimirum, ingrati: *sicut ego non semel, sed sæpius: faxit tua summa bonitas, vt ego sola sim ingrata, & per illa, quæ tanta commisi mala summã, & excessiuã demonstrauerim ingratitudinem: licet per tuam infinitam bonitatem ex eo etiam bonum elegeris: nam quanto maius est malum, tanto magis misericordia tua respondet bonum. Hinc non sine ratione cum Propheta cantare possum:* Misericordias Domini in æternum cantabo.

*Fiducia in Deum.*

Cum hac humilitate conjuncta est insignis quædam confidentia, fructus huius quietis plane eximius. Cum enim animaduertit, quasi per experientiam se tantæ miserationis, benignitatis, & familiaritatis indignissimam, ideoque vilissime de se sentit, perpendens maxime etiam ingratitudinem suam: incitatur, vt omnem spem suam in liberalissimo Deo reponat: illi fidat, ab illo maiora expectet.

*Contemptus terrenarum rerum.*

Vt autem citius & abundantius desiderata percipiat, tædet illam rerum humanarum. Contemnit opes, honores, delitias corporis, & quicquid ad sensuum spectat delectationem. In quiete mystica, *incipit statim*, inquit Mater Teresa, *perdere desiderium rerum terrenarum*

*tum (pro quo non potest satis Deo gratias agere) clare videndo, quod ne per vnicum quidem momentum istius satietatis gustus alibi haberi possit. Nec sunt diuitiæ, nec dominium, nec honor, aut delectamentum in hac vita, quæ sufficiant ad explicandum hunc* gustum, *quia est vera* satietas: qua in quiete fruitur, cum terrenis satiari non possit.

Nec contemnendus est fructus quietis mysticæ, quod animam faciat, quamdiu in ea commoratur, quadantenus immobilem, & inuulnerabilem. Non enim habetur quies nisi in altissimo quodam loco, vt concipere possis regionem, supra tertiam aeris, quo ventorum flabra non perueniunt, nec jaculantium tela, non magis quam ad solem sagittariorum jacula. O anima quietis cultrix! habitas in adiutorio altissimi: in protectione Dei cœli commoraris. Dicas Domino: susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in Te: Quoniam ipse liberabis me de laqueo venantium, & à verbo aspero: Scapulis tuis obumbrabis mihi: & sub pennis tuis sperabo. Scuto circumdabit me veritas tua: non timebo à timore nocturno: à sagitta volante in die: à negocio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano. Tu es, Domine spes mea, altissimum posuisti refugium meum.

In hoc refugio animam delitescentem concipiunt Mystici à propinquitate lucis illius inaccessibilis, quam contemplatur assidue, vel contemplari conatur, accendi: in eaque ardere amorem, tanquam ignem in fornace: vnde erumpens peruadit omnes partes, inflammat voluntatem, adurit appetitum, ambedit adfectum, cor penetrat, ad corpus ipsum peruenit: in quo sæpe languor, lapsus, deliquium, & febriles quidam paroxysmi. Hinc ex imo pectore deprompta desideriorum suspiria: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 11. 5

VBI sum & vbi es amor meus? Langueo. vbi es languoris vnica medela mei. Langueo. quid mihi cum aceto, aqua vino? non reuocatur anima liquoribus, nisi teipsum felici metamorphosi.

# COMMENTATIO VI.
# VNIO MYSTICA.

QVÆ hactenus disputata sunt, ea tendunt vniuersa, vt animam contemplationi addictam ad vnionem perducant: qua nihil est

in Mystica Theologia arcanius: nihil magis Mystico in opta
in ea nucleus & medulla Theologiæ Mysticæ censeatur con
Quocirca, quam fieri poterit accuratissime, vnionis huius na
conditiones declarandæ sunt.

---

# EXERCITATIO I.

## *VNIONVM VARIA GENERA*, *sticam* antecedentium, vel comitantium. Vnio secundum locum.

### PRIMA DISQVISITIO. Quid Vnionis no intelligatur?

RESP. VOX VNIO apud Grammaticos aliquando est nome quando verbum, quod coniungere, copulare, nectere, & e bus, aut pluribus vnum facere, significat. Itaque, si accipiatu nostra, vt verbum, PRIMO denotat actionem aliquam, *per* qua templantis mens abdito quodam modo cum Deo ipso nectitu etiam dici potest *Vnitio:* siue Vnio in fieri, vt loquuntur Philo SECVNDO: si vnio ponatur, vt nomen, designat vnionem in fa se, siquidem aliquid aliud hic interueniat, quam actualis vnitio quam mens contemplatrix manet Deo coniuncta: atque ita v ratio quædam media, Modum appellant Scholæ, per quam an Deus dicuntur esse inter se vnita. TERTIO: Vnionis nomine i git Theologus relationem aliquam realem accidentalem, per inter sese referuntur anima & Deus quatenus vnita sunt, & quid faciunt. Quæ relatio, siue habitudo, aut comparatio, vel ctus cum resultet ex vnione facta, tanquam fundamento, nece illam præsupponit. Sed de Vnione primo, & secundo modo ac est tota pene disceptatio. Nec enim facile est discernere, qu nione contemplatiui Deo vniantur, quam, qua fideles ceteri D ri & iusti eidem dum orationi insistunt, vel meditationi rerum narum eidem spiritualiter copulantur.

Quocirca non defuerunt etiam ætate nostra (quos PROTER-VOS THEOLOGOS vocat Thomas à IESV) qui existimarent, adeo cele-

celebratam à Mysticis vnionem, tem esse ab iisdem excogitatam, ac confictam, nullo ex scripturæ diuinæ siue N. siue V. T. testimonio satis idoneo comprobatam. Addit idem paullo ante nominatus: *Vnde hi, qui Theologorum nomine inaniter gloriantur, Mysticorum doctrinam in hac parte, tanquam vanam, ac ineptam, seu potius, phantasticam irridere solent.* vere-ne an falso clarescet ex iis quæ de Vnione Mystica disputari solita ad normam Theologicam exigemus. Sit igitur *Tho. à Iesu lib. 4. de Orat. diuina cap. 7.*

## SECVNDA DISQVISITIO. An inter Deum & Animam sit Vnio, quo ad locum: seu, Vnio Præsentiæ?

RESPONDEO: Adfirmate. Declaro. Vnio præsentiæ dicitur nexus duorum, vel plurium quoad locum, ita vt sint simul, ac sibi maxime præsentes in vno aliquo spacio, siue vero, siue imaginario. Ita autem se habent Deus & Anima. Sunt ergo vnitæ, vnione præsentiæ, seu loci.

Fundamentum huius Vnionis est IMMENSITAS Dei, quæ concipi potest, vt quantitas quædam virtualis, vel magnitudo non habens terminum, ideoque Infinita: quæ ita Deum afficiat, vt per ipsam coexistat præsens omni loco, & rebus omnibus in loco existẽtibus: ita vt sit totus in toto, & totus in qualibet parte loci, à quo non excludat præsentiam vllius alterius rei. Habet itaque Deus per Immensitatem suam, ad res omnes quæ existunt Omni-præsentiam actualem, ac intimam: vt bene dixerit Regius Propheta. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, Tu illic es: si descẽdero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextra tua.* Nullibi enim potest constitui creatura, vbi à Deo sit loco disiunctus. *Excelsior enim cælo est: & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari.* Id de se Deus profitetur fortasse contra dubitantios aliquos; *Nunquid non cælum & terram ego impleo?* Nos autem profitemur omnes cum Apostolo: *Vnus DEVS, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* *Psal. 138.* *Iob. 11.* *Ier. 23.* *Ad Eph. 4.*

Acute scripsit Athenagoras Oratione pro Christianis: *Deus est ingenitus, & omnia quæ ipsius sunt: mundum vero ita excedit, vt impleat vndequa-*

*de quaque. Quicquid supra ipsum est: nec locum vllum se vacuum relinquat.*

S.Greg.lib. 11. Moral. cap.12. Non minus eleganter Magnus Papa Gregorius. *Ipse manet intra omnia, & extra omnia: ipse supra omnia, & infra omnia: superior per potentiam, inferior per sustentationem: exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens: extra circumdans, interius penetrans: nec alia parte superior, alia inferior: aut alia parte exterior, alia interior: sed vnus & idem totus vbique præsidendo sustinens, & sustinendo præsidens: circumdando penetrans, penetrando circumdans.*

Isid.lib.1. de Sum. Bono ca.2. Quod imitatus Isidorus, monet Immensitatem diuinæ magnitudinis ita esse concipiendam, *vt intelligamus* Deum *intra omnia, sed nō inclusum: extra omnia, sed non exclusum: & ideo interiorem, vt omnia contineat: ideo exteriorem, vt in circumscripta magnitudinis suæ maiestate omnia concludat.*

Porro, ratione Immensitatis & Omni-præsentiæ Diuinitas per suam essentiā peruadit omnia, & intime est coniuncta omnibus: implet enim cælum & terram: perfectius sane, quam lumen vel cælos, vel aerem, quibus per se est præsens. Expressit hanc intimam coniunctionem Paulus per inhabitationem: sic enim intelligo illud

Act.17.28. Actuum 17. *Non longe est ab vnoquoque nostrûm: in ipso enim viuimus, & mo-*

Isa.10.6. 12. *uemur & sumus.* Quomodo *In ipso*? Non solum tanquam in causa efficiente, sumendo *In*, pro *Per*: quoniam *omnia opera in nobis operatur* Do-

Ioa. 15.5. minus: Et, omnia in omnibus, sine quo nihil possumus: à quo omnem

II.Corin.3. 5. sufficientiam habemus: Sed etiam tanquam in continente, receptaculo, domicilio, sede, fundo, ac basi, nos complectente, conseruante,

Lib.de Bono Mor. c. vlt. sustinente. Quam vim voculæ illius agnouit Ambrosius, dicens: Nos moueri in Deo, tanquam in via: esse quasi in veritate: viuere, quasi in vita æterna. Et quoniam, vbi est præsens Diuinitas, ibi sunt tres Diui-

S.Cyprian. lib.de Bap. Christi. næ personæ, idem ad tres illas refert S. Cyprianus, scribitque quod in patre sumus: in Filio viuimus: in spiritu S. mouemur & proficimus.

Lib.14.de Trin. cap. 12. Augustinus autem ad totam Trinitatem refert, quoniam *ex Deo, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Alij Domicilium etiam imaginantur, &

Rom.11.36 fundum firmissimum, vt loquitur Dionysius lib. de diuinis Nominibus cap.1.&10.

Perfectissime igitur præsens est Deus Animæ: idque per Essentiam, Potentiam, Præsentiam. Per *Essentiam* quidem, quia ipsius essentia & substantia existit in anima, sicut in omnibus rebus, cum indistantia ab illis, seu immediata præsentialitate; quod vel Profanis notum fuit: è quibus non-nemo,

Virg.lib.6. Æneid. *Spiritus intus alit totamque infusa per artus*

*Mens*

*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*
Alter
*Est* Deus *in nobis, agitante calescimus illo.* *Ouid.*

Per *Potentiam* vero, quia in illa præsentialiter agit, illam gubernat, conseruat, moderatur: in illa vim virtutemq; suam & dominatus, ac iurisdictionis signa edit. Tandem per *Præsentiam*, seu, vt alij loquũtur, per *Inspectionem*, quia est in illa per notitiam intuitiuam: in conspectu illius anima versatur: habet illam, velut obiectum suæ perspicacissimæ visionis: illam clarissime semper absque vllo velo, vel obscuritate intuetur. Ex quibus liquet, esse inter Deum ac Animam intimam, quoad locum vnionem. Sed iam est

## TERTIA DISQVISITIO. An hæc vnio sit illa Mystica, quam inquirimus?

RESP. Nequaquam. Ratio est euidens: quia hæc vnio est communis omnibus, etiam inanimatis: nec enim esse potest res vlla in rerum natura, quæ hanc cum Deo coniunctionem non habeat. Vnio autem Mystica est peculiaris certis quibusdam naturis intellectualibus aliis multis dotibus insignite ornatis.

## QVARTA DISQVISITIO. Ad quid confert Mystico Localis cum Diuinitate vnio?

RESPONDEO: Conferre ad multa. *Primo:* vt contempletur Deum in anima sua, & rebus omnibus aliis non tantum vt in effectu, vel vestigio, aut imagine: sed etiam vt ibi existentem realiter ac substantialiter: absconditum tamen, & veluti latentem post tabulam, aut vt in theatro fieri solet, post siparium. Quid est enim anima aliud, quid res creatæ cæteræ, quam cortina, vel carbasinum tegumentum, quod inter intellectus oculum perspicacem & Deum obtenditur: si amoueatur, Deum ipsum quantum fas in vita mortali, spectabimus.

*Secundo:* vt contempletur Animã & res omnes in Deo ipso, qui intime singula penetrat, & omnia circumdat. Hæc est Contemplatio Augustini commodissima ad vsum Mysticorum. Dic cum illo. Constituebam in conspectu spiritus mei vniuersam creaturam, quicquid in ea cernere possumus, sicuti est terra, & mare, & aer, & sidera, *Aug. lib. 7. Conf. c. 5.*

& ar-

& arbores,& animalia mortalia,& quicquid in ea non videmus, sicut firmamentum cæli,insuper & omnes Angelos , & cuncta spiritalia eius,sed etiam ipsa quasi corpora essent locis & locis ordinauit imaginatio mea : & feci vnam massam grandem distinctam generibus corporum Creaturam tuam,siue,quæ vera corpora erant,siue, quæ ipse pro spiritibus finxeram:& eam feci grandem,non quantum erat, quod scire non poteram,sed quantum libuit vndique versum sane finitam. Te autem Domine ex omni parte ambientem eam , & penetrantem,sed vsquequaque infinitum.tanquam si mare esset vbique, & vndique per immensum infinitum solum mare: & haberet intra se spongiam quamlibet magnam,sed finitam tamen ;plena esset vndique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari : sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam & dicebam. Ecce Deus,& ecce,qui creauit Deus,& bonus est Deus,atque his validissime, longissimeque præstantior,sed tamen bonus bona creauit, & ecce quomodo ambit,ac implet ea?

Est itaque anima tua,imo,mundus vniuersus in Deo sicut exilis spongia in vniuerso mari. Aut,vt globus vitreus in lumine solis, si totum lumen globum penetret,& ambiat.

*Tertio:* Vt Deum semper præsentem ante oculos habeat: illi reuerentiam deferat:cum illo familiariter agat:in conspectu eius semper ambulet,sicque ad perfectionem contendat. Quo pacto ad Mysticam vnionem disponitur.

*Quarto:* Vt cogitationes per tot sparsas creaturarum diuersoria,colligat,nec euagari sinat,cogitans, quod quicquid alibi reperitur,domi suæ habeat,atque inibi quiete possidere possit.

*Quinto:* Vt adfectus in se excitet Admirationis , Gaudij Fiduciæ. Non admiretur tantam summi cum imo:infiniti cum finito,maximi cum minimo coniunctionem?Non gaudeat, quod Deum opt. Max.tres Personas diuinas,& quicquid perfectionum est in immenso illo omnis perfectionis mari inter se contineat?Non concipiat ingentem fiduciam ex intima Auxiliatoris sui præsentia:quem non tantum animam suam penetrantem,& sustentantem,sed & circumdantem intueatur?

*Sexto:* Ex vnione Essentiæ,Potentiæ,Inspectionis, colligit nunquam se posse abesse,ab illo,quem semper intime præsentem , vt sic dicam,circumfert:& nisi assidue substantifico Dei influxu foueatur, conseruetur,sustentetur,fore vt in nihilum recidat.

EXER-

# EXERCITATIO II.

## *VNIO GRATIÆ SANCTIFICANtis: seu gratum facientis.*

### PRIMA DISQVISITIO. Vtrum anima vniatur Deo per gratiam sanctificantem?

RESPOND. Dubitari non posse. Cum enim anima ante gratiæ sanctificantis, seu iustificantis communicationem censeatur esse lõge à Deo eo modo, quo peccatores omnes recedunt ab eo tanquam à patre, domino, benefactore: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & DEVM vestrum*, Isaiæ 59, 2. *A Domino recesserunt* Sap. III, 10. Post acceptam autem gratiam, qua purgãtur à peccato, fint coniuncti Deo atque adeo vniti, vt vere dicantur diuinæ consortes naturæ, vt Petrus loquitur: non coniunguntur autem nisi per donum illud, quo peccati macula deletur, & in filiorum album referuntur, quod gratia dicitur, non potest hæc non esse vinculum, aut gluten illud quod arctissimam hanc vnionem causat. Epist. II. cap. I. 4.

Atque ita nonnunquam de gratia loquuntur Patres. Insignis est locus Eusebij Emisseni, seu potius Cæsarij Arelatensis, sermone, cuius *Titulus*: De corpore Domini, & inscribitur: sermo quintus de Paschate: vbi primo disiunctionem inter Deum ac hominẽ per peccatum: postea vero consociationem, & arctissimam inter eosdem coniunctionem describit. *Te ipsum*, inquit, *qui iam es renouatus interroga, dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via, intrinsecus mortuus, exulabas. Subito initiatus Christi legibus & salutaribus mysteriis innouatus in corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transisti: & de filio perditionis, adoptiuus Dei fieri, occulta puritate meruisti.* Clarius S. Hieronymus, qui adhæsionem cum Deo nominat, quæ fiat per gratiam: sic enim scribit Commentario Epistolæ ad Philemonem: *Cum in spiritu Gratia fuerit, totum facit hominem spiritualem, vt & caro spiritui seruiat, & anima non vincatur à carne, & redacta simul in substantiam spiritualem* ADHÆREANT *Domino: quia, qui adhæret Domino vnus spiritus est.* Clarissime etiam Irenæus nominat commixtionem, & vnionem cum plasmate, quam gratia operatur. Habet enim se gratia in nobis, sicut Vnio hypostatica in Christo. Quemadmodum enim vnione illa admi- Irenæ. lib. 5 cap. 6.

Eee randa,

randa, copulabatur humanitas hypostasi verbi diuini, & consequenter, diuinitati; vnde ille homo, erat filius Dei naturalis: ita in nobis, per gratiam, tanquam vinculum, vnitur anima diuinitati, & sic, per participationem naturæ diuinæ, dicimur, & sumus vere filij Dei, adoptiui tamen: quoniam non est inter naturam nostram, & subsistentiam diuinam, aut eius naturam, vnio substantialis, vt in Christo, sed solum accidentalis.

Est igitur gratia, qua emaculatur anima à peccatis, & in Dei amicitiam restituitur, nexus ac vinculum, quo vnitur Deo.

## SECVNDA DISQVISITIO. An gratia suapte natura, & vi entitatis suæ physicæ, ac perfectionis, quatenus est talis qualitas, vniat Deo animam?

*Richard. in III. dist. 31. art. 1. q. 1. Scot. 4. d. 16 q. 2. § respondeo. Recentiores atque Thomas à Iesu de or. di. li. 4. ca 4.*

R. Disputatur de hoc in Scholasticis: in quibus, quod hic indicandum solum est, reiecimus illorum opinionem, qui docent gratiam id habere ex libera Dei ordinatione, quam dicunt esse quidem naturæ illius consentaneam & formæ illi connaturalem, tamen per diuinam potentiam posse ab illa separari, & sic in eodem subiecto gratiam, ac peccatum consistere. Quemadmodnm calori conuenit constituere calidum: atq; adeo petit, vt post introductionem ipsius frigus destruatur per subtractionem influxus Dei illud conseruantis, licet contrarium possit contingere.

*Conc. Trid Sess. 6. c. 7.*

At longe verius est, ac decretis Concilij Tridentini magis conforme: Gratiam, qua homines iustificantur, esse per se contrariam peccato, adeo vt nullo pacto cum illo possit consistere: eo quod sit omnimoda, & formalis inter gratiam & peccatum contrarietas: ac consequenter, gratiam esse totalem hominis sanctitatem, sine alio dono, vel fauore aut ordinatione superaddita. Quoniam forma, quæ est talis naturæ, vt esse nequeat cum morali macula peccati, non indiget alia volitione libera, vt peccatum deleat: sed postulat tantum illam Dei liberam voluntatem per quam producatur in anima. Ex quo sequitur: Gratiæ inesse vim vniendi Deo animam ex entitate sua: quia secundum entitatem suam est vera iustitia, ac sanctitas, quæ hominem reddit iustum sanctumq;: & facit naturę diuinę consortem.

Quod insinuat Petrus epist. II. cap. 1. 4. *Per quem maxima, & preciosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Nimirū per Christū Deus donauit nobis *preciosa promissa*, τίμια καὶ μέγιστα: pre-

*pretiosa & maxima*: id est, res promissas: nempe verbi diuini Incarnationem, Sacramenta, & Mysteria Religionis, per quæ consequimur gratiam, qua iustificamur. Per hæc autem dona efficimur diuinæ consortes naturæ: id est, participamus diuinam naturam, sicut filij à patre adoptante. Hæc autem participatio diuinę naturæ formaliter fit per donum gratiæ sanctificantis, in hac vita: in altera vero, per Beatitudinem, quæ & ipsa est intima cum Deo coniunctio.

## TERTIA DISQVISITIO. An tam arcta per gratiam inter hominem & diuinitatem causetur vnio, vt si diuinitas per suam immensitatem non esset intime nobis præsens, eam tamē gratia præsentem sisteret?

RESPOND. Id quodam sensu posse asseri. Probatur per gratiam Deus in nobis habitat. Ioan. 14. 23. *Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quod de aduentu Patris & mansione per gratiam in animis hominum tam consentienter intelligunt antiqui expositores vt neget Maldonatus se inuenisse auctorem grauem, qui de alio id interpretetur. Atque ita videntur Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus vterque, Theodorus Leontius, Beda, Theophylactus & Euthymius intellexisse. Ergo etiamsi Deus non esset in anima per immensitatem, esset tamen ibi per gratiam: manere enim non potest, vbi non est. Huc spectant illa loca in quibus Spiritus Sanctus dicitur esse in nobis: aut diffusus in cordibus nostris, hoc enim non accidit per immensitatem per quam est in omnibus rebus, sed per donum illud supernaturale, quod gratiam dicimus.

## QVARTA DISQVISITIO. An vnio per gratiam ita secum trahat naturam diuinam, eamque nobis præsentem, & inhabitantem faciat, vt & si ipsa non esset immensa & vbique, tamen eam nobis intima secundum substantiam pręsentem sisteret?

ITa adfirmat è recentioribus nonnemo: & rationem dat: Quia *vnio Dei, quæ fit per gratiam, nō est solum vnio per adfectū, & amorem, vt quidam*

Thomas à Iesu lib. 4. de orat. diuina ca. 4.

*imaginantur: Sed est Vnio per naturæ communicationem, & inhabitationem Spiritus. Atqui non possunt dici filij Dei, & participes diuinæ naturæ, si ipsa non sit in nobis: sed procul à nobis separata. Hinc Spiritus S. dicitur nobis dari in iustificatione, & ipse* DEVS *ad nos venire, & in nobis manere.*

RESPONDEO: Negatiue. Moueor, I. Quia inter hæreses Michaelis Serueti numeratur essentiæ diuinæ in homines transfusio: ad quod impie abutebatur sententia superius recitata Petri: *Per quem maxima & preciosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Contra quem dum disputant Theologi, docent non aliter participari ipsammet essentiam diuinam, quam per infusa dona. Atq; ita diffunditur in cordibus nostris, dum iustificamur, Spiritus S. sic venit ad nos Pater & Christus: nec aliter habitant in nobis.

Tract. de sacr. Bapt.

II. Quando Theologi disserunt contra Hæreticos de gratia gratum faciente, docent, illam esse qualitatem quandam diuinam, vt loquitur Catechismus Concilij Tridentini, per modum habitus in homine permanentem: & vtuntur ad id comprobandum, ijs SS^{ræ} locis, in quibus agitur de Spiritu S. in hominib. permanente: quia idem esse putant, Spiritum S. esse in nobis, ac eius gratiam qua homines à peccatis mundat, & sanctificat. Exempli causa. Ioannis 4. inquit Christus, *Aqua, quam ego dabo ei, fict in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Per fontem hunc intelligunt Doctores Spiritum S. per gratiam inhabitantem, siue gratiam à Spiritu S. inhabitãte diffusam. Quod colligunt imprimis ex ca. 7. Ioh. vbi cũ dixisset Christus: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* Subiunxit Euãgelista: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Tũ etiam ex Patribus, qui ista loca communiter exponunt de Spiritu S.

Lib. 1. de grat. cap. 4 §. Secundo.

siue de gratia eius viuificante. Porro hæc duo, vt bene obseruat Bellarminus in idem recidunt: cuius rationem adsignat: Quia Spiritus S. non inhabitat nisi per effectum aliquem creatum: id est, per gratiam, & caritatẽ: neq; caritas & gratia sine Spiritu S. inhabitãte esse possit.

III. Si Vnio per gratiam adduceret ipsam Dei substantiam quam animæ coniungit. Ergo constitueret compositum aliquod supernaturale: atque ita diuinitas habitaret in nobis non minus substantialiter per gratiam, quam in Christo per vnionem hypostaticam. Quæ autem hinc absurda, & contra fidem dogmata sequantur, quis non videt. Sequela autem est euidens. Facit enim vt substantia, quæ aliunde potuisset non esse præsens sistatur & copuletur nexu vnionis animæ. Quamuis autem ex eo non sequeretur compositio substantialis, quia Gratia est accidens: esset tamen accidentalis, quæ non facit alteram partem compositi minus præsentem, quam substan-

substantialis. Sic in sacramento Eucharistiæ, quamuis nō sit modus, aut compositio substantialis, est tamen non minus ibi corpus Christi, quam in composito substantiali pars altera.

IV. Quemadmodum per Gratiam, ita & per Fidem Christus in nobis habitare dicitur *Ad Ephes. 3. 17. Det vobis Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Nec tamen fides adducit substantiam, vel adduceret si anteà ibi nō fuisset. *A*uide hoc arriperēt Caluinistæ, quib. fide arripere, apprehendere, gustare, est realiter & substantialiter sumere. Quo pacto Lutheranis imposuerunt non semel, sed fraudem animaduerterunt Catholici, qui aliam coniunctionē corporis Christi in Eucharistia sumpti, quam realem & substātialem fidei postulant.

*A*t vnio per Gratiam, est per naturæ communicationem & inhabitationem spiritus. SED, iam diximus hanc communicationem non esse per transfusionem substantiæ: sed infusionem gratiæ.

Quomodo igitur dicimur Filij Dei, & participes diuinæ naturæ, si ipsa non sit in nobis?

RESPON. Filiationem adoptiuam non poscere transfusionem realem naturæ paternæ, sed tantum receptionem in familiam, & ius hæreditarium: quod fit per Gratiam iustificantem, quæ est adoptatrix, & hominibus inhærens.

## QVINTA DISQVISITIO. An Vnio Mystica sit illa vnio per Gratiam, quam explicauimus?

RESPOND. Vnionem Mysticam, esse quidem Vnionem per Gratiam, si Gratia accipiatur pro Gratuita voluntate. Quo pacto ipsā vnionem hypostaticā docemus esse per gratiam: hoc est, per gratuitam Dei voluntatem. Non est tamen vnio Mystica, illa vnio, quæ fit per Gratiam sanctificantem. Constat. 1. Quia vnio per Gratiam est communis omnibus iustis, etiam paruulis ante vsum rationis. Omnes enim vere iustificati Spiritum S. habent inhabitantem, vt ex scripturis liquet, ad Roman. 5. & 8. 1. ad Corinth. 3. ad Gal. 3. Tit. 3. Sed vnio Mystica paucissimis conuenit. II. Vnio Mystica est actualis non habitualis, nec diu permanens. Gratia autē in aliquibus tota vita durat: in multis, non interrupte longissimo tempore. *A*lia discrimina petantur ex sequentibus, vbi de natura, & proprietatibus vnionis Mysticæ agemus.

# EXERCITATIO III.

## VNIO AMORIS, CARITATIS, Amicitiæ.

### Prima Disqvisitio. An præter Vnionem habitualem & permanentem Gratiæ, detur in Iustis alia Amoris, seu Caritatis?

Resp. Affirmate. Patet ex ijs principiis quæ in Scholastica Theologia confirmauimus. Primum est, Gratiæ qualitatem & habitũ differre realiter ab habitu Caritatis. Secundum hunc esse in potentia voluntatis & operatiuum illum in essentia animæ, nec operationis principium. Quemadmodum autem Gratia vnit, ita & Caritas, imo hæc multò magis. Quare nomine Caritatis vel dilectionis fere vtitur Scriptura cũ de Deo in nobis habitãte, aut permanente mentionẽ facit. Ioan. 14. 23. *Siquis diligit me & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus.* Si Gratiæ est facere hominẽ filiũ Dei per participationẽ, & diuinæ consortem naturæ. Hoc quoque Caritati adscribitur: 1. Ioann. 3. *Videte, qualem Caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Et cap. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Idẽ S. Apostolus Epistola 1. cap. 4. dicit Deum per Caritatem in nobis manere: Deus *Caritas est & qui manet in Caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quomodo? quia Caritas coniungit animam fini vltimo, & arctissime, tanquam vinculum perfectionis: id est, perfectissimum, vt loquitur Paulus ad Colossens. 3. In quem sensum conspirant Græci Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, quibus cum sentit Hieronymus, necnon Irenæus, qui ingeniose hominem perfectum componi adserit ex corpore, anima, & Spiritu-S. inhabitante per Caritatem. Quæ compositio debet commode intelligi, quia Gratia accedens ad hominem constitutum ex corpore & anima, illum anima perficit.

*Ad Coloss. 3. 4. 1. ad Thessa. vlt. 23. Hier. Epist. ad Hedib. q. vlt. Irenæ. lib. 5. cap. 6.*

Secvn-

## SECVNDA DISQVISITIO. An sit inter Deum & Animam Vnio ex Amore?

RESPONDEO: Esse Vnionis aliquod genus per Amorem, seu Caritatem actualem, nemo potest ambigere. Est enim Amor vnitiuus quod non experientia solum, sed exquisita etiam demonstratione constat. Platonis in sympoſio, & Aristotelis Politicorum secundo cap. 11. vbi ex Aristophane dicit quod amantes desiderarent ex ambobus fieri vnum, sed quoniam inde contingeret, aut ambos, aut alterum corrumpi quærunt vnionem quæ conuenit & decet, vt scilicet simul conuersentur, & simul colloquantur, ac in aliis istiusmodi coniungantur. Denique Dionysij Areopagitæ, qui cap. 4. de Nominibus diuinis. parte 2. idcirco vocat *Amorem commiscentem*: & Virtutem vnitiuam.

Vnit autem Amor, vt præclare docet S. Thomas bifariam. *Primo* formaliter, quoniam Amor ipse est propensio amantis in bonum amatum atque adeo velut nexus, & vinculum vtriusque. *Secundo*, effectiue, quatenus excitat amãtem vt quęrat coniunctionem aliam realem, quam possit habere cum re amata. Quem vtrumque vnionis modum insinuat S. Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 10. vbi inquit: *Amorem esse veluti iuncturam quandam, quæ amantem cum re amata copulat, vel copulare appetit*. Quod enim dicit, *Copulans*, refertur ad vnionem affectus, si qua non est Amor. Quod adiungit: *Copulare appetens*, pertinet ad vnionem realem: vel effectus. Itaque duplex est vnio amantis ad amatum. Vna secundum rem, inquit S. Thomas, puta, cum amatum præsentialiter adest amanti. Alia secundum effectum.

*S. Tho. 1. 2. q. 28. art. 1.*

*An vnio sit effectus Amoris.*

Porro Vnio hæc realis secundum effectum consideranda est ex apprehensione præcedente: nam motus appetitiuus sequitur apprehensionem. Cum autem sit duplex amor, scilicet, Concupiscẽtiæ, & Amicitiæ, vterque procedit ex apprehensione quadam vnitatis amati ad amantem. Quando enim quis amat aliquid, quasi concupiscens illud apprehendit idipsum, quasi pertinens ad suum bene esse. Similiter, cum aliquem amat amore amicitiæ, vult illi bonum sicut sibi ipsi: & inde est, quod Amicus dicitur esse Alter-Ego. Alter-Ipse. Placuitque Augustino dictum cuiusdam qui amicum vocabat: Dimidium animæ suæ. Priorem ergo vnionem illam facit Amor effectiue, quia mouet ad desiderandum, & quærendum præsentiam amati, quasi sibi conuenientis, & ad se pertinentis. Posteriorem facit formaliter, quoniam ipse Amor est talis nexus, seu copula.

*Aug. lib. 4. Conf. cap. 6*

In-

Inter symbola *Amoris* est Gluten: quia haud sequus ille animos, quam istud asseres adglutinat. Ierem. 13. 11. *Sicut adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domũ Israel.* Loquebatur de amore quo in populum ferebatur. 1. Reg. 18. 1. *Anima Ionathae conglutinata est animae Dauid, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.* Glutino bonum est. Isai, 41. 7. Hoc nimirum *Amoris* glutino Deo adhaerere nil melius.

## TERTIA DISQVISITIO. Magisne vniat Amor, quam Intellectio?

DIfficultatem parit S. Thomas, qui disceptans de *Amore*, quatenus est vnitiuus, ita obiectionem format. Sensus in actu fit sensibile in actu: & intellectus in actu fit intellectuum in actu: non autem amans in actu fit amatum in actu. Itaq; magis vnit intellectio, quam *Amor*, vel dilectio.

RESPONDET S. Doctor. Cognitionem per hoc perfici, quod cognitum vniatur cognoscenti secundum suam similitudinem. *At Amorem* facere, vt res ipsa quae amatur, amanti aliquomodo vniatur: ideoque *Amorem* esse magis vnitiuum, quam cognitionem.

*Sed* ingeniose obseruat Caietanus: Si cõsiderentur omnes vnitates concurrentes ad Amorem, verissimum esse, quod Amor magis vniat, quam intellectio: quoniam causatiuus est, inquit, vnionis realis. At si comparetur *Amor* & intellectio secundum illam solã vnionem, quã facit formaliter: sic intellectionem magis vnire, quam amorem: iuxta illud Auerrois l. 3. de *Anima*; Magis fit vnum ex intellectu, & intellecto, quam ex materia & forma. Ratio Philosophis est perspecta. Quia tanto maior est formalis vnio cognitionis, quam Amoris: quanto maius est, esse aliquid, quam habere se ad illud. Intellectio autem facit formaliter intellectum esse rem intellectam in actu: Amor non facit formaliter, vt *Amans*, fit Amatum: sed facit *Amantem*, quasi *Amatum*: & *Amatum*, quasi *Amantem* in *Amore* amicitiae. *At* in *Amore* concupiscentiae, *Amor* vnit *Amato*, vt alicui sui: scilicet, amantis. Intellectio autem facit formaliter intellectam rem in actu esse aliquid intelligentis.

Dici itaque potest: Cognitionem esse magis vnitiuam formaliter: *Amorem* magis effectiue. Ceterum quia vnio magis populariter accipitur de reali, quippe, magis nota: hinc est, quod *Amor* simpliciter dicatur vis vnitiua, & censeatur magis vnitiuus, quam cognitio. Et quia vnio *Amoris* complectitur realem: Vnio in-

intellectionis, non est, nisi similitudinis: vnio amoris est adfectus, & effectus, seu realis. Cuius vtriusque finem ac rationem expressisse visus est Dauid Rex Psalmo 42. Et amorem quidem adfectus versu 1. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te* DEVS. *Sitiuit anima mea ad* DEVM *fortem, viuum.* Amorem autem realem & effectus, sequentibus: *Quando veniam, & apparebo coram facie Dei?* Similia amoris suspiria profundit S. Augustinus lib. 5. confess. inter quæ illud eximium: *Quis mihi dabit, vt venias in cor meum &* INEBRIES *illud, vt obliuiscar mala mea, & vnum bonum meum amplectar* Te? *Noli abscondere faciem tuam: moriar, ne moriar, vt eam videam.*

## QVARTA DISQVISITIO. Perfecte-ne vniat amor?

RESP. Dubitare non finit Paulus Apostolus, qui caritatem nominat *vinculum perfectionis:* hoc est, idiomate sacro, perfectum: vel etiam perfectissimum, quod perfectissime hominem Deo coniungat, adeo, vt vnum cum Deo faciat. 1. Corinth. 6. *Qui adhaeret,* DEO, nempe, per caritatem, seu amorem, *vnus spiritus fit cum eo.* Et 1. Ioan. 4. *Qui manet in caritate in* DEO *manet, &* DEVS *in eo.* Itaque vt eleganter dixit Augustinus: Tibi domus DEVS: esto domus Dei: mane in Deo; & maneat in te Deus: maneat in te DEVS, *vt contineat: maneas in* DEO, *ne cadas: quia sic de ipsa caritate dicit Apostolus.* Caritas nunquam cadit. *Aug. in 1. ep. Ioan.* *1. Cor. 13. 17.*

Ostendit autem suauissime Bernardus sermone 83. in Cantica: nihil esse, quod Deo hominem magis coniungat, quam caritatem, qua *maritatur*, vt ipse differit, *anima* DEO*: cui cum similis sit per naturam, similem se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Hic amor mutuus, intimus, validusque non in carne vna, sed vno plane in spiritu duos iungit: duos facit, non iam duos, sed vnum, Paulo ita dicente:* Qui adhæret Deo vnus spiritus est.

Addit alio loco, quem nominat Thomas Anglicus in 1. epist. Ioannis. *Quid ergo caritate melius? Nam &* DEVS *caritas est. Et qui manet in caritate, in Deo manet: quid ergo caritate securius? & Deus in eo, quid ergo caritate iucundius?*

## QVINTA DISQVISITIO. An inter Deum & animam sit vnio amicitiæ?

RESP. Adfirmate. Probatur: est inter illos vinculum caritatis. Ergo & amicitiæ. Consequentia constat, quia caritatis supernatu-

 ralis

ralis qua amatur Deus est amicitia hominis erga Deum vt docet S. Thomas S.II.quæst.23.art.1.vbi tria adserit: *Primum*: Amicitiam esse amorem mutuum cum beneuolentia fundatam in aliqua communicatione. *Secundum*: Caritatem esse amicitiam, cum habeat conditiones veræ amicitiæ. Est enim caritas vere amor beneuolentiæ erga Deum, cui amori, si in homine reperiatur, dubitari non potest, quin illi respondeat amor Dei erga amantem. Verissime enim pronunciauit ipse Deus Prouerbiorum 8. 17. *Ego diligentes me diligo.* Et promisit amicitiam Dei Christus & inde sumptam denominationem *amici*, si diligamus. Ioannis 15.14. Vos AMICI *mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Et ver.15. *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi* amicos, *quia omnia, quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.*

Porro hanc beneuolentiam non esse occultam inde patet: quod non tantùm ex vna parte Deo sit nota nostra beneuolentia: sed etiam ex altera parte nobis ex Dei testimonio cognita sit beneuolentia Dei erga diligentes ipsum. Itaque homo tam potest esse certus de dilectione Dei erga se, quam est de sua erga Deum. Quod ad rationem amicitiæ fundandam sufficit. Est quoque inter Deum & hominem aliqua bonorum communicatio, eo pacto, quo ab homine communicari nonnulla Deo possunt. Nam Deum amans obedientiam illi cultumque præstat. A Deo accipit in hac vita quidem ad beatitudinem suam necessaria: in altera felicitatem æternam. Nec obstat huic amicitiæ, summa, vt videtur, inter Deum & hominem inæqualitas. Æqualitas enim, vel censore Philosopho non est amicitiæ ita intrinseca, vt absque ea essentia non possit consistere. Nam in genere amicitiæ secundum excellentiam, quod agnoscit Aristoteles, est perfecta amicitia sine æqualitate; quæ inter pares reperitur. Quæ fusius in Scholasticis exercitationibus titulo *Caritas* demonstramus. Vbi etiam, *Tertium* S.Thomæ dictum confirmatur: Ad amicitiæ amorem satis esse, vt obiectum principale illius sit bonum virtuosum, ac nos redamet. Licet autem in hac vita, sine speciali reuelatione Dei nullus possit certitudine fidei cognoscere; An diligatur à Deo: tamen prudenter, ac rationabiliter possunt iudicare multi, se à Deo amari. Quę prudens existimatio est satis ad rationem amicitiæ. Nam etiam inter homines mutua beneuolentia interior certo constare non potest, constat tamen nihilominus inter eos amicitiæ ratio.

*Lib.8.Eth. cap.7.*

# EXERCITATIO IV.

## VNIONIS MYSTICÆ NATVRA ET *proprietates.*

### PRIMA DISQVISITIO. An myſtica vnio animæ cum Deo, fiat ſecundum vtriuſq; ſubſtantiam? vel ſit in ſubſtantia animæ?

RESPOND. Negatiue. Declaro. Duplex eſt vnio animæ cum Deo ſecundum ſubſtantiam: vna, naturalis: altera, ſupernaturalis. Naturalis fit per immenſitatem, qua Deus eſt intime præſens reb. omnibus. Sed hanc præſentiam, quæ communis eſt rebus omnibus exiſtentibus non ſufficere ad vnionem myſticam, ſuperius eſt dictum, & probatum. Supernaturalis fit per gratiam, quæ quatenus diſtinguitur à caritate, collocatur in animæ ſubſtantia. quam etiam non eſſe ſatis ex ſuperioribus liquet.

### SECVNDA DISQVISITIO. An vnio myſtica formaliter fiat per caritatem?

RESPOND. Negatiue. Ratio, quia ſunt plurimi Deo ſingulariter cari, viri ſpiritualibus rebus deditiſſimi, qui caritatem perfectam habent, carent tamen dono contemplationis ac Vnionis Myſticæ.

### TERTIA DISQVISITIO. An Vnio Myſtica fiat in potentiis animæ?

RESPON. Adfirmate. Explico. In anima non eſt niſi ſubſtantiæ & illius potentiæ, ab ea, ſaltem connotatione aliqua diſtinctæ. Cũ igitur non fiat in ſubſtantia, conſtituenda eſt in potentijs: nempe, in intellectu, ac voluntate, ſeu affectu. Quæ animæ vires, quia Deum attingunt, & illi coniunguntur actionibus proprijs vitalibus, quas eſſiciunt, ac recipiunt: neceſſario adfirmandum eſt, Vnionem Myſticam, ſi ſumatur pro operatione per quam extrema vniuntur, eſſe

functionem vel intellectus, vel voluntatis, vel vtriusque: si accipiatur pro vnione in facto esse, esse terminum istius vnitionis, aut vnitionem factam, & terminatam. Itaque, vnio Mystica in animæ rationalis facultatibus celebratur: nimirum, in intellectu, & adfectu: & in earundem potentiarum operationibus perficitur: in ijs enim essentialiter consistit contemplatio: vt lib. 1, explicatum est. Sed difficile admodum est, vnica aliqua descriptione, aut definitione naturam vnionis illius exprimere: an etiam omnino impossibile? Sic

## QVARTA DISQVISITIO. An sit plane ineffabilis vnio mystica?

RESP. Ita arbitrari, ac loqui è Mysticorum numero nonnullos: fortasse, vt significent arduum omnino esse, verbis expromere, vt fidem faciant, eorum, quæ ipsi in arcano cum Deo congressu percipiunt. quod certum reor. Nituntur ipsi, modis quibusdam loquendi SStum Patrum, quibus ineffabilitas quædam abditorum sensuum, & delectationum, quæ in Mysticis contemplationibus hauriuntur, indicantur. Sed quæ adferuntur à plerisque, non nisi violenter ad Mysticam vnionem detorquentur. Nominatur Bernardus in epistola ad Fratres de Monte Dei: vbi circa finem: quomodo Deus credendus, concipiendus, diligendus varie exponit. Inter alia hæc habet

Thomas à Iesu lib. 4. de orat. diui. cap. 10.

*Quæ Diuina sunt, tantum supereminent omnia & corporalia, & spiritualia, quantum ab omni loci vel temporis lege, vel mutabilitatis suspicione aliena in sua incommutabilitatis, & æternitatis beatitudine incommutabilia manent, & æterna. In quibus sicut quæ corporalia sunt discernit animus per corporis sensus: sic, quæ sunt rationabilia, vel spiritualia discernere non potest nisi per semetipsum. Quæ vero sunt Dei, nonnisi à Deo quærat, vel expectet intellectum. Et quidem de nonnullis, quæ ad Deum spectant, fas est & possibile, homini rationem habenti, aliquando cogitare, & disquirere, sicut de dulcedine bonitatis eius, & de potentia virtutis & aliis huiusmodi. Ipsum vero quod est idipsum id quod est cogitari omnino non potest, nisi quantum ab hoc sensu illuminati amoris attingi potest.*

*Credendus est tamen* DEVS, *& in quantum Spiritus S. adiuuerit, cogitandus, quædam vita æterna viuens, & viuificans, immutabilis, mutabilia omnia immutabiliter faciens: intelligens; & creans omnem intellectum & intelligentem: sapientia faciens omnem sapientem.* Multa deinde alia adiũgit his similia. Tum subdit: *Certius tamẽ sensu humilis, & illuminati amoris, quam quolibet cogitatu rationis attingitur: & semper melius est, quam cogitatur; me-*

*lius*

*bus tamen cogitatur, quam dicitur. Ipsa est enim summa essentia, ex qua omne esse proficiscitur: ipsa est substantia non subiecta prædicamentis vocum, sed rerũ omnium subsistens causale principium, in quo esse nostrum non moritur, intellectus noster non errat, amor non offenditur: qui semper quæritur, vt dulcius inueniatur: dulcissime inuenitur, vt diligentius quæratur.*

Hoc ergo INEFFABILE (adiungit non-nemo, quod non adijcit Bernardus) *id est: Vinculum amoris*, per quod intelligit, Vnionem Mysticam; *cum non nisi ineffabiliter videatur: qui vult videre, cor mundet: quia nulla corporis similitudine dormienti, nulla corporea specie vigilanti, nulla rationis indagine nisi mundo corde humiliter amantis videri potest, vel apprehendi. Hæc est enim facies Domini, quam nemo potest videre, & viuere mundo. Hæc est speci es, cui contemplandæ suspirat omnis, qui affectat diligere Dominum Deum suum in toto corde suo, in tota anima sua, & in omni mente sua, & in omnibus viribus suis.*

Citatur etiam S. Thomas qui Opusculo 60. Gradu 7. refertur, appellare *Osculum ineffabile:* quia diuinarum adfectionum altitudo gustari potest, exprimi vero nequit. Quod fortasse alio in loco scripsit Angelicus Doctor: Opusculo enim 60. Articulo. 7. nam gradus nullos nominat in titulis, id non habetur. Nec S. Augustinus lib. 83. qq. quæst. 61. in fine aut Tractatu 7. in Ioann. quicquam de ineffabilitate vnionis Mysticæ aperte dicit, vel insinuat.

Magis ad rem facit, quod monet S. Bernard. Sermone 8. in Cãtica disputaturus de Osculo, quod idem esse cum vnione contendũt Mystici: *Hodie de summo oris osculo disputare propositum est: audite attentius, quod sapit suauius, & gustatur rarius & difficilius intelligitur.* Et sermo. 3. de eadem Vnione, seu Osculo loquens. *Est*, inquit, *Manna absconditum: & solus, qui edit, adhuc esuriet. Est fons signatus, cui non communicat alienus: sed solus qui bibit adhuc sitiet.*

Quia itaque Mystici arcanam illam Contemplatiuorum cum Deo Vnionem vel Ineffabilem iudicant, vel saltem explicatu difficillimam hinc variis illam diuersissimisque vocabulis, similitudinibus, descriptionibus, symbolis exprimunt, & inexpertis indicare conantur: è quibus proprietates illius desumendæ sunt, & natura penitius cognoscenda.

# EXERCITATIO V.

## *VNIONIS MYSTICAE DIVERSA Nomina, Epitheta, figuræ, Periphrases, Descriptiones.*

SEligam magis illustria, nam innumera pene sunt, quæ in hoc genere à Mysticis congeruntur, apud quos plura vnionis, quam, apud Chymicos, lapidis philosophici, nec minus arcana, & inaudita reperiuntur nomina.

I. Gerson Tom 3. Exprimit conglobate plurima Ioannes Gerson Tractatu 9. in Canticum Magnificat, vbi hæc habet. *Dicitur* MANSIO DEI *in homine, & hominis in Deo. Dicitur* VIVIFICATIO : *&* HABITATIO VITÆ ÆTERNÆ, *saltem in radice, vt hic, viuet in æternum, quia suam gratiam habet; dicit autem Apostolus, quod* gratia Dei est vita æterna. *Dicitur &* OSCVLVM *oris sponsi, quod petit sponsa. Dicitur* LAC, *&* VINVM; *&* VNGVENTVM, *&* OLEVM EFFVSVM. *Dicitur* INTRODVCTIO *in cellaria:* CONIVNCTIO *Dilecti inter vbera sponsæ, tanquam Fasciculus myrrhæ. Dicitur suus* DECOR: *sua* QVIES *in lectulo florido. Hoc est* DONVM *perfectū de sursum descendens, non ascēdens de deorsum. Hæc est* SAPIENTIA *diuinitus inspirata cū suis laudibus vniuersis. Hoc diuinum* SILENTIVM; *hoc* SIBILVS *auræ tenuis. Hoc* SVSVRRIVM *verbi abscōditi. Hoc* VOX, *quasi auræ lenis: imo & Tonitrui magni. Et, vt ad vnum colligamus innumera. Quicquid sonat* Mãsionem, *vel* Habitationem, *vel* Inhæsionem, *vel* Vnitatem *vnius corporis, & vnius spiritus, animæ cum Deo; sponsæ cum Sponso; vnicæ cum vnico.*

I. Ger. Tom. 11. Addit alia quædam Sermone de spiritu-sancto Consideratione secunda: *Hæc est* PAX, *quæ exuperat omnem sensum:* Pax, *quam mundus dare non potest: Solus* Spiritus Domini *est, qui replet in bonis desiderium nostrum, qui* ADIPE *frumenti satiat nos: qui dat* MANNA *absconditum, quo Propheta pastus, eructat:* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quã abscondisti timentibus Te! *Hic est* CALCVLVS *filiorum Dei habens nomē scriptum, quod nemo nouit, nisi, qui accipit. Hic in diuinam* Caliginem, *instar* Mosis, *vocatur spiritus. Hic in* sibilo auræ tenuis *sentitur Dominus. Hic in* Thalamo *dormit, & requiescit Salomon pacificus, & Beniamin adolescentulus in mētis excessu. Hic gustatur fauus mellis:* fauus, *propter illuminationem intellectus:* Mel, *propter dulcorationem adfectus. Hic* Moses Mysticus *ducit gre-*

*gressem virium suarum in interiora deserti. Hic sedet solitarius, & leuat se supra se, vbi Dominus loquitur ad cor eius. Hic dicit Petrus:* Bonum est nos hic esse: *& Philippus,* Sufficit: *& Maria Magdalena,* vidi Dominũ, & hæc dixit mihi. *Hic introducitur anima in* cellam vinariam *vbi bibit* EBRIAM SOBRIETATEM *spiritus: vbi suspirabunda epithalamium canens verba dimidiat:* Dilectus meus mihi, *att,* & ego illi. Ego Dormio, & cor meum vigilat. *Hic obtestatur Dilectus de Dilecta:* Adiuro vos filiæ Ierusalem ne suscitetis, vel euigilare faciatis Dilectam donec ipsa velit.

Sunt alia non pauca, quibus Vnionem, vel exprimi, vel indicari arcanæ sapientiæ Magistri existimant. Et occurrit imprimis Genesis II. *Sopor, somnus, Ectasis* Adami: totenim modis exponitur vocula Hebraica תרדמה *Thardhemoh.* Cui sopori fuisse coniunctam mentis supra se eleuationem, & Adamum conscendisse supremum Contemplationis gradum, & eius animã Deo mystice fuisse vnitam Patrum plerorumq; interpretationes indicant: quorum verba dedimus Tomo I. Theologico lib. 3. Comm. 32. *Sopor Adami.*

Experiuisse etiam hanc Vnionem Mosem, celebri illa postulatione, Exodi 33. *Ostende mihi faciem tu m:* quasi Efflagitauerit, non claram & intuitiuam diuini vultus visionem, sed contemplationem huius viæ exactissimam, qua Deo mystice vniretur, iidem arbitrantur. Certe, S. Thomas, de altissima Contemplatione, Mosis orationem intelligit, quæ, vt est infra diuinæ essentiæ visionem: ita non est sine arctissima amoris diuini vnione. Quod quã probabilitatem, vel certitudinem habeat, diximus Tomo I. lib. 3. De Theologia Intuitiua Mosis Commentatione. *Mosis contemplatio.* *P. S. q. 98. art. 3. ad 2.*

Multa sunt Isaiæ 35. vbi floride eloquentissimus Propheta statũ Ecclesiæ Christianæ describit, quæ huc trahuntur à Mysticis. *Exultabit solitudo, & florebit quasi Lilium.* Quæ-nam illa *Solitudo?* Anima Contemplationi dedita, gaudens solitudine. quod-nam eius est *Lilium?* Vnio Mystica. Hæc eadem est *Gloria Libani: Decor Carmeli & Saron.* Adiungit Propheta: *Ipsi videbunt Gloriam Domini, & Decorem Dei.* quibus eadem Vnio visioni iuncta, & ardentissimæ caritati designatur. *Lilium.*

His addantur, quæ habet idem Propheta cap. 58. *Et* Requiem *tibi dabit Dominus semper: & implebit splendoribus animam tuam: & eris, quasi* Hortus irriguus *& sicut* Fons aquarum *cuius non deficient aquæ.* Iterum: *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Hic REQVIES, splendores. Flores Horti-irrigui, Aquæ fontis non deficientis, signare possunt, vel ipsam admirandam vnionem: vel tenacissimi huius vinculi effectus varios; inter quos est etiam hereditas Iacob, terra promissa, & quietis mysticæ.

In

In Canticis occurrunt plura, quæ Vnionis possunt esse figuræ: SPONSATIO, NVPTIÆ, OSCVLVM, VINVM, LAC, MEL, VBERA, VNGVENTVM, OLEVM EFFVSVM, FRVCTVS gutturi suauissimus: LÆVA sub capite: DEXTERA amplexans. Et quicquid tandem in amatorio illo carmine suauitatem delitiasque animi mystice significat.

Ioan. 14. Cyril. li 10 in Ioan. c. 1. In N. Testamento offert se illa MANIFESTATIO de qua Ioannes: *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & MANIFESTABO ei meipsum.* Quod de eximia quadam Manifestatione, quæ non nisi perfectis & heroicis quibusdam contingit, debet intelligi, vt aduertit S. Cyrillus: nec de speculatiua cognitione, quæ aliquando perfectior est in peccatore, sed de practica & experimentali, vt Toletus monet, quæ propria est vnionis mysticæ.

Ex Paulo desumuntur alia nomina: nam putant Mystici, eum arctissima illa coniunctione sæpius delectatum, non semel postea illam celebrasse: siue cum se mente excessisse commemorat: siue cum se raptum narrat vsque ad tertium cælum. Epistola secunda ad Corinth. 5. *Siue mente excedimus, Deo, siue sobrij sumus, vobis, Caritas enim Christi vrget nos.* Quæ explicans Theophylactus: *Insaniebat*, inquit, *Paulus amatoria quadam insania* Deum *amans, ac amatoris instar illi viuens: nempe, ad amatum extra se ipsum raptus, ac totus in Deum translatus, nec suam ipsius vitam viuens, sed illius, quem amat.* Eum autem locum Augustinus, Beda, & Anselmus accipiunt de Pauli Raptu, & Ecstasi: quam quidē *Insaniam* vocat Theophylactus: haud male, si addas, *Mysticam*, quæ ab *Ebrietate* eiusdem denominationis non differt. Certe Adami Ecstasin latine exprimens Tertullianus lib. de Anima cap. 21. vocat *Amentiam:* & mitigans vocabuli acerbitatem cap. 45. *Quasi amentiam.* An propter imagines rerum varias, quæ soporato occurrunt? An potius quia mystice somnianti in vnione mens supra se eleuatur & aliena sæpe lingua loquitur? An quia ea contemplatur Mystica mens in Ecstasi, quæ ineffabilia sunt? Augustinus apud Bedam: *Mente excedimus Deo, vt illa videamus, quæ non licet homini loqui.* Rursum: Augustinus in Ps. 113. Quid est, Mente excessimus Deo? *Excessimus omnia ista carnalia, &, quod vidimus, effari non possumus.* Hoc autem fit in vnione Mystica, quæ Ecstatica etiam dicitur.

*Insania Pauli Mystica.*

Ep. II. Corin. 12. Tandem, diuinum Apostolum, Raptu illo nunquam satis explicando, quo in tertium cælum delatus fuit, & in Paradisum vsque peruenit, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, Vnionis Mysticæ delitiis fuisse delibutum, eaque gustasse mente, quæ postea ore effari haud potuit, vix dubitari potest. Quamuis enim tunc non vide-

viderit clare diuinam essentiam: quod probabile admodum, vt demonstramus prima parte Theologiæ libr. III. comment. 35. tamen in altissimo fuisse contemplationis vertice negari non potest, vt ibidem est stabilitum.

Præter hæc, siue nomina, siue epitheta, siue periphrases vnionis Mysticæ, ex scriptura sacra desumpta: addunt alia Magistri arcanæ scholæ, quibus donum illud, quod vocant ineffabile, aliqua ratione enuncient, adiunctis declarationis gratia longioribus etiam descriptionibus.

Itaque in Sapientiæ altioris gymnasio, vnio mysticæ appellatur DEIFICATIO: TRANSFORMATIO: GVSTVS diuinæ sapientiæ: Gustus contemplationis: TACTVS Spiritus S. voluntatis summitatem: vel, supremum affectus apicem contingentis. SENSVS & GVSTVS vitalis Dei: Experimentalis perceptio Dei, consistens in actione vitali intellectus & adfectus, perfectaq; cum Deo coniunctione.

---

# EXERCITATIO VI.

## *VNIONIS MYSTICÆ SYMBOLA AC similitudines variæ.*

HIc cernere licet Mysticorum ingenium, qui vndecumque vbi aliquod arcanæ coniunctionis extare videtur vestigium accersiuerunt exempla, quo facilius persuasionem de vnione in alijs philosophantium scholis non adeo obuia inducerent.

PRIMVM est, guttæ aquæ in vas generosi vini immissæ. Anima, inquiunt, vnitur Deo, & in ipsum transformatur, haud aliter, quam si gutta aquæ mittatur in dolium fortis vini. Quemadmodum enim guttula illa exuit substantiam priorem, & amittit propriam naturam, conuertiturque in vinum, ac fit cum eo vnum colore, odore, sapore: ita concipe animam humanam, quæ Dei respectu est tanquam *gutta roris antelucani*: aut quasi millesima pars *stillæ situlæ*: imo minus: Nam *Gentes sunt quasi stilla situlæ*: finge tamen animam, vt guttam, cadere in diuinitatis immensitatem, tanquam in infinitum quoddam præstantissimi vini pelagus, perdet non quidem physice naturam, sed mutabitur in aliam mystice ac moraliter, & in splendore, ardore, puritate, omniumque defectuum, & imperfectionum, quantum fas mortali, abdicatione fiet Deo simillima.

*Apud Gers. in consid. 41. Myst. Theol.*

*Sap. 11. 23. Isa. 40. 15.*

Monet prudenter Ioann. Gerson hanc similitudinem deficere: habet enim, inquit, quam plurimum de dissimilitudine. Non n. perdit anima in vnione Mystica suum esse proprium: sicut gutta aquæ desinit per corruptionem, quam alterius generatio subsequitur. Itaque lenienda est similitudo, vt fecimus.

Haud opus esset hoc temperamento si certa esset illorum sententia, qui contendunt, aquã, licet vel gutta sola in vas vini immittatur, non conuerti in vinum, atq; ita substantialiter nõ mutari. Quod experientia probant: Quia potest aqua post istiusmodi mistionem separari. Nec rationes desunt, quæ probabilitatem faciant. Vniuerse enim corpora simplicia, qualis est aqua conuerti in mistum naturaliter negant fieri posse; alioquin enim nutrirent. Præterea aqua tenacissimæ est naturæ. Vnde si illam conijcias in candentem ollam ferream, & vapores alembico excipias; totam omnino integram recipies. Adhæc qui diligentissime inuestigarunt conuersiones naturales, vt Aristoteles, Plinius omnesque nostri temporis Medici & Chymici, negant fieri conuersionẽ substantialem aquæ in vinum träsfusæ. Sed quoniam contrarium est communis etiam sapientum opinatio, & quorundam sensu Ecclesiæ iudicium vt in Scholasticis *titulo*, eucharistia ostendimus: non male qui illo exemplo vtuntur, moderationem à nobis datam adiungunt.

*Lege in 3. P. Suar. to. 111. disp. 40 Vasq. Valent. Coninck. disp. 74. dub. vnica*

SECVNDVM, superiori adfine, est alimenti vel cibi, quod conuertitur in alitum seu cibatum per nutritionem. Nonne experimur cotidie viuentia, cibum aut potum quem sumunt, si naturæ ipsorum sit accommodatus in substantiam conuertere? At contrarium in vnione Mystica concipiendum est. Cibus contemplatiui est diuinitas, & quæ in illa, sed non distinctæ ab illa sunt perfectiones: hic vnitur animæ: sed non transmutatur in animę substantiam, sed hanc in se transformat.

Vtuntur hoc exemplo vitæ spiritualis magistri dum meditantur Mysterium Eucharistiæ sub titulo cibi: & animaduertendum monent: licet in multis conueniat corpus Christi cum cibo materiali, tamen in aliis non paucis differre. Discrimen capitale est: quod cibus materialis cõuertatur in substantiam eius, qui illum sumit. Siquidẽ, cum calor naturalis sumentis potentior sit, träsfert cibum in sui subiecti naturam: at cum cibus Eucharisticus multo sit potentior manducante conuertit illud potius in se.

Idem contingit in vnione Mystica. Hinc est illud Augustini, iam in caligine positi. *Cum te primum cognoui tu assumpsisti me, vt viderem esse, quod videram, & nondum me esse qui viderem. Et reuerberasti infirmitatem aspe-*

*S. August. lib. 7 conf cap. 10.*

*aspectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore & horrore: & inueni me longe esse à te in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuã de excelso: Cibus sum grandium: cresce & manducabis me. Nec Tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ: sed tu mutaberis in me.*

Hanc similitudinem vt audiuit deuota mulier, inquit Ioa. Gerson, sic exæstuauit, sic exarsit intrinsecus, vt concepto spiritu se non capiens, ipsa velut mustum nouum absq; spiraculo, ruptis venarum, & neruorum vinculis vitam cum sanguine tradiderit. *Gerson Tr. Myst. consi. 41.*

TERTIVM EXEMPLVM ab insitione arborum. Si Oleaster inseratur oliuæ socius fit radicis, & pinguedinis oliuæ. Si quis inseratur per vnionem Mysticam Deo, diuinitatis fit particeps. In arcana contemplationis vnione, anima Deo copulatur, inquiunt Mystici, sicut surculus vnius arboris immittitur trunco alterius: à quo nutrimentum accipit & fœcundatur, vt fructum ferat, non sui generis, quem protulisset antea, sed illi similem, quem gignit arbor cui inseritur. Haud sequus anima sentit à Deo se suscipi, & ab illo gratiæ auxilia, & amorem perfectissimum accipere, quibus illi vitæ puritate perquam similis redditur. Atque per hunc modum practice intelligit, quid illud sit: *Ego sum vitis, vos palmites.* Et istud: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* *Rom. 11. 17* *Ioa. 15. 5.*

QVARTVM ex ferro candenti, & carbone ignito. Cogita per vnionem Mysticam ex Deo & anima vnum fieri sicut ex igne & ferro. Ferrum in fornacem conjectum ignem imbibit: sed non desinit esse ferrum: sicut nec carbo, postquam ignem concepit; induunt tamen quasdam proprietates ignis incorporati, vt loquitur Gerson, & quasi proprias perdunt, vt frigiditatem, nigredinem, rigorem. Erat antea nigrum ferrum; & ex igne candescit: erat frigidum, & ex igne calescit: erat impotens ad vrendum, ex igne fit potens, vt vicina depascatur, & comburat.

Simili pacto, anima, permanens, quæ erat, si naturam spectes, ex eo, quod arctissime coniungitur Deo, qui ignis consumens est, ignescit spiritualiter, & illius lucem, pulchritudinem, feruorem, & efficaciam induit. Est Mystici hominis Deo vniti eloquium, ad imitationem vocis Domini ignitum vehemẽter, adeo vt audientes calfaciat, inflammet, comburat, & à seculi lenocinantis voluptatibus abducat.

Adhibent hoc exemplum SS[ti] Patres quidam ad declarandum effectum vnionis hypostaticæ. Huius enim arctissimi nexus, quo intime persona diuina verbi copulabatur humanitati, factum est, vt humana natura adsumpta fuerit ita sanctificata, ac deificata, ipsa Dei-

tate,tanquã forma sanctificante & velut vnguẽto vngente,vt quodã modo in Deitatem transierit: non realiter: mansit n. vtraque natura inconfusa,sed æstimatione quadam,& apparentia. Quo facit dicta similitudo, qua comparatur humanitas Christi delibuta & penetrata Deitate *carboni* ardenti,in quo nihil aliud apparet quam ignis.

Nicetas autem Scholiastes Nazianzeni ad orationem illius 51. ad illa verba *quocirca*: postquam comparauit humanitatem Christi grano ferri in ignem coniecti, quod ita igne ipso penetratur, vt nihil aliud,quam ignis appareat,subiũgit: *Eodem modo humana natura diuina copulata, vsque adeo superata est, vt hominis natura,ne manere quidem videatur,tametsi alioqui proprietates suas retineat* Habet eandem comparationem Ioan. Damascenus lib.4. de fide cap.3.

Vsurpat idem exemplum Henricus Quodlibeto 13. quæst. 12. disputans de beatitudine, ad quam postulat illapsum, non animæ in diuinitatem: sed diuinitatis in animam, per quam fiat, vt anima nihil aliud esse videatur quam diuinę dispositiones. Sicut in ferro candenti nihil aliud apparet, quam ignis. Quam apta sit similitudo ad hãc rem, examinamus in Scholasticis *titulo Beatitudo*.

QVINTVM. Habent se in vnione Mystica Deus & anima, sicut duo specula opposita. Si duo specula contra se inuicem opponas, vnũ recipit imaginem alterius & ab illo vicissim recipitur. Ad hunc modum, quando in vnione Mystica dicere potest anima contemplatiua: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Iterumque: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius:* tunc duo lucidissima specula Maiestatis diuinæ, & humanæ mentis sibi opponuntur: & hoc recipit claritatem ac calorem illius, adeo, vt in intellectu, & adfectu imago illius pulcherrima videatur.

Can. 11.16. Cant. 7.10

Sumitur hæc similitudo ex Paulo Apostolo 11. Corinth. 111.18. vbi de Apostolis contemplationi diuinæ assuetis ita loquitur: *Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.* Quo loco τὸ *speculantes*, non ducitur à *specula*: vt sit sensus: de *specula prospicientes*: sed à *speculo*: hoc intellectu; *instar speculi intuentes*: vel *speculum gloriæ Dei contemplantes.* quasi dicat nos Apostoli gloriam Dei contemplatione diuina speculantes: seu speculum diuinitatis rerum omnium perfectissime repræsentatiuum intuentes assidue; in eandem quasi gloriam Dei transformamur: dum tanquam lucidissima quædam specula imaginem in speculo nobis opposito repræsentatam recipimus, ac vicissim in alios transfundimus: sicut solet speculum imaginem rei obiectæ recipere ac reddere. Quomodo autem iustorum animæ Deo vnitæ, sint specula, & transformentur, disputamus Prima Parte Theologiæ lib.3. Comm.15. Exercitatione 8. & 9.

SEX-

SEXTVM. Aer illuminatus incorporat in se lumen solis (verba sunt Mysticorum, ne terrearis) ita vt ex aere & lumine vnum fieri videatur. Haud sequus, lumen inaccessibile penetrat intime contemplantis animam, vt sit instar globi ex aere lumine intus ac foris resplendentis.

SEPTIMVM. Virtute & adfricatione Magnetis ita temperatur ferrum, vt polum aspiciat: quod lapidis illius Indici est proprium. Sed hãc proprietatem coniunctio cum Magnete in ferro relinquit. Quid mirum, Diuinitatem magis occulta vi & efficacia tangentem animã, cui est coniuncta, proprietatem illi suam inferere: vt quemadmodum ferrum, magnete copulatum non tam ferrum, quam Magnetem: ita Anima Diuinitati vnita, Diuinitatem ipsam referre videatur?

*Gilbertus lib. de Magnete. Guido Pancirola in Nouis reper. Tit. 11. Henricus Salmuth. ib. Lilius Gyral. lib. de Nauigat.*

OCTAVVM. Vapor caloris vnitione eam participat leuitatem, vt aquæ naturam penitus exuisse putetur. tantum valet ea coniunctio. Eadem ratio est in Exhalatione, quæ est anhelitus terræ calidus, leuis, cum terra sit frigida ac grauis. Itaque arcana illa vnio & efficiẽtia solis reliquorumque siderum, quibus aqua & terra copulantur, ita Elementa illa afficit, vt eorum halitus & spirationes plane secundum substantiam immutare putentur: cum tamen, forma, atque natura relicta qualitatibus solummodo extraneis illas inficiant: sed tã valide, vt non desint Philosophi qui contendant Vapores & Exhalationes, essentia ab elementis è quibus erumpunt per formam aliquam essentialem distingui.

*Philopon. li. 11. de Gener. Com. 18. Aut. ib.*

Sed quemadmodum illa cum Astris copulatio, nec vaporem ab aqua, nec exhalationem à terra substantiali forma distinguit, verum accidentaria solum ratione: ita vnio Mystica, licet aliud facere videatur, tamen in alium tantummodo, discrimine accidentario Cõtemplatiuum commutat. Exemplum habet Gerson. Vapor, inquit, qui est substantialiter aqua leuitatem accipit, & quandam ex calore aeris conditionem.

*Alb. Magnus lib. 1. Tract. 1. cap. 7. Louaniens. lib. 1. Tract. 11. Dub. 24. Conimb. Tract. 1. Meteor. c. 2. Conf. 41. de Theol. Myst.*

NONVM EXEMPLVM sumunt ab Vnione materiæ ad formam seu perfectibilis ad suum perfectum. Constat enim Materiam ante susceptionem formæ esse imperfectam, sine decore, sine virtute, & sine actione eius detur illi forma: mox autem venit ad formæ suæ perfectionem, per intimam cum forma vnitionem, cuius proprietates materia sibi quodammodo appropriat. Sic Anima, antequam vniatur Deo per viuificum amorem, manet in quadam morte spirituali sine decore, sine virture ad actus viuificos meriti vitæ æternæ. Si autem Deo coniungatur, tanquam fontali totius vitæ principio, datur illi vita quædam diuina, non quidem per formalem inhæsionem Dei

 ad

ad animam, inquit Gerson, hoc enim repugnat diuinæ perfectioni: sed per ILLAPSVM quendam intimiorem, & spiritualem, seclusa imperfectione qualibet. Et hoc mediante amore tanquam qualitatiua, & harmonica dispositione, quodammodo proportionabiliter, sicut dispositio materiæ præ requiritur, nec tamen sufficit ad humanæ formæ susceptionem. DECIMVM EXEMPLVM est Vnio Amoris vel Adfectus, quæ tantum valet aliquando, vt censeatur facta duorum metamorphosis, & transanimatio, adeo vnus alterum exprimit; sicque non tam Alter-ipse: quam idem esse iudicatur. De quo plura vbi de Amore mystico ex professo.

VNDECIMVM consistit TRANSVBSTANTIATIO, quam animaduerto nominari à Mysticis: sed alio longe sensu, quam a Scholasticis, *Titulo, Eucharistia.* Nec enim censendi sunt admittere per vnionem Mysticam substantiæ in substantiam conuersionem perfectam nulla substantiæ prioris parte remanente.

Hæc fere sunt Exempla & Similitudines, quibus vtuntur Mystici ad arcanam inter Deum & Animam Vnionem declarandam: quorum aliqua reperio in S. Nazianzeno, qui sic Oratione 21. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit, ac colorem. Et, quomodo ferrum igitum, & candens, igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum. Et, quomodo solis luce perfusus aer in eandem transformatur luminis claritatem; adeo, vt, non tam illuminatus, quam ipsum lumē esse videatur. Sic omnem tunc (nimirum quando Anima Deo est intime vnita) in sanctis humanam adfectionem quodam ineffabili modo necesse erit à seipsa liquescere: atque in Dei penitus transfundi voluntatem.

Eadem habet, sed stylo mystico, rudi, ac scabro Henricus Harpius lib. II. Theologiæ Mysticæ cap. 33. quod est de vnitiuo amore, & amorosa vnione cum Deo. Addit autem ad calcem cap. *Quamuis res istæ, de quibus hic similitudinem adduxi sint tam modicæ incomparationem ad veritatem, quæ in felici anima implebitur, quemadmodum granum sinapis ad magnitudinem supremi cæli: nihilominus ex huiusmodi similitudinibus potest homo concipere in corde obiectam quoddam, & desiderare tali modo vniri Deo, & præcipue in exercitatione amoris, cuius natura est, optare de duobus vnum efficere.*

EXER-

# EXERCITATIO VII.

## *PARTITIO VNIONIS MYSTICI in Actiuam & Paßiuam. Item, in Sobriam & Ebriam.*

### Prima Disqvisitio. Quid intelligant Mystici per Vnionem Actiuam?

RESPOND. Vnio Actiua, quę etiam Adfectuosa dicitur, est illa, quæ habetur per actum Caritatis supernaturalis, quam homo consequutus est, actiuo: seu humano modo: nempe præparãdo se ex supernaturali Dei auxilio ad Amoris susceptionem, & augmentum. Tali enim actu ynitur volunt as actualiter Deo, tanquam summo Bono, in ꝙ toto impetu adfectus fertur, eique se conformare conatur: ex quo etiam sequitur vnio aliarum potentiarum: nempe memoriæ, vt de re nulla alia lubeat reminisci: & intellectus, vt quã iucundissime, & diutissime de illo cogitet, illum perfecte intelligere optet: de eo ratiocinari aueat: eumque semper intellectualiter præsentem habeat, haud secus, quam si oculis corporis obuersaretur.

Nominis rationem inde petunt: quod actionis humanæ sit vnionis huiusce exercitium: nimirum, quia vsitato more per Diuinam gratiam contingit: Hæc enim Vnio communis est Iustis omnibus, qui caritate sunt prædıti, qua Deum actualiter diligunt. Hæc eadem est vinculum perfectionis: & in ea substantialis Christiani hominis perfectio consistit: mandatorum diuinorum complementum: nam, *Finis præcepti dilectio est* 1. ad Timoth. 1.

### Secvnda Disqvisitio, Quæ sit ratio Vnionis Passiuæ.

RESP. Vnionis Passiuæ denominatio fluxit ex ea dicendi formula, qua Dionysius Hierotheum doctorem celebrat, quod fuerit, *Patiens Diuina*, Nempe: quod instar Patientis potius, quam Agentis se habuerit, siue cum intellectu diuina cõtemplaretur, reuelationibus, & illustrationibus inexpectatis, ac insolitis, eum luminum Patre perfundente: siue, cum voluntate in cælestia ex ardesceret: Diuino spiritu illum agente, rapiente & impellente, & ad vnionẽ quandam intimam,

nam,& suauissimam,eleuante. Dicitur itaque Vnio passiua, quia est hominis diuina patientis:quia eius adquisitio, per voluntatis actionem,ab eius libertate plene dependentem non habetur : quia eius possessio à Deo potius,quam à voluntate libera dependet. Est enim, vt volunt arcani gymnasij Doctores,donum peculiare,ac gratuitum, quo Deus per vehementem amoris excessum, cum potentiarum suspensione,sensuumque alienatione,voluntatem sibi arctissime copulat.

Non existimes tamen,ideo vocari Passiuam, quod voluntas nihil agat,sed tantummodo patiatur:alienum hoc est à certis Theologiæ sacræ secretis:sed quod non sit potens ea potentia,quamuis ordinariæ gratiæ præsidio,quo iusti communiter fruuntur,sit donata, vnionem illam efficere, nisi peculiari quodam modo, internus à Deo promoueatur, & spiritus Sancti opera subleuetur. Habet itaque se voluntas veluti passiue recipiendo agitationem illam diuinam, quæ tamen ipsa est vitalis quædam operatio: rapitur,sed nec coacte, nec violenter,sed cum ingenti suauitate, quæ efficaciam cælestis motoris comitatur. Sic rapit sua quemque voluptas.

Vtrumque Vnionis modum indicat ex Mysticis Dionysius Carthusianus Commentario in Mysticam Areopagitæ,vbi sic disserit:*Viri fideles,heroici,& perfecti longe sublimius Mysticam Theologiam sortiuntur, experiuntur,venantur per supernaturalia charismata Spiritus-S.quod & dupliciter accidere solet.* Primo,*per eorum præparationem,cooperationem, & conatum,ad hoc dando se ipsos ad abstractionem à cunctis creatis,& ad feruidam vnionem cum* Deo *per recollectionem mentis suæ ad intra,& per affectuosissimam diuini inuocationem auxilij,ac considerando inflammatiua diuini amoris.* Secundo,*fit istud modo mirabili,& eminentiori,quamuis forsan nō magis meritorio semper:videlicet,cum feruens amor absque conamine proprio,præparatioq; præuia repēte præuenitur,præstringitur,inflāmatur,& super se tollitur,contēplatione nisiq; luce exuberanter perfunditur, praoccupatur,ac vincitur, vt etiamsi velit resistere,nequeat,neque euadere possit superg*r*atiosissimi spirituum* AMPLEXVM SPONSI,*à quo in regione luminis infiniti transfertur,in quo vere idem sunt Regio,& Habitator.*

Notauit idem discrimen S.Bernardus, & clare præscripsit sermon.II.de Ascensione his verbis:*Quidā trahūtur,qui dicere possunt:* Trahe me post te. *Nonnulli ducuntur,qui dicūt:* Introduxit me Rex in cellam vinariam. *Alij rapiuntur. Et primi quidem felices,qui in patientia sua possident animas suas.secundi feliciores,qui ex voluntate sua confitentur Domino: tertij felicissimi,qui in profundissima Dei misericordia,quasi sepulta arbitrij libertate in diuitias gloriæ, in spiritu ardoris rapiuntur:qui spreto,ac supergresso admini-*

*miniculo rerum, ac sensuum non ascensoriis gradibus, sed inopinatis instantaneisque excessibus feruntur in Patrem.* Qui trahuntur, vnionis actiuæ: qui rapiuntur, passiuæ censentur participes.

## TERTIA DISQVISITIO. Quæ Vnio sit sobria: quæ ebria?

RESP. Esse diuersa hæc epitheta vnionum explicatarum. *Actiua* enim dicitur *sobria*, quia contingit, homine nihil extraordinariũ, nihil insolens, nihil quod significationem vllam det excessus interni proferente, tunc enim justus, vt sui plene compos magna quiete, & sedatissime Deo iungitur, & fit idem cum illo. Ebria, quia accidit, homine spirituali ebrietate occupato: dum videlicet ductus in cellam vinariam, intima cum Deo vnione, diuini amplexus dulcedine extra se raptus, quasi musto plenus eructat. Ad sobriam inuitabat sponsus, dicens: *Bibite amici*; ad ebriam, adiungens: *Inebriamini carissimi.* *Cant. 5.*

Addunt alias quasdam differentias Mystici. Vna est: quod Sobria consistat in quadam adhæsione cum Deo: Ebria in adhæsione ac fruitione: quæ propria est perfectorum: ideoque vocari solet dulcis, suauis, felix, quod sit excellentior quædam felicitatis æternæ participatio, & quædam velut prægustatio. hinc etiam vocari solet Vnio fruitiua.

Altera differentia respicit principium proximum effectiuum. Sobria enim proxime vel est ab habitu caritatis, vel à dono sapiẽtiæ, si sit cognitio dulcis & saporosa absque sensuum abstractione. Ebria, vel ab altiori dimanat principio: vel ab eo ipso modo tamen eminentiori, quo mens diuinis illustrationibus ita collucet, ita etiam suauitate cælesti perfunditur: vt Deo iuncta, sui immemor in ecstasim rapiatur vnde & ecstatica vnio dicitur.

---

# EXERCITATIO VIII.

## *TRANSFORMATIO, SEV DEIFICATIO Mystica.*

AMOROSA VNIO *mentis cum* DEO, *quæ fit per Theologiam Mysticam* (verba sunt Cancellarij Parisien. sis) *congrue* TRANSFORMATIO *nominatur, sicut* B. Dionysius, & SS. Patres *loquuti sunt; sed in explicationis* *Gerson cõ. sid. 41. Th. Myst.*

*modo varietas inuenitur.* Ita est reuera: quot capita, tot pene sententiæ, aut saltem, explicandi modi, ac loquendi. Excutiamus aliquot. Sit

## PRIMA DISQVISITIO. An Deificatio Mystica fiat per desitionem esse naturalis, vel substãtiæ, animæ hominis contemplatiui?

IGnoscat nobis Theologus Scholasticus, quod quæsitum formemus, ex cuius terminis, copula iũctis, prosilit ilicq; absurditas. Ignoscet, sat scio, si meminerit in Scholastica exedra haud minus à sensu communi aliena quæri: sed non alio fine, quam, vt veritas illucescat in responsis. Vt autem in notissimis illis quæsitis: Est-ne Deus? Est-ne iustus, & prouidus? delirare potuerunt aliqui: ita & hic quosdam plane insanuisse certissima relatione accepimus: non tamen omnium, qui traducuntur, eadem fuit dementia.

Fuisse quosdam commemorat Gerson, qui dixerint, *spiritum rationalem dum perfecto amore fertur in* DEVM, *deficere penitus à se, ac reuerti in ideam propriam, quam habuit immutabiliter, ac æternaliter in Deo, iuxta illud* Ioannis 1. *Quod factum est in ipso vita erat.* Adfirmabant isti; quod *talis anima perdit se & esse suum, & accipit verum esse diuinum: sic, quod, iam nõ est vera creatura: nec per creaturam videt, & amat* DEVM, *sed est ipse* DEVS *qui etiam videtur, & amatur.* Hanc ibidem vocat *insaniam* Gerson: & merito. Itaque

RESPOND. Transformatione, vel deificatione mystica, dum mens contemplatiui vnitur mystice diuinitati, non deperdi esse naturale animæ. Contrarium, tanquam hæresim damnat Ecclesia in Almarico Doctore Parisiensi: qui duo adfirmabat ad hanc rem spectantia. *Prius:* Ideas quæ in mente diuina sunt posse esse creatas. *Posterius:* Hominis contemplatiui, sicut & beati mentem perdere suum esse in proprio genere, & redire in esse illud ideale quod habuit in mente diuina. Est autẽ tã manifesta hæc phrenesis, vt illam vocat Gualterius, vt nulla sit opus refutatione. In rudium tamen gratiam hæc subijcio. *Primo:* nemo Mysticorum expertus est animam suam vnquam essentialiter fuisse mutatam experimento autem aliquo, & ex diuersitate operationum & adfectuum vitalium constare deberet tam ingens mutatio. *Secundo:* Anima non potest desinere esse per corruptionem proprie dictam, cum sit ingenerabilis & incorruptibilis: sed solum per subtractionem influxus quo conseruatur. DEVM autem subtrahere influxum, quo substantia in esse suo perseuerat, nemo dixerit, qui

*Almaricus siue Amoricus A. 1204. Sanderus Hær. 153. Bern Lutzenb. Prateol 5. Almar. Genebr. in Innoc. III. Gualterius Tab. seculo 13. p. 684. Gerson. cõsid. 41.*

qui illũ, ſibi cariſſimos fouere, ornate, & beneficijs adficere per vnionem Myſticam cogitat. *Tertio:* Contingit non raro vt poſt breuiſſimũ vnionis myſticæ tempus contemplatiuus ad antiquum ſtatũ redeat. Ergo tunc iterum eſſentialiter mutabitur anima. Et ex Deo fiet homo, vel beſtia, ſi à vitæ ſanctitate deficiens, fiat ſicut equus & mulus, vt euenire poreſt, ſicut ex homine antea factus fuit Deus. Vt autem abſurdiſſimæ opinationis impoſſibilitas magis prodatur, Sit

## SECVNDA DISQVISITIO. An fieri poſſit, vt anima in Deum conuertatur?

ANtiquorum male ſentiẽtium videtur fuiſſe perſuaſio id nõ omnino repugnare naturis rerum: imo aliquando factam eſſe iſtiuſmodi conuerſionem: tunc videlicet, cum *Verbum caro factum eſt.* Auctorem nomino Eutychetem hæreſiarcham nobilem, qui hoc pacto in Chriſto vnam conſtituebat naturam: quam volebat reſultaſſe per conuerſionem humanitatis in diuinitatem. Hunc enim fuiſſe errorem Eutychetis putat & probat Franciſcus Suarez tom. I. in partem III. S. Thomæ diſp. 6. ſectione 2. At Robertus Bellarminus lib. III. de Incarnatione cap. 2. ſcribit, Eutychetem docuiſſe, vnam eſſe factam naturam ex diuinitate, & carne per conuerſionem diuinitatis in carnem. Quamuis non ita fuerit conuerſa in carnem, vt deſierit eſſe diuinitas. Itaq; diuinitatem recte dici natam, paſſam, mortuam. Aliud opinatur Gregorius de Valentia tom. 4. diſput. I. quæſt. II. p. I. vbi ait Eutychetem adfirmaſſe, vnam naturam conflatam ex vtraque, ſiue per conuerſionem humanitatis in diuinitatem, vt refert Theodoretus lib. 4. fabular. hæreticar. cap. 7. ſiue contra, per conuerſionem, diuinitatis in humanitatem vt ſcribit Gelaſius in li. de duabus naturis contra Eutychetem: ſiue per confuſionem, & quaſi mixtionem vtriuſque naturæ.

At Gabriel Vaſquez tom. I. in partem III. diſp. 14. cap. I. probat Eutychetem adſeruiſſe, in Chriſto poſt vnionem manſiſſe vnam naturam per compoſitionem ex duabus in ipſo permanentibus, non per conuerſionem vnius in aliam: quam compoſitionem Eutyches mixtionem appellabat. Quod etiam habet Alfonſus Caſtro verb. Chriſtus hæreſi 4. Et ſane ſi legantur Patrum ſcripta, ac hiſtoricorũ, qui de Eutychete narrationem inſtituunt horum omnium fundamẽta inſinuant. Quamuis ſuſpicari pronum ſit, eos non tantũ Eutychetis ſententiam, verum etiam, quæ eidem errori annexa erant, ex

eoque sequebantur, confutanda sunt fisse. Consule Baronium anno CDXLVIII. Prateolum verb. Eutychian: Sanderum hæresi CII Iacobum Gualterium in *Tabula*, seculo V.

Eutychetis hæresin suscitarunt superiori seculo Lutherani, qui vbiquitatem diuinitatis propriam, naturæ humanæ attribuunt, sicque duas saluatoris N. naturas permiscent. Item Menno, & Caspar Suenkfeldius, de quibus Lindanus in Dubitantio. Prætereа nonnulli Zuingliani, de quibus Eckius. Imo Lutherus & Caluinus vt demonstrat Gualterius.

Persimili deliratione transuersum actos est verisimile Mysticos illos, si qui fuere, quod à quibusdam refertur, qui existimarunt in vnione Mystica fieri animæ in diuinitatem transformationē. Vt enim Eutyches contendebat, carnem Christi de cœlo descendisse in vterum virginis, in eumque radiorum instar solarium penetrasse: & quidem eo pacto, vt in puncto incarnationis mutata fuerit caro in diuinitatem, vnaque substantia ex duabus coaluerit: ita ipsi fingunt, animam ad contemplationis diuinæ altitudinem euectam, & ingressam caliginis domicilium, dum inibi Deo, nexu arcano copulatur, esse desinere quæ erat, ac vere per conuersionem deificari.

RESPONDEO. Non posse in Deum quicquam quod creatum est conuerti. Conclusio certa est apud Scholasticos, qui illam probant tum p^a parte vbi demonstrant Deum esse omnino simplicem, non compositum, nec eius naturæ, vt possit venire in compositionem alterius. Tum parte III. *Tit. Incarnatio*, vbi ostenditur, rationibus qua Theologicis, qua Philosophicis neutram ex Christi naturis posse dici conuersam esse in aliam; aut potuisse conuerti. Item non posse ex humanitate, ac diuinitate vnam naturam coalescere. Breuiter

DEVS est immutabilis. Ergo nihil potest in illum conuerti. Antecedens est extra controuersiam. Consequentia probatur. Terminus conuersionis debet esse mutabilis. Quod sic declaro: Conuersio est transmutatio substantialis vnius in alterum. Itaq; versatur inter duos terminos positiuos, quorum alter sit à quo, & esse desinat: alter ad quem ex cuius positione prior destruatur. Hic autē nisi sit capax alicuius mutationis, non potest aut simpliciter esse incipere, aut alio modo esse quam antea, quod ad conuersionem est omnino necessarium. Quocirca optime S. Cyrillus epist. I. ad Successum scribit, nihil posse conuerti in Deum, quia Deus est omnino immutabilis, nec potest aliquid suscipere in se.

TER-

## TERTIA DISQVISITIO. An Anima in Vnione Mystica dici possit accipere Esse diuinum.

RESPOND. Hoc omnino videri necessarium ad Deificationem, seu Transformationem Mysticam: & sano sensu admitti posse. Sic enim absq; nota improbitatis conceditur à Scholasticis, dũ iustificatur homo, accipere illũ esse supernaturale: quod etiã contingit in altera vita per lumen gloriæ. Dũ itaq; Deo coniunctissima anima positis adfectibus humanis, nihil, nisi quod cæleste est, spirat, dum impletur diuinis splendoribus, ac per ardentissimos caritatis actus gratiæ plurimũ illi accedit, cur nõ Esse aliquid diuinum participare dici potest: ac sic quodammodo Deificari, seu Dei-formem fieri eo sensu, quo monet S. Petrus, vt efficiamur *diuinæ consortes naturæ*. Itaq; donamur naturæ diuinæ consortio: non quidem eo modo, quo Verbum à Patre naturam accepit ob quam causam Filium ὁμοούσιον: id est consubstantialẽ Patri dicimus, sed doni infusione, quo diuinam naturã participamus. Idem fieri in Vnione Mystica non male opinantur spirituales Magistri. In ea enim inquiunt naturale esse non amittit, sed diuinum recipit, quod naturale prorsus absorbet. *2. Petr. 1. 4.*

Declarant id exemplo ad popularem captum accommodato. Sicut pomũ, saccharo, aut melle conditum quoad naturam, ipsum quidem est, quod antea, sed quoad gustum, alimentũ, & vsum nõ est: quoniam igne & saccharo est in aliam conditionem mutatũ. Ita anima igne diuini amoris excocta, & admiranda suauitate condita, naturam quidem retinuit: sed vsque adeo est immutata, vt minimas etiã distractiones deposuerit: sicq; cælestis omnino ac diuina videtur. *Iac. Aluarez lib. 5. Par. 3. cap. 5.*

Ceterum contingit in ea feliciter, quod in corpore nunquam hic impletur: quodque fuit in optatis Apostolo Epist. II. ad Corinth. 5. 4. vbi, *Ingemiscimus*, inquit, *grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est à vita.* Id profecto secundum naturę desiderium nõ est hic implendum: nam nisi prius corpus ab anima separata fuerit, immortalitate non vestietur. At anima in transformatiua Vnione quamuis non spolietur antiqua cyclade, nouum tamen accipit habitum, & superuestitur. Non enim naturam propriam, nec libertatem, nec antiquum virtutum variarum cultum amittit, sed supra illum nouo splendore gratiæ vestitur, ac splẽdidissima luce, ardentissimoque amore, & dulcissima suauitate impletur, & illi quem totis desiderabat visceribus arctissimo, castissimoque complexu copulatur.

Ad hoc idem comprobandum, conferunt Exempla omnia quæ Exercitat. 6. enarrata sunt: nullum enim est, in quo non nouum aliquod esse, quod adueniat priore haud deperdito liceat designare. Habet igitur tunc anima esse diuinum, habet humanum: ita tamen vt vnum in alterum non conuertatur; neque vna, ex vtraque natura resultet. Sicut neque factum est per vnionem hypostaticam: ideoque quælibet suas proprietates retinet. Quod duabus similitudinibus populariter declarat Ioan. Damascenus lib. 4. de fide cap. 3. quæ huc faciunt. Rex & nudus adoratur, & indutus: purpura autem eius, vt nuda conculcatur, ac proiicitur: facta Regis amictus honoratur, & glorificatur: & si quis illam proterere præsumpserit, persæpe morte mulctatur. Ita & lignum nudum non est tactui inaccessibile: atqui igni coniunctum, & carbo factum non propter se ipsum; sed propter coniunctum ignem, inaccessibile fit: & non vt ligni natura tactu inaccessibile est: sed, vt carbo: id est, quando ignitum est lignum.

Haud secus Anima Deo per vnionem Mysticam copulata noua quadam fulgoris diuini purpura induitur, ob quam cum antea vilis esset, abiecta, & despectui, honoratur, & Angelis ipsis est suspicienda. Atq; vt lignum & carbo propter ignem intrinsecus & extrinsecus omnia occupantem, flammasque de se amoris diuini eiaculantem, tactu est inaccessibilis: aut si quæ sibi coniunguntur, illa inflammando ad idem esse diuinum amorosæ caritatis conatur conuertere.

## QVARTA DISQVISITIO. Fuerit-ne è Mysticis Doctoribus quispiam, qui docuerit in Vnione Animam desinere, & in Diuinitatem per Transformationem realem conuerti.

IOannes Gerson Parte 8. de Theologia Mystica Consideratione 41. scribit, hæresim Almarici, de quo Disquis. 1. nisum fuisse renouare Auctorem illius Tract. cuius Titulus est: De ornatu spiritualiũ Nuptiarum: & incipit: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Et addit Cancellarius Parisinus, se scripsisse dudum contra hunc errorem quandã Epistolam. Non nominat quidem hic, sed designat satis clare per notas Ioannem Rusbrochium, inter Mysticos Theologos nomen celebre: quem falso huius erroris insimulari à Gersone viri graues & in Theologicis optime versati arbitrantur. Patronos sane sui honoris nactus est Rusbrochius neq; paucos, neq; vulgares, Ioannem Schon-

haui-

hauiensem, Gerardum Hainon, Laurentium Surium. Dionysius quidem Carthusianus tanti eum fecit, vt alterum Areopagitam illum nominare haud dubitarit. Cardinalis Bellarminus, vocat Virum diuinæ Contemplationi addictissimum; quem carpserit Ioan. Gerson, defenderit autem Dionysius Carthusianus. *Id enim*, inquit, *accidere solet iis, qui scribunt de* Mystica Theologia, *vt eorum dicta ab alijs reprehendantur, ab alijs laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.* Sed plura de Rusbrochio in Elogijs Mysticorum.

*Tract. de sp. S. Secundo art. 13.*

*Catal. Scrip. Eccl.*

*Scriptores Theologiæ Mysticæ obtrectationibus obnoxij.*

Hic non omittendum quod ipse Gerson scribit loco indicato, Rusbrochium videri in aliis operibus suis errorem illum correxisse: *ponendo, quod anima contemplatiua semper remaneat in esse suo proprio, quod habet in suo genere: sed dicatur tantummodo similitudinarie* TRANSFORMARI: *sicut amatorum dicimus cor vnum & animam vnam: quod vtique concedimus.*

## QVINTA DISQVISITIO. An in Transformatione Mystica accipiat Anima Amorem diuinum substantialiter, quo amet Deum?

HÆc opinio, inquit Gerson, imponitur Magistro sententiarum, Petro Lombardo. Existimant sane plerique, Lombardum docuisse, Caritatem, seu Amorem, quo fidelis in Deum fertur, non esse quid creatum, sed ipsum spiritum sanctum inhabitantem in anima. Ex quo sequeretur, animam amantem Deum secundum principium actiuum, quo amat, non distingui à Deo. Verum inuenit & suos patronos Magister, qui illum ab eius absurditate sententiæ valide defendunt.

*Gerson. Consid. 41. Theol. Myst.*

Ex recentioribus Cardinal. Bellarminus Tom. 3. Controuer. lib. 1. cap. 8. de Gratia & lib. Arbitrio. Non sensit, inquit, Petrus Lombardus, vt quidam fortassis existimarunt, actionem diligendi, quam nos producimus, quæque Caritas actualis à Theologis appellatur, esse spiritum sanctum. Sed, quod docuit Lombardus, id fuit: causam, siue, principium proximum dilectionis Dei esse in nobis spiritum-sanctum: non autem habitum creatum, quales sunt habitus fidei, spei, ceterarumque virtutum. Itaque hoc interesse voluit inter Caritatē, aliasque virtutes, quod in istis, præter actionem, habitus etiam creatus reperiatur: in illa nullus sit habitus creatus: sed ipse spiritus-sanctus immediate nos moueat ad actionem diligendi.

At, ne sic quidem errasse Magistrum, contendit Scotus, in P.

Dist.

Dist. 17. q. 1. art. 3. vbi adfirmat, Lombardum non negasse simpliciter omnem habitum Caritatis: sed concessisse habitum quendam, tanquam dispositionem, ad hoc, vt Spiritus-S. habitet in hominibus. Et ideo discrimen esse inter Caritatem, & fidem ac spem: quod in his, præter dispositionem, ponantur habitus eiusdem denominationis distincti. Idem habet Lichetus Scoti affectator. Simile quid comminiscitur Argentinas, asserens, Magistrum admittere habitum gratiæ. Aureolus vero apud Bacconum in 1. Dist. 17. q. 1. ait, Magistrũ negare Caritatem esse formam permanentem à Spiritu-S. distinctã: non negare tamen influxum quendam Spiritus-S. secundum quem dicitur mentem inflammare, & ad actum reducere, sicut sol per radium solet aerem illuminare.

Arg. int. Dist. 17. q. 1. art. 2.

Nos hanc Controuersiam in Elogiis Scholasticorum componimus, hic dixisse contenti, Theologorum communi calculo reprobari eam sententiam, cuius, cuius, tandem fuerit, quæ asserit, ita trãsformari hominis animam siue dum iustificatur, siue dum in vnione Mystica Deo arcane coniungitur, vt operationes diuinas, non tam ipse, quam Deus essentialiter illi inhabitans eliciat: seu Caritatem qua immediate Deum, & proximum diligit, esse increatam, increati principij fætum.

Dicitur tamen recte Deus Charitas: nempe, eo modo, quo solet vocari Bonitas, Sapiẽtia, Misericordia, per essentiã. Quæ prædicationes indicant infinitatem, & consubstantialitatem Attributorum in Deo cum summa simplicitate instar abstractarũ formarum. Verũ Caritas est Deus, non qua diligimus eum, sed qua nos ipse. Quemadmodum sapientia est, & iustitia, non qua nos sapientes & iusti sumus. Porro, *Caritas substantia*, vt loquitur Bernardus, id est, Deus, *dat caritatem accidentalem:* dum efficit & infundit nostram creatam, & ad actualem, vt caussa princeps concurrit.

Epist. 11.

Illa, in Vnione Mystica, est accendens ignis, Contemplatiuorum ignis accensus. Quomodo Augustinus vocat Sapientiam & Iustitiam Dei, *Lumen illuminans:* hominum vero, *Lumen illuminatum. Sed quantũ interest inter Lumen, quod illuminat, & quod illuminatur: tantũ inter sapientiã, quæ creat, & istam, quæ creata est. Sicut & inter Iustitiam iustificantem, & Iustitiam, quæ iustificatione facta est.* Idem discrimẽ agnoscat Mysticus inter Caritatem, qua ipse amat Deum, & illam qua eũ Deus amat.

Aug. li. 12. Conf. ca 15.

Ceterum sicut qui est in lumine à sole producto dicitur esse in sole, & sol in eo: ita qui manet in Caritate, cuius auctor Deus, manet in Deo, & Deus in illo.

SEXTA

## SEXTA DISQVISITIO. Qualis transformatio & Deificatio fiat in vnione Mystica?

RESPON. Talem fieri, qualem describit Petrus Apostolus Epistola II. cap. I. ver. 4. per quam contemplatiui diuinæ efficiuntur cōsortes naturæ. quod consortium, vt explicat eo loco Lorinus, consistit in omni genere virtutis: & contingit per maxima & preciosa olim promissa, & in N. Lege fidelibus donata: per quæ intelliguntur, præter Christi Domini Incarnationem, doctrinam, passionem, merita, sacramenta, præsidia externa, & interna religionis, gratia, caritas, virtutes tum Theologicæ, tum morales infusæ: præcipue tamen gratia sanctificans: quæ re vna, virtute est multiplex. Ex ea namque pullulant quodammodo virtutes Theologales, dona Spiritus S. atque alij habitus operatiui: sicut è trunco rami, è fonte riuuli, ex anima proprietates. Hæc Deificatio tute à Mysticis asseritur: nec ab vllo, absque fidei dispendio, negari potest, vel oppugnari. Hāc quæramus, ad hanc adspiremus: quid minus certa, minus secura consectamur? Hanc si possideamus sorte nostra simus contenti, memores cōmonitionis M. Papæ Leonis, *vt agnoscentes dignitatem hanc nostram, qua diuinæ consortes facti sumus naturæ, nolimus in veterem vilitatem degeneri conuersatione recidere.* Cui paternæ adhortationi si obtemperauerimus in contemplationis deinde caligine, reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformabimur à claritate in claritatem tamquam à Domini spiritu. *Leo ser. I. de Natiui.* *II. Cor. III. 18.*

Neque aliam Deificationem agnouerunt Patres sanctissimi, quam, quæ per gratiam & caritatem, ac huius potissimum feruentissimos actus obtinetur; licet ijs vtantur nonnunquam loquendi formulis, quæ conuersionem in Deum, nempe metaphoricam, mysticam, ac figuratam, significare possunt. Quæ à scripturæ phrasi non sunt alienæ, in qua de hominibus Deus ipse enunciat.

Ego dixi Dij estis Psal. 81. 6. Ergo in Deum homo transformatur? Omnino. Quid Mysticos reprehendimus, quod conuersionem in diuinitatem introducant. Laude digni sunt si non aliam, quam oracula diuina docuerunt, confingant, commendandi, si eandem contemplationibus suis venentur. Quo modo autem istiusmodi obtinetur Deificatio? haud aliter, quam, quo filiatio diuina, à qua non distinguitur: per adoptionem & gratiam quæ diffunditur in corda nostra per Spiritum S. Ita quoq; Deus fit, Hieronymi sensu, ad quem fit Dei sermo, quod nullis magis, quam Mysticis conuenit. Item: qui *Homo Deus.* *S. Hiero. in Mich. c. II.*

humana vitia relinquens, conuerſationem diuinitatis imitatur. Præterea: qui exiliens ex hominibus, fertur in cælum. Adhæc: cui reuelantur diuina myſteria.

*In cap. 16. Matth.*

Auguſtinus autem tractatu 11. in epiſtolam Ioan. ita ratiocinatur: Quemadmodum, qui terram diligit, terra erit: ſic qui Deum, erit Deus. Quod non auderet ex ſe dicere, inquit, ſed quia Scriptura ita loquitur. At Philo Carpathius in Cantica capit. 4. colligit, caritate hominem effici Deum, quia Deus caritas eſt. Germanus vero Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Thom. epiſ. Deum fieri aſſerit, qui facit, quod Deo placet. Ambroſius: qui fidelis eſt, & probabilis vitæ. Nicetas Choniata: qui virtute, Deique cognitione ceteris præſtat: quod eſt proprium elogium Myſtici. Baſilius hom. 17. qui euaſit ſuperior carnis perturbationibus, virtutiſque ſtudio Deo ſe familiarem reddit & amicum. Quo ipſo depingere videtur Myſticum in caligine Deo intime coniunctum. Nazianzenus, & illius Scholiaſtes Nizetas oratione 20. num. 74. qui mandata Dei perfectiſſime ſeruat: horum enim exacta obſeruatio reddit Deo conformem.

*In Syn. 11. Nic. Act. 4. Amb. li. de Noe cap 4. Nicet. li. 4. Theſau. ca. 12.*

Verum hanc denominationem nonobuenire per transmutationem ſubſtantialem: & non conſiſtere in natura immutabili, & infinita, neque in omnipotentia, & creatione rerum præter alios notauit Origenes homil. 6. in Gen. Irenæus libr. III. capit. 6. & 21. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 11. Theodoretus Dialogo 1. & Athanaſius: ſeu quis alius auctor quæſtionum ad Antiochum: inter quas tertia eſt: quot ſunt Dij? Reſponſ. Vnus eſt Deus Deorum, & Dominus Dominantium, nec præter illum eſt alius, dicuntur tamen homines Dij ſed ex gratia. Gratia igitur hanc denominationem tribuit, non per realem transformationem animæ in diuinitatem Deificatio.

QVAM, qui ſomniabant, Bernardo potiſſimum, ceu patrono, gloriabantur, vt auctor eſt Gerſon. quaſi is, epiſtola ad Fratres de monte Dei, vbi ſolitudinis habet præconia, eam commendaſſet. Sed in Mellifluo Doctore nihil reperio, cui iſtorum inniti poſſit inſania. Imo, minus multo, quam patrum plerique, quos nominauimus, tranſmutationi reali fauet. Spiritualem vero vnionem, quæ adfectuum conformitate fit, vbique prædicat: & ea in epiſtola peculiariter, ſimul docens præclare, quid in vnione myſtica experiatur anima.

*Gerſon cóſ. 40 Myſt.*

Cum de his (inquit) quæ de Deo, vel ad Deum ſunt, cogitatur, & voluntas eo proficit, vt amor fiat, continuo per viam amoris infundit ſe Spiritus S. Spiritus vitæ, & omnia viuificat, adiuuans, ſeu in oratione, ſeu in meditatione, ſeu in tractatu infirmitatem cogitantis. Et conti-

continuo memoria efficitur ſapientia: cum ſuauiter ei ſapiunt bona Dei:& quod ex eis cogitatum eſt formandum in adfectu adhibet intellectui. Intellectus vero cogitantis efficitur contemplatio amantis: & formans illud in quaſdam ſpiritualis, vel diuinæ ſuauitatis experientias afficit ex eis aciem cogitantis: ille vero efficitur gaudium fruentis. Et tunc de Deo bene cogitatur ſecundum humanum modum: ſi tamen cogitatio dicenda eſt, vbi nil cogit, nec cogitur: ſed tantummodo in memoriam abundantiæ ſuauitatis Dei exultatur, iubilatur, & vere ſentitur de eo in bonitate ab eo, qui in ſimplicitate cordis quæſiuit illum.

Sed modus hic cogitandi de Deo non eſt in arbitrio cogitantis, ſed in gratia donantis: ſcilicet cum Spiritus S. qui vbi vult ſpirat, quādo vult, & quomodo vult, & quibus vult, in hoc adſpirat. Sed hominis eſt, jugiter præparare cor, voluntatē expediendo ab affectionibus alienis: rationem vel intellectum à ſolicitudinibus: memoriam ab ociofis, & negociofis: nonnunquam & à neceſſarijs occupationibus, vt in die bona Domini, & in hora beneplaciti eius, cum audierit vocem ſpirantis, ea quæ cogitationem faciunt, continuo libere concurrant ſibi, & cooperentur in bonum: & quaſi ſymbolum faciant in gaudium cogitantis: voluntas exhibendo in gaudium Domini puram adfectionem: Memoria materiam fidelem: intellectus experientiæ ſuauitatem.

Quibus verbis inſinuatur clariſſime duplex genus vnionis de quo ſuperius actum: nempe *Paſſiua*, quod eſt gratuitum plane, & ex mera Dei voluntate ſæpiſſime, abſque vlla præparatione, conceditur, & *Actiua*, quod à noſtra cooperatione plurimum pendet.

Magis explicat deinde Transformationem: dum docet fieri poſſe, vt voluntas, plus quam voluntas ſit, vt amor ſit, vt dilectio ſit, vt caritas ſit, ſicque vnitas ſpiritus. *Sic enim diligendus eſt* DEVS. *Magna enim voluntas ad* DEVM, *amor eſt, dilectio, adhæſio, coniunctio, ſiue coniunctio, caritas, fruitio. Vnitas vero ſpiritus cum Deo homini ſurſum cor habenti, proficientis in Deum voluntatis eſt perfectio, cum iam non ſolummodo vult, quod Deus vult: ſed ſic eſt non tantum adfectus, ſed in adfectu perfectus, vt non poſſit velle, niſi quod* DEVS *vult*: *Velle autem, quod vult Deus, hoc eſt, iam ſimilem Deo eſſe. Non poſſe velle, niſi quod Deus vult: hoc eſt, iam eſſe quod Deus eſt, cui velle, & eſſe, idipſum eſt. Vnde bene dicitur, quod tunc plene videbimus eum ſicuti eſt, cum ſimiles ei erimus, hoc eſt, erimus, quod ipſe eſt.*

At ne Deificationem, per conuerſionem ſubſtantiarum fingas, & adfingas Bernardo, excipe, quod ſequitur. *Quibus poteſtas data eſt, Dei filios fieri, data eſt poteſtas, non quidem, vt ſint Deus: ſed ſint tamen, quod*

*Deus est: sint sancti, futuri plene beati quod Deus est. Nec aliunde hic sancti, neq; ibi futuri beati, quam ex* DEO, *qui eorum & sanctitas & beatitudo est. Et hac hominis est perfectio: similitudo Dei.*

Similitudinem autem hanc facit triplicem: Naturalem, Moralem, Mysticam. Naturalem ait in eo consistere: quod sicut vbique DEVS est, & vbique totus est in creatura sua: sic & in corpore suo omnis viuens sit anima. Et sicut semper sibi indissimilis Deus indissimiliter dissimilia in creatura operatur: sic anima hominis, quamuis totum corpus viuificans in dissimili vita, in sensibus tamen corporis, & incogitationibus cordis indissimiliter operatur assidue dissimilia. Hęc nullius est meriti, cum non sit voluntaria.

Est ergo alia moralis, quæ in virtutibus constituitur: qua animus virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem: & perseuerantiæ in bono constantiæ æternitatis eius incommutabilitatem.

*Super hanc, alia est similitudo Dei*, quæ Mystica, & Mysticorum; *in tantum proprie propria, vt non iam similitudo: sed vnitas spiritus nominetur, cum sit homo cum Deo vnus spiritus, non tantum voluntate volendi idem: sed expressiore quadam vnitate virtutis, aliud velle non valendi. Dicitur autem hac vnitas spiritus, non tantum quia efficit eam, vel adficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus: sed quia* IPSA IPSE EST SPIRITVS SANCTVS, DEVS CARITAS: *cum per eum, qui est amor Patris, & Filij, & vnitas, & suauitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quicquid commune potest esse amborum in summa illa vnitate veritatis, & veritate vnitatis. Hoc idem homini suo modo fit ad Deum quod, cum substantiali vnitate Filio est ad Patrem vel Patri ad Filium: cum in amplexu, & osculo Patris & Filii mediam quodammodo se inueniat beata conscientia, cum modo ineffabili, incogitabilique meretur homo Dei non* DEVS. *Sed tamen, quod* DEVS *est ex natura, homo ex gratia.*

Ex quibus sane, & ijs, quæ postea subiungit, nullam aliam Deificationem elicies, quam quæ fit per caritatem aliasq; virtutes, ac adflatus diuinos. Vt merito alibi dicat Bernardus, non aliam quærendam sponsæ cum Deo sponso necessitudinem, vel cõnexionem, præter amare, & amari, quia sponsus iste non modo amans, sed & amor est. DEVS caritas est. Euehimur quidem etiam per alia dona diuina ad ordinem supernaturalem & esse quoddam diuinum: tamen ratione caritatis, quæ si à gratia distinguitur, nunquam ab ea est separabilis, diuinæ consortes efficimur naturæ modo magis proprio, secundum quem Spiritus Sanctus, totaque Trinitas habitat in nobis adfectu, atq; effectu. Hanc Deificationem si constanter in hac vita possideant Mystici, forte sua non tantum contenti esse possunt, sed & gloriari.

*Serm. 33. in Cant.*

Tan-

Tandem, à Deificatione est Deiformitas, quæ æquè frequenter nominatur à Mysticis: sed aliud non significat, quam Diuinitatis per dona supernaturalia participationem. Eam obtineri in Vnione docet Taulerus cap. 12. Institut. *Hic*, inquit, *spiritus à Deo in admirabilem lucem suam deducitur, rapiturque ita vt natura in quandam* DEIFORMITATEM *eleuetur.*

---

# EXERCITATIO IX.

## *ANNIHILATIO MYSTICA.*

ANimam Contemplatiui in Vnione Mystica, non solum desinere esse; sed & ANNIHILARI, phrasis est Mysticorum: nemo offendatur, nemo supercilium morose contrahat, nemo expuat: quælibet ars suis gaudet vocabulis: nulli artifici fraudi est vti artis suæ terminis. Audi Mysticæ Theologiæ Magistrum, & scriptorem, Henricum Harphium.

*Quando duo specula contra se inuicem tenentur tunc vnum recipit in se totaliter imaginem alterius, cum imagine sui ipsius alteri speculo iam impressa. Sic etiam fit in Anima & Deo, nimirum speculis intellectualibus. Quia quando impletur illud libri Cantici Canticorum. Dilectus* meus mihi, & ego illi: *Et, A*d me conuersio eius: *tunc hæc duo intellectualia specula, scilicet, æternitatis Dei, & humanæ mentis contra se posita sunt. Quando igitur* Deus *Animam clarificare vult lumine gloriæ, tunc recipit Anima in se perfectè imaginem, & claritatem, cognitionem, & fruitionem Dei, & cum hoc suam propriã cognitionem, & fruitionem in Deo, multo perfectius, quam materialia specula: quia illa manent semper essentialiter à se inuicem disiuncta. Sed Anima, quam cito recipit gloriosam illam imaginem æterni speculi in sua incomprehensibili claritate, eodem momento vnitur eidem incomprehensibili, glorioso, claro, diuino speculo, & in eo* ABSORBETVR, DILATATVR, & ANNIHILATVR, *sicut se vnit, &* ANNIHILATVR *gutta aquæ cadens in amphoram vini, aut scintilla volans in magnum immensumque ignem.*

Henr. Harphi. lib. II. Theolog. Myst. cap. 33. Cant. 7.

Loquitur autem Harphius de effectu Vnionis Mysticæ. Nec te moueat, quod nominet Lumen gloriæ. Nam ipsam illam lucem inaccessibilem, quam in caligine contemplantur, & solis increati radios, quibus illustrantur, Lumen Gloriæ appellant Mystici. Et subdit paulo post idem *A*uctor: concipere ex dictis similitudinibus

hominem desiderium, vt eo modo vniatur Deo: illud autem fieri exercitio amoris, cuius natura est, optare, de duobus vnum efficere. vocari autem illud exercitium vnitiui amoris.

Hæc si proprie accipiantur de ANNIHILATIONE, manifestā continent absurditatem: imo errorem fidei catholicæ contrarium, vt ex disputatis superiore Exercit. liquet. Animæ substantia in vnione Mystica non desinit esse. Ergo neque *Annihilatur*. Tunc enim res quæpiam annihilari proprie dicitur cum ita totaliter corrumpitur, ac esse desinit, vt nihil illius remaneat. Imo, etiam si vera esset fictio quorundam, quam supra improbauimus, quia fidei & Philosophiæ scitis aduersa est: Animā esse desinere, & in Deum conuerti, dici non posset, quod annihilaretur. Nec enim, quod conuertitur in aliud annihilatur. Ob quam causam docent Scholastici, panem eucharisticū in consecratione sacramentali non annihilari. Ita S. Thomas 3. P. q. 75. art 3. Alensis Parte 4. q. 38. Mem. 3. Altisiodorens. li. 4. Sum. Tract. 5. cap. 2. Hugo Victor. lib. 11. de sacram. part. 8. c. 9. Henricus Quod. 9. q. 9. Quodl. 11. quæst. 4 Ægidius Theorem. 1 & 34. de Eucharist. Albertus, Bonauentura Richard. Capreolus Paludanus cum Magistro in 4. Dist. 11. ex recentioribus Franciscus Suarez, Gregorius Valētia, Gabriel Vasquez, Henriquez, Coninck ad Partem 3. S. Thomæ q 75. Quod enim conuertitur, non annihilatur. Conuersio enim est mutatio, vel actio positiua, ac realis: annihilatio vero, quæ opposita est creationi, fieri debet per meram suspensionem influxus diuini: quomodo non desinit Panis Eucharisticus, sed ex vi actionis positiuæ & physicæ, quam in Exercitationibus Scholasticis fuse probauimus. Multo autem minus ita desinit Anima dum vnitur Deo.

Neque hoc in mentem venire potuit sobrie sapientibus Mysticis, qui Annihilationem, memores sui nominis, & professionis, intelligunt Mysticam: idest, figuratam, impropriam, moralem, non physicam. Cum enim Annihilari, ex vi vocis, idem sit quod in nihilū redigi: qui ita mutatur, vt nihil præcedentium consuetudinum, nihil imperfectionum, nihil desideriorum carnalium retinere videatur, hoc modo annihilari dicitur. Est enim alius, quam fuit: non tam per conuersionem mutatus, quia vitia non conuertuntur in virtutes, quam per annihilationem: amore vnitiuo, ita omnia absumente, vt ne cinis quidem, ex stipula, quam ambussit, remaneat.

Nec turbet quempiam vox, ANNIHILATIO: vtitur, si non illa, totidem syllabis concepta, certe per periphrasim expressa Scriptura diuina. Nonne Dauid ad *Nihilum* se redactum conqueritur? id est, *Annihilatum. Ego ad* Nihilum *redactus sum:* Psal 72. 21. Quod sensu mysti-

co Bernardus accommodat sibi & peccatoribus, qui ad nihilum redigun tur:id est, ad peccatum. Deum solũ esse qui absolute sit, ipsiusmet ad Mosen testimonio:nos propter nostrum Nihilum corde confractos esse, & corpore diffluere in voluptates, in amaritudines ; habere innatam culpam, pœnam cognatam : totos fluidos & eneruces esse:non videri participationem, & conuentionem nobis , qui non sumus, ad illum qui est:tam diuersa non posse copulari nisi adhæreamus Deo. Quod fit vnione amorosa, & amore vnitiuo, in quo annihilati prius per peccatum, esse accipimus nouum, supernaturale, diuinum, diuinæ naturæ participes. *Ber. Ser. de trip. cohær. vincul. Exod.3.14.*

In eadem etiam *Annihilamur* per abyssalem deiectionem submissionemque nostri, & extremam humilitatem coram supremo, & superexaltatissimo Numine. Quem sensum suggerit S. Hieronymus, qui verba illa Psalmi; *Ad nihilum redactus sum*, de Christo interpretatur, qui se humiliatum extreme dicat:eaque de humiliatione voluntaria, vt magnificetur Deus exponit in eundem Psalmum Remigius. Et quid magis proprium humiliantis se, quam Annihilari? ad Nihilũ se deducere, & in Nihilum redigi. Vt enim recte monet S. Bernardus: Humilitas duplex est:altera cognitionis, altera Affectionis, quæ dicitur Humilitas cordis:priore cognoscimus , quod *Nihil* sumus, & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria:posteriore amamus coram Deo Nihil fieri & quantum est in nobis , ita nos abiicimus, ac si Nihil essemus. An non hoc est Annihilari. Hæc Mysticorum sit ANNIHILATIO, Christianis omnibus , etiam extra Caliginem optanda, & nunquam non procuranda. *Ser. 4. de Aduen. & Ser. 42. in Cant.*

---

## EXERCITATIO X.

## *MORS ANIMÆ MYSTICA.*

NOn minus male audiunt Mystici, apud imperitos occultioris disciplinæ, propter Mortem Animæ , qua in Vnione arcana cum Deo, contingere scribitur, quam propter Annihilationem. Quomodo, inquiunt, Anima moritur? Ergo, cum Saducæis, quibus nullus spiritus erat incorruptibilis, mortalem esse animam censebimus? Ergo, Animam etiam ante corpus interire dicemus , iis peiores qui cum corpore extingui arbitrabantur? Ergo, hominum animas pecudum animabus similes constituemus, quod fecerunt olim Thnetopsychitæ? An Pontificem Romanum cum Luthero arguemus , quod Animam *Matth. 22. Actu. 23. Eusob. li. 6. Hist. c. 27. Aug. hær. 81. Damasc. lib. de Hæres. Luth. art. 27.*

*Sap. 11. 1. Ecc. 111. 19. S. Tho. 1. P. q. 75. art. 6 ad 1. S. Greg. lib. 4. Dial. c. 4. Eccl 3. 20. Sap. 2. 23. ἐν ἀφθαρσίᾳ ad incorruptionem*

mam humanam immortalem esse definierit? An Mystici sunt ex eorum numero, qui voluptatibus huius vitę dediti dicebant cogitantes apud se non recte apud Sapientem: *Ex nihilo nati sumus: & post hoc erimus, tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris: Et* per Ecclesiasten *Vnus interitus est hominis & iumentorũ, & aqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, & illa moriuntur: similiter spirant omnia: & nihil habet homo iumento amplius.* An dicunt Mystici cum improbis vtramque hominis partem designantes: *Omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt, & ad terram pariter reuertuntur.*

*Ad naturam non interiturã. Eccl. 12. 7. Sap. 11. Sap. 4. Epist. 11. Corinth. 5. Cap. 4. de diuinis nom. Part. 1.*

Non tumultuemur: non irritemus Mysticos, pacificam gentẽ. Noruntilli non minus, quam Scholastici: Deum *creasse hominem inexterminabilem: quo ad Animam. Reuerti puluerem in terram suam, vnde erat, & spiritum redire ad Deum, qui dedit illum. Iustorum animas in manu Dei esse, & non tangere illos tormentum mortis.* Videri quidem oculis insipientiũ mori, sed reuera illos esse in pace. Iustũ, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio, quo ad animam esse. Sciunt æque ac alij Theologi, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis.* Non ignorant, quod habet Mysticorum Princeps Dionysius: *Post Angelicos spiritus animas per supremam bonitatem consistere, quod scilicet intellectuales sint, & habeant substantialem, immortalemque vitam.*

*Mors multiplex.*

Tamen ijdem Mortem aliquam Animæ celebrant: aliquam dico. Est enim mors multiplex. Est Mors naturalis, physica, vulgaris: quæ est vitæ naturalis priuatio. hanc Mysticorum nemo Animæ adscribit, cum illius non sit capax. Est Mors moralis, quam alij Philosophicam vocant, Virtutis alij: cuius Mortis commentationem iugem totam Philosophorum vitam dixit esse Plato. Hæc à quibusdam Spiritualis, ab aliquibus Transformatoria: à nonnullis Mors gratiæ: sæpe vno vocabulo Mortificatio nuncupatur. Ea propria est animæ, qua moritur dum à corporearum rerum adfectu & vsu immoderato se segregat: & mortificat membra sua, quæ sunt super terram: carnem suam crucifigens cum vitiis & concupiscentiis: mortificationem Iesu CHRISTI semper circumferens. Hac moritur peccato: & viuit Deo, quam optat perfectionis amans, & dicit cotidie: *Moriatur anima mea Morte iustorum.* Hanc Ambrosius Mysticam vocat libro De bono Mortis ca. 11. vbi hanc facit partitionem. Mortis tria sunt genera. Vna Mors peccati est, de qua scriptum est: *A*nima quæ peccat ipsa morietur. *A*lia Mors Mystica, quando quis peccato moritur & Deo viuit: de quo ait *A*postolus: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismũ in Mortem. Tertia Mors, qua cursum vitæ huius & munus explemus, id

*Coloss. 3. Galat. 5. 11. Corin. 4 Num. 23. Ezech. 18. Rom. 6.*

id eſt, animæ corporiſque ſeceſſio. Eſt præterea mors culpæ, cuius etiam ſubiectum eſt anima, quæ illa priuatur gratiæ vita, imo Deo, quo magis ipſa, quam corpus Spiritu viuit. O mors metuenda. Eſt tamen multorum. Nonne enim *peccatum, cum conſummatum fuerit, generat mortem?* Nonne *vidua, quæ in delitiis eſt, viuens mortua eſt?* Nonne *ſi ſecundum carnem vixerimus, ita moriemur?* Nonne *homo per malitiam occidit animam ſuam?* Nonne *anima quæ peccauerit, ipſa morietur?* Nonne, *os quod mentitur occidit animam? Quamuis enim humana anima veraciter immortalis habeatur, habet tamen quandam etiam ipſa mortem ſuam*, inquit veriſſime Auguſtinus. Et *multi incorporibus viuis animas mortuas portare noſcuntur.* Iacob. 1. 1. Tim. 5. Rom. 8. Sap. 17. Ezech. 18. Sap. 1. Aug. li. 13. de Ciu. ca. 2. Aug. ep. 20

Ab hac morte tam procul ſit oportet Myſticus, quam à peccato, ne incidat in aliam mortem, quæ Gehennæ dicitur, & eſt perpetua, quam Lactantius definit æterni doloris perpeſſionem: aut, ſi mauis, deſcribas: Damnationem vltimam, quæ & mors ſecunda vocatur, ac excludit à republica cæleſti. Et hæc animam tangit, ſed in altera vita: nec eſt illa quam myſticam vocamus, quæ huius eſt vitæ, & in vnione contingit, ſi non ſit ipſa Vnio, aut illi aliquid arctiſſime cōnexum. Certe, S. Bernardus altiſſimam illam in caligine contemplationem, quæ vnitiuo amori coniuncta eſt, & ecſtaſim complectitur, nunc ſomnum, & dormitionem, nunc mortem indigitat. Lib. 1. inſt. cap. 13.

Diſſerit de ea diuine ſermone 52. in Cantica, qui inſcribitur: *De exceſſu, qui contemplatio dicitur, in qua ſponſus facit quieſcere animam ſanctā pro eius quiete zelans.* Dicebat ſponſus: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam quo adúſque velit.* Prohibentur adoleſcentulæ, inquit Bernardus ab infeſtatione ſponſæ dormientis, ne ſcilicet præter voluntatem ipſius vllatenus eam excitare præſumant. Sed dicamus, ſi poſſumus, quiſnam ille ſit *ſomnus*, quo dilectam ſuam ſponſus obdormire velit, nec patiatur omnino, niſi ad ipſius arbitrium excitari: ne forte, cū legerit quis apud Apoſtolum: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: ſiue apud Prophetam, exorari ab ipſo DEVM, illuminari oculos ſuos, ne vnquam obdormiat in morte, nominum æquiuocatione turbetur, nec inueniat omnino, quod digne de dormitione ſponſæ, quæ hoc loco memoratur, ſentire poſſit. Nam nec illud quidem ſimile eſt huic, quod de Lazaro ait in Euangelio Dominus: Lazarus amicus noſter dormit: eamus, & à ſomno excitemus eum. Hoc enim dicebat de morte corporis eius, cum diſcipuli de dormitione ſomni dictum putarent. Rom. 13. Pſal. 12. Ioa. 11.

Non eſt autem is ſponſæ ſomnus, dormitio corporis, vel placida, quæ ſenſus carnis ſuauiter ſopit ad tempus; vel horrida, quæ funditus vitam tollere conſueuit. Multo magis vero, & ab illo alienus

existit, qua obdormitur morte: cum videlicet in peccato, quod est ad mortem, irreuocabiliter perseueratur. Magis autem istiusmodi vitalis, vigilque sopor sensum interiorem illuminat, & morte propulsata vitam tribuit sempiternam. Reuera enim dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat.

Est & Mors (quod non dubius dixerim) quoniam Apostolus quosdam in carne adhuc viuentes commendando sic loquitur: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum CHRISTO in Deo. Proinde & ego non absurde sponsæ ecstasin vocauerim mortem: quæ tamen non vitæ, sed vitæ eripiat laqueis, vt possit dicere: Anima nostra, sicut passer erepta est de laqueo venantium. Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur: qui vtique toties non timentur, quoties sancta aliqua & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur. Si tamen eo vsque mente secedat, & auolet, vt & hunc communem transcendat vsum, & consuetudinem cogitandi: Etenim frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, etsi non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?

Coloss. III. — Psal. 123. — Prou. I.

Vtinam hac MORTE ego frequenter cadam, & euadam laqueos mortis: vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta: vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea MORTE iustorum; & nulla illam illaqueat fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona MORS, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona qua non corpus cadit sed anima subleuatur.

Iam, vt minus traducamus Mysticos, tanquam doctrinæ minus tutæ magistros, eandem mortem Bernardus vocare audet Angelorum, & optare conceptis verbis: Moriatur anima mea MORTE: si dici potest Angelorũ. Quænam illa Mors? vt præsentiũ memoria excedens rerũ se inferiorũ, corporearumq; non modo cupiditatib. sed & similitudinib. exuat, sitq; illi pura cũ illis conuersatio, cum quib. est puritatis similitudo. Talis, vt opinor, excessus, aut tantũ, aut maxime CONTEMPLATIO dicitur. Rerũ etenim cupiditatib. viuendo nõ teneri, humanæ virtutis est: corporũ vero similitudinib. speculando nõ inuolui, Angelicæ puritatis est: vtrumque tamen diuini muneris est; vtrumque excedere: vtrumque teipsum transcendere est. Sed longe vnum, alterum non longe. Beatus, qui dicere potest: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Non fuit contentus exire, nisi & longe se

Psal. 54.

ge se faceret, vt posset quiescere. Transilisti carnis oblectamenta, vt minime jam obedias concupiscentijs eius, nec tenearis illecebris: profecisti: separasti te: sed nondum elongasti, nisi & irruentia vndiq; phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate praeualeas. Hoc autem contingit in vnione Mystica, in qua requiem animae contemplanti promittit Bernardus, modo moriatur non morte solum iustorum hominum; sed & bonorum Angelorum. Quae Mors paucissimorum est, & selectorum, ac singularis gratiae. Qua dum mori animam in vnione adfirmāt Mystici, nihil à fidei dogmatis alienum, nihil non Sanctorum Patrum, sapientissimorum que virorum probatae doctrinae consentaneum enunciant.

*De hac morte S. Bonauentura in itinerario mentis* in DEVM accipit illud Iob. 7. 15. *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* Quam mortem, inquit, qui diligit, videre potest DEVM, quia indubitanter verum est: *Non videbit me homo & viuet* Exodi 33. Moriamur ergo, & ingrediamur in caliginem: imponamus silentium solicitudinibus, concupiscentiis, & phantasmatibus. Transeamus cum Christo crucifixo ex hoc mundo ad Patrem, vt ostenso nobis patre dicamus cum Philippo *sufficit nobis.* *Bona. itin. cap. 7.*

Ex his liquet inter Canones Theologiae Mysticae bene referri à Ioanne à IESV MARIA hunc tertium decimum. Animam mori, propriam formam amittere, spiritum viribus, actioneue destitui à Deo (sine proprio scilicet concursu) agi, & id genus alia amantibus frequentissima, si naturam rerum spectemus, (hoc est, si proprie accipiantur falsa) si affectum, id est, figurate, vera dicemus. Philosophus enim non accusatur mendacij, quod animam potius vbi amat, quam vbi animat, esse protulerit. Nec Paulus, quod se viuentem non viuere, quasi eius vitam Christi praesens vita perimeret, adfirmarit.

---

## EXERCITATIO XI.

## *LIQVEFACTIO ANIMAE MYSTICA.*

POst annihilationem & mortem animae mysticam, sensu Catholico, stabilitam; quid proferri potest à Mysticis, tam insolens, quid tam inopinabile, quid tam paradoxum, quod iustam aequi iudicis reprehensionem mereatur, quodque defendi non possit percommodè? Sunt tamē aliqua, quae nisi explicatione opportuna leniantur, nō

nihil acerbitatis continere videntur, quæ mitiganda est, ne delicatulorum dentes obstupescant.

Vnionem ipsam Mysticam, esse Liquefactionem animæ: vel, in illa, animam liquefieri, secretum est subtilioris doctrinæ: Si phrasim spectes, nihil ea sacratius: nam sic loquitur in hac ipsa materia cælestis sponsa, quo nomine hominem intellige mysticis exercitationibus deditum: *Anima*, inquit, *mea liquefacta est, vt loquutus est*, Canticorũ 5. 6. si sensum attendas: quid illo magis accommodatum amanti? Liquefactio opponitur congelationi. Quæ congelata, constricta sunt, vt non admittant quidpiam aliud quod se insinuet. Amoris autem est coaptare appetitum ad receptionem boni amati prout amatum est in amante. Quocirca cordis congelatio vel duritia repugnans amori, sicut & liquefactioni, quę est mollificatio cordis qua exhibet se cor habile, vt amatum subintret in amantẽ. Est igitur amor liquefactiuus, vt animaduertit Doctor Angelicus disputãs de amoris effectib. pª II. quæst. 28. art. 5. Et quidem Metaphorice, si ad ipsum motum appetitus liquefactionem referas, vt monet Gregorius de Valentia tom. II. disp. III. qu. II. punct. 2. Proprie tamen etiam aliquando, si spectes immutationem corporalem, quę est coniuncta cum passione amoris, vt colligitur ex eodem S. Thoma, tum ibidem, tum qu. 48. art. 2. Et D. Gregorio, qui tum Canticor. 5. tum hom. 25. in Euang. Liquefactionem sponsæ de vehementia diuini amoris declarat, ita vt mens in largissimas lacrymas colliquescat.

Audit vocem sponsi in caligine mystica, cælestium amator, nec tamen videt facie ad faciem, quod vnice desiderat: non se continet in tam angusto habitaculo anima: erumpit & ad sponsum auolat. Hoc est liquefieri, si LXX. Interpretum sequamur expositionem, & Symmachi, qui per *egrediendi* vocem, liquefactionem dilucidant. Vel, vt honor sit interpreti latino, anima nimio amore soluta vt cera solet liquefacta, diffluit.

Et sane refertur totus ille versus, vbi de liquefactione animæ sponsæ agitur, ad contemplatiuum, qui in contemplationis monte conatur DEVM vel intelligentia comprehendere, vel amore: dicit enim: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt loquutus est: quæsiui, & non inueni illum: vocaui & non respondit mihi.* Quæ artificiosissime tres patres apud Theodoretum & Psellus, ac D. Nyssenus accommodant DEVM in contemplatione quærenti, & semper, ac semper vlterius contendenti. Hic enim manibus myrrha plenis: id est, mortificatis vitijs aperit ostium regni: admouet manus id est, opera iungit claustro fidei: per-

rumpit

rumpit caliginem,quam ingressus est,& sperat se visurum desideratam sponsi faciem.

Hoc erat Mosis,nebulam inhabitantis,votum,cui tot à Deo collata beneficia,tantum honoris,ac potestatis non sufficiebant,nisi & Dei faciem videret. Sed obtinuit,quod Mystici in vnione. In petra illum præteriit Deus,& tantum posteriora videre permisit:declinauit,& transijt. An-non putas liquefactám Mosis animam, & egressam,vt sponsum sequeretur ad vlteriora ducentem? ô felicem Liquefactionem,ô,optandum egressum: Quærebat tamen subinde Dilectum,sed non vt videre desiderabat inueniebat. Quomodo .n. inueniret in creaturis,qui auctor est creaturarũ,& infinite distat à creaturis;quemque nulla creatura plene potest exprimere? non forma,non color,nõ qualitas,non quantitas,non substantia,non locus, nõ tẽpus, non similitudo,non coniectura,non scientia,non proportio: denique nihil,quod non sit ipse. Frustra omnis cogitatio,inquit Anima, frustra omnis ratiocinatio incomprehensibilem nititur comprehendere. *Vocaui,& non respondit mihi:* quia proprio illum nomine non vocaui,cum sit ineffabilis. Quod nomen Deo dent creaturæ, vt essentia illius perfecte indicetur? *Exo. 33.*

Excogitaui cum Mose & Dauide,ac multiplicaui nomina: Miserator,Misericors,Lõganimis,Iustus,Verax,Patiens,Fortis,Robur, Firmamentum,Refugium,Adiutor,Cornu salutis, Vita, Spes mea. Pulchra nomina,& magnifica:sed quorum nullum, nec simul omnia,quamuis innumera alia addantur,magnitudinem,& dignitatem Dilecti adæquet. Vt exclamare sit necesse: Quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Itaque quid frustra quæro nomen, quod est admirabile? *Ps. 8. 2. Iud. 13. 19.*

Quem intelligentia se non posse comprehendere animaduertit Anima,amore nititur amplecti ac stringere: sed & hic superatur. Pessulum quidem ostij sui aperit, quia reiectis corporearum voluptatum illecebris aditum sponsæ parat, & vt ingrediatur, inuitat. Quod vt facere non cesset amatrix,& ne sibi confidat, ac suis meritis, aut præsumat illum proprio labore comprehendere, *transit & declinat.* Sed dissimulanter,& vt amantes solent, Fingit se longius ire, vt rogetur impensius,studiosius inquiratur, diligentius conseruetur. Sed vt recessit,mox redit,ne diutius anima amoribus vacans à Dilecto alienetur. Ideo arcano plane modo,desideranti,& anhelãti animę se infundit,& infundẽdo LIQVEFACIT,quia omnẽ cordis duritiẽ dissoluit: & rapit ad cælestium gaudiorum contemplationem. Quorum solus gustus adeo amantem adficit vt quicquid est in corpore *S. Gregor. Philo.*

 humo-

humorum liquefieri videatur & in lacrymas amoris resolutum, diffluere, & in amantem velut in fontem vel alueum exonerari.

Est enim, vt præclare notat Gulielmus Canticorum interpres hoc inter corporalem *Liquefactionem*, & spiritualem discrimen. Quod res corporeæ cum per calorem extrinsecum liquefiunt, in semetipsas resoluantur, animæ vero, cum per calorem intimum liquefiunt, non in semetipsas resoluantur, sed in resoluentem. Resoluantur à semetipsis, sed non in semetipsas. Resoluuntur igne Dei ab amore sui in amorem sponsi cælestis. Quod D. Paulus insinuans. *Qui adhæret*, inquit, *Domino vnus spiritus est*. & suam animam hoc modo liquefactam indicans. *Viuo*, inquit, *ego: iam non ego: viuit autem in me* CHRISTVS.

1. Corin. 6. 17.
Galat. 2. 20.

LIQVEFACTIONIS huius mysticæ exemplum dat Gulielmus scite in Deipara, Angelum Incarnationis nuncium audiente. Cui dum operam daret, Dilectus, inspirando, inquit, misit ignem in ossibus Dilectæ: quia ignitum eloquium eius vehementer. Hoc emolliuit cor eius ad consensum, & emolliuit vsque ad LIQVEFACTIONEM propter stupendam nunciatæ rei nouitatem. Humana ratio diuinæ auctoritati perfecte cessit.

Quæ liquefiunt, salua substantia, formam propriam per resolutionem amittunt: vt in mente Virginis fides mysterij formaretur, humana ibi ratiocinatio informis quodammodo facta est: Etenim quia magnum illud pietatis Sacramentum, non contra, sed supra rationem est, fide eius ratio in mente Virginis non est perempta: sed, stupore miraculi, quasi resoluta, saluaque substantia, formam propriam, per Liquefactionem quasi amittens: vt iam non humanæ ratiocinationis scientia: sed diuina fides totam occuparet. Animalis quoque sensus, fortiter, & suauiter ex ardescente illo igne, qui non est ad consumptionem, calore Spiritus-Sancti elanguit: vt iam nihil, nisi spirituale, & Mysticum, perciperet. Homo eius interior, magno illo Spiritus-Sancti superuenientis incendio, resolutus in semetipso elanguit, vt fortius vigeret in Deo, formam quodammodo suam amisit. A semetipso resolutus, sed non in semetipsum: sed in amorem illius, quem concipiebat, vnus cum illo spiritus excellenter effecta. O grande miraculum! In quem transformata erat, cum quo vnum erat, hunc quærebat.

Quod miraculum renouatur quoties in Vnione arcana liquefactam animam suam deprehendunt Mystici, & quærunt solicite cum quo sunt vniti, imo vnus spiritus. Quærunt sed non inueniunt. quærunt per fidem, qui non inuenitur perfecte, nisi per speciem. Quæ-

Quærunt faciem Diuinitatis: sed non inueniunt, nisi lucem inaccessibilem. Vocant, sed votis non respondet: In votis est, *Inebriari ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius saturari:* sed respondetur vt sustineat paullulum: interim musto bonæ voluntatis se proluat, & in vnione mystica conquiescat. Ps. 104.4.

Liquefactio symbolica.

Ita de Liquefactione Animæ Mystici disputant: consentanee omnino diuinis Scripturis, in quibus, Liquefactione, tanquam effectu ignis, vel ardoris, exprimitur quod vel Amor, vel dolor, vel pauor, vel præsentia Numinis in anima solet efficere. Psalmo 21.15. *Factum est cor meũ tãquam cera liquescens.* Isa. 51. 6. *Cæli, sicut fumus, liquescent.* Iudith. 16. 18. *Montes à fundamentis mouebuntur cũ aquis: petræ sicut cera liquescent ante faciem tuam.* Psalmo 96.5. *Montes sicut cera, fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.* Iosuæ 7.5. *Pertimuit cor populi, & instar aquæ, liquefactum est.* Michæ. 1.4. *Consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis, & sicut aqua, quæ decurrunt in præceps.* Psalmo 57. præcedit *Annihilatio: Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens:* tum subiungitur Liquefactio: *sicut cera, quæ fluit, auferentur* Ps. 57. 8.9. Psal. 67.3. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis: sic pereant peccatores à facie Dei. Psalmo 74.4. *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea.* Vbi Liquefactio deriuatur ad habitatores terræ: vnde vertit Paraphrastes: *Liquefacti sunt incolæ terræ, & omnis habitator eius.*

Transfert hanc Liquefactionem Hugo Cardinalis ad Ecclesiam, hoc intellectu: Liquefacta est terra: id est, Ecclesia: nam prædicantibus Apostolis aliisq; viris Apostolicis, terra versa est in ceram: hoc est peccatores molliti sunt, ac purificati. Notat idem, non omnes esse æque ad Liquefactionem idoneos: imo quosdam nunquam liquefieri. Exemplis id à rebus materialibus desumptis declarare haud difficile est. Constat non liquefieri vnquam lateres: aliqua tarde, vt ferrum, & æs: nonnulla cito & vtiliter, quæ Mysticorum sunt symbola, inter quæ principem locum habet Aurum: alia citius, sed parum vtiliter, vt plumbum: omnium citissime, & cum damno, argentum viuum. Totidem sunt differentes animarum formæ: è quibus illæ minus sunt ad impressiones cælestes idoneæ, quæ raro: illæ minime, quæ nunquam liquescunt. Quod hominum est obstinatorum; quibus cor *induratur, quasi lapis: & coagulatur sicut lac.* id mali est ominis. Nam *cor durum male habebit in die nouissimo.* Iob. 41.15. Ps. 118.70. Eccl. 3.27.

Quomodo liquescit in Vnione Mystica animus? vt Metallum. Nõ vt gelu, glacies, nix, pruina: quæ liquescũt, sed formã nouam non recipiunt, ad q; apta est cera cui sigillũ imprimitur. Sed cera formã impres-

impressam facile amittit: non ita Metallum, quod diutissime retinet. Liquescit anima vt imprimatur illi amoris diuini signum, quod firmissime retineat. Ita de Liquefactione Mystici sentiunt. quid hic præter rationem? quid absurdi? Agnouerunt similem vim olim in amore profano, vel mentiti sunt Poetæ. Cui non lectum illud de Daphnide, quam optabat liquefieri venefica adhibens imaginem cretaceam, & ceream, apud Virgilium in Eclogis.

*Limus vt hic durescit, & hac, vt cera liquescit,*
*Vno eodemque igne, sic nostro Daphnis amore.*

*Virg. Eclo. 8. ex Theocr. Idyl. 2.*

Vbi hac de re disputant Iacobus Pontanus, & Ludouicus Cerda. Plato quoque in Menone, refert, hunc, audito Socrate velut præstigiis, incantationibusque perturbatum, ac velut torpedinis tactu stupefactum hæsisse. An non maiorem vehementiam putemus esse Amoris sacri, & sermonis in animo diuini?

Illud tandem moneo, quod superius insinuaui: Animæ Liquefactionem sponsæ, Hebræum textum, Græcumque vocare *Exitum:* vtuntur enim verbo יצאה *iatseah*, & ἐξῆλθεν: vtrumque significat *defectum*, ac *deliquium*: *Excessum* quoque ac *ecstasim*: vel *abalienationem*, & *extra se positionem*, vt intelligas diuersis vocabulis eandem rem in Mystica Theologia nonnunquam exprimi.

## EXERCITATIO XII.

## *FERVOR ET LANGVOR MYSTICVS.*

LIQVEFACTIONI animę vel coniunctus est Feruor ac Languor: vel illam præcedunt, aut consequuntur. Vnde quidam Languorem Quieti adnectunt. ego commodius Liquefactioni copulari posse arbitror. Quod fecisse quoque animaduerto Doctorem Angelicum vbi de Amoris natura disputat. Quærit enim quod huc spectat: An Amor sit passio læsiua amantis. Arguit autem *Primo*: Quia Languor significat læsionem languentis: Amor autem causat languorem *Secūdo:* Liquefactio est quędā resolutio. Atqui Amor est liquefactiuus. Ergo resolutiuus. Ergo corruptiuus. Ergo læsiuus. *Tertio.* Feruor designat quędā excessum in caliditate, qui quidē excessus corruptiuus est. Sed Feruor caussatur ex Amore. Sic namq; Dionysius c. 7. Hierar. cæl. st. inter reliquas proprietates ad amorem Seraphim pertinentes ponit calidum, acutum, & superferuens. Canticorum etiam 8. dicitur de Amore, quod lampades eius sint lampades ignis, atque flammarum.

*S. Tho. 1. 2. q. 28. art. 5.*

RESP.

RESPONDET vero S. Thomas. Amorem significare coaptationem quandam appetitiuæ virtutis ad aliquod bonum: nihil autem quod coaptatur ad aliquid, quod est conueniens ipsi, ex hoc læditur: sed potius incommodum cedit, & fit melius. Quod si coaptetur ad quidpiam, quod non sit conueniens, tunc læditur. *Amor igitur boni conuenientis est perfectiuus, & melioratiuus amantis: amor autem boni quod non est conueniens amanti est læsiuus, & deterioratiuus amantis. Vnde maxime homo perficitur, & melioratur per amorem Dei: læditur autem, & deterioratur per amorem peccati, secundum illud:* Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt.*

Ceterum monet S. Doctor hæc debere intelligi de amore secundum se, seu quantum ad id, quod est formale in amore. Si enim spectetur id, quod est materiale, in passione amoris, accidit, quod amor sit læsiuus propter excessum immutationis, quemadmodum contingit in sensu, & omni actu virtutis animæ, qui exercetur per immutationem organi corporalis. *Herbipoli An 1624. 17. Octob. in Seminario.*

Læditur igitur sæpe amans à feruore, & languet. Feruor autem in amore est intensio, aut eius effectus qui idem facit in anima, quod calor in corpore; & quemadmodum excessiuus calor languorem inducit: ita & amoris feruor. Clarissime autem S. Thomas, feruorem mysticum definit, desiderium intensum de consequutione rei amatæ: Languorem vero, tristitiam de absentia. Quo pacto M. Tullius, tristitiam ægritudinem nominat. Vtrumque igitur accidit in absentia amati. Ab his duobus adfectibus amor denominatur *feruens, & languens*: seu potius, feruere ac languere faciens, nimirum, amãtem. Anhelat Mysticus ad dilecti claram præsentiam, æstuat desiderio arctissimi, & nunquam dissoluendi complexus, quo se modo frui non posse videt; cupit apparere ante conspectum Domini, qui differtur, hinc languor; quo ita adficitur, vt nullo consolationis gustu, nullo sapore delectationis capiatur. *1.2. qu. 28. art. 5.*

Ob hanc causam nonnulli ex recentioribus Mysticis languorem explicant per internam & æstuosam impatientiam. Et sane, ita se habet Mysticus Deo perfectissime vniri desiderans, sicut moræ impatiens, cui tædio sunt omnia, quæcumque sunt ad cupita obstaculo. *Thomas à Iesu lib. III de orat. diu cap. 6.*

Explicat hoc egregie Richardus, dum describit tertium gradũ amoris violenti. In quo constituto, ait, *nihil omnino satisfacere posse præter vnum: sicut & nihil sapere potest nisi propter vnum.* Vnum amat, vnum diligit, vnum sitit, vnum concupiscit, ad vnum anhelat, in vnum suspirat, in vno inardescit, in vno requiescit: vnum solum est, in quo refici-

ficitur, vnum solum est ex quo satiatur: nihil dulcescit, nihil sapit, nisi hoc vno condiatur. Quicquid vltra se offerat, quicquid sponte occurrat, cito reijcitur, cito conculcatur, quod suo adfectu non militat, vel eius desiderio non deseruiat. Sed quis huius adfectus Tyrannidem digne describat? quoniam omne desiderium expellit, omne studium excludit, omne exercitium violenter exprimit, quod suæ cōcupiscentię deseruire non conspicit. Quicquid agat, quicquid dicat, quicquid cogitet, inutile, imo intolerabile videtur, nisi in vnum sui desiderij finem concurrat. Cum autem frui potest, eo, quod diligit, omnia pariter se habere credit. Sine illo autem horret omnia, corpore deficit, corde tabescit, ac languescit, consilium non accipit, rationi non acquiescit, nullam consolationem admittit: sed clamat cum sponsa: Nunciate dilecto, quia amore langueo.

Cuius languoris, vt aliquod haberet fomentum, petit sibi eadem Deo cara adhiberi, vnguenta, flores, mala: *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo:* cuius primam partem legunt LXX. *Confirmate me in vnguentis.* Sensum breuis dicti eleganter exprimit elegans interpres. Crescit in me momentis singulis dilectio, quæ tam est vehemens, vt nec gaudij magnitudinem, nec amoris vehementiam feram: nihilque mihi pene vigoris superfit. Nescio quid omnes miseræ mihi sensus eripiat: genę pallent: tintinant aures: nutat caput: cor palpitat, genua labant, oculi nocte tegūtur: linquor animo: deficio: collabor. Venite suppetias: accurrite fidi comites sponsi, flores & poma labanti admouete, quorum fragrantia spiritum resumam aggestu vero, quasi thoro, & ceruicalibus, erigar, & sustentere recta.

*Cant. 11. 5.* *Delrio.*

Quæ sic mystice languebat? Ecclesia imprimis dilectissima Christi sponsa. Quando, vt idem interpres commentatur, IESVS, instituto in ea V. Sacramēto corporis, & sanguinis sui Spiritum S. misit, qui corda incredibili ardore caritatis & martyrij, ac feruenti zelo plurimos alios secū ad æternā gloriā perducēdi inflammauit. Hinc illa calidissimi adfectus suspiria: Cupio dissolui, & esse cū Christo. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Viuo ego, iam non ego: viuit autem in me Christus. Tu scis Domine quia amo te. & similia sexcenta. Quæ vsurpantur à quolibet Mystico diuini amoris sagitta sauciato. Hæc enim æstum illum inducit, & languorem, languorem salubrem, languorem vitalem, languorem diuinum.

Quem dum explicat Gulielmus, ait esse, defectum sui met ipsius ad se. Et adiungit: quātum quis proficit in amore Dei, & quanto quis propius accedit ad DEVM tanto plus deficit in amore sui, & tanto lan-

longius à se diuellitur. Ideo, quo quis in Deo validior, in se est languidior. quo quis plus amat DEVM, hoc seipsum magis contemnit. Ita languet omnis anima, quæ præ amore sponsi cælestis à sui amore deficit, iam non diligens seipsam nisi in Deo, & propter Deum, & ob nihil præter Deum.

Quem affectum, effectumq; languoris illius diuini experta est, si qua anima in hoc mundo, perfectissime, virginis Deiparæ, cui accommodari solent non sine ratione illa Canticorum. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* O quam sæpe illa languit! quam frequenter defatigationem membrorum omnium persensit! quam ardenter optauit metam contingere, ad quam tam longis itineribus, tantisque passibus contendebat. Langueo aiebat, non languesco, vt perfectionem sui languoris insinuaret sensu docti interpretis.

Pie namq; creditur (vt disputat Gulielmus Abbas) cum Deum corporaliter conciperet, tantam in seipsa de calore superuenientis in se Spiritus-Sancti flammam pij amoris concepisse, quantam capere poterat puri hominis modus. Non ergo, vt ceteri, paullatim & gradatim in habitu virtutum proficiebat, quæ gignendo plenum gratiæ, & veritatis arcem plenissimæ perfectionis attigerat, in qua procul dubio ab omni etiam veniali peccato immunis felicissime perseuerauit, vsque in diem gloriosæ assumptionis suæ. Proinde non paullatim amore languescebat, sed ex quo verbum incarnatum genuit, sancto eius amore ad seipsam, & ad omne, quod infra ipsum est perfecte languebat. Quia vero propter hoc æmulanda, atq; imitanda est omnibus, ad imperfectiores animas eius vox est *Fulcite me floribus*. O Adolescentulæ! ô filiæ paruulæ & delicatæ! quæ nondum cælesti sponso puriori amore nupsistis, sed adhuc vos ipsas fortiter amatis, quia ego langueo, languescite & vos. Ardentius sponsum, quam vos ipsas amate. Quod si facitis, quantum in vobis est, fulcitis me floribus: quia meam pro vobis sollicitudinem bonis vestris initiis exhilaratis: consequenter etiam, stipate me malis: suauiter, & copiose me pijs profectibus pascite. Quantum enim vos vni viro filio meo virginem castã exhibere cupio, tantum cum illi nubetis, vobis gratulabor.

Eleganter, & cum adfectu languentis animæ gemitus, anhelationes, mirabilesq; sensus exprimit è recentioribus, post SS[tos] Chrysostomum homilia de Turture, Augustinum in Soliloquijs c. 1. Gregorium lib. 11. in Ezech. capit. 15. Carolus Scribanius opusculo de amore diuino: vbi sic Mysticum ad superna anhelantem inducit. Vbi sum? & tu vbi es amor meus? Langueo. Vbi es languoris vnica medela mei? Langueo. quid mihi cum aceto, aqua, vino? non reuocatur

animaliquoribus, nisi teipsum felici metamorphosi vertas in acetum, aquam, vinum. quid mihi cum frictionibus manuum, & frontis? nisi tuis manibus fiat hæc frictio, nulla proderit frictio. quo mihi reseratio fasciæ pectoralis, nisi tu amor meus inuoles in hoc pectus?

Langueo. quid arteriam tentas, aut obseruas animam lento grauem suspirio? tuo solius felici pulsu, animatione tua redit hæc anima. Langueo & iam frigus obsedit artus. quid admoues ignem? nullus ignis frigus hoc pellet, nisi ignis tuus, quo incalesco solo. Langueo. vbi es, qui solus leuare languorem potes? inimica languenti mora. morior, & tu moraris. permitte saltem, vt in sinu moriar tuo: vt inter amati vbera vltimam amittam animam. O sinus, ô vbera testes languentis animæ! Vos colo, vos veneror: accipite hanc animam, & recondite exspiratam in hoc amoris sepulcro. an relinquitis insepultam? durus amor negabis terram mortuo? At mihi terra nulla est, præter vbera tua, pectus tuum. huic terræ conde animam, & da hoc solamen mortuo, qui negasti viuo.

Langueo. & jam vltimum spiritum traho, & tu abes. Vbi sunt miserationes tuæ? nam quæ hæc commiseratio deserere amantem? O veni. nam si morior te absente quid inscribam monumento? hoc vnum: Sine vulnere jaceo. Languor condidit: Amor peremit. Durum mortis genus. O si generosius, nec tam in gloria occumberem morte! vulnera saltem si ostentarem aduerso pectore: si toto jugulo excepissem interritus tuum ferrum: si sanguinem hunc agnoscerem in tuo baltheo, caderem lætus nobili confossus dextra. nunc langueo, & sine vulnere morior. ignauum mortis genus.

Verum vbi es, vt vel perimas, vel reficias? O si veneris! ego te dimittam, vel elabi patiar? ante moriar. Verum abeundum tibi. duc me tecum: comitabor quocumq; terrarum per dura & mollia, per aspera & lenia, per prærupta, & plana. an refugis hoc onus? nullum pondus amanti est: nec grauatur amans amante: ideoq; leue onus, amans est. imo, nullum onus amans est. alas habet, & pluma leuior omnis amans est. Sit rupes, si amat, quauis festuca leuior est. Sit mons, si amat, quouis puluere leuior est. sit immane plumbi ferriq; pondus: si amat, quauis penna leuior est.

Largire ô amor amorem hunc mihi: quo fultus, quicquid hic magnum, & arduum discutiam vt pilam, difflem, vt festucam vento raptam, vt celocem tempestatibus actam: omnibus minis, tormentis, fortunæ pollicitationibus, opum, honorum, gaudiorumque sponsioneque maior. Nam quid potest esse graue amanti? nimbi, grandines, tonitrua, fulmina, terræmotus. tempestates quocumque vento natæ, ar-

tæ,arma, hostiles acies,& quicquid terrorum profudit orbis,cæli,inferique;plumea sunt,& arundine mapalia rustica manu texta cum in amantem inciderint.Nihil hic Herculeæ manus quacumque claua aut cæstu armatæ;nihil prodigiosum gigantum robur, cum in amantem incurrerit.Goliades omnes cadent hac amoris funda, hoc silice ab Amoris torrentibus nato.Imple ô Amor amore hoc tuo pectus.Nam quid metuam lorica hac indutus,clypeo tectus,armis cinctus,propugnaculo vallatus? non si quidquid vsquam extra te validum fuit,eritque.annue ô Amor! æternum meus,vt & ego æternum sim tuus donatione,vendicatione,amore tuus,æternum tuus.

---

# EXERCITATIO XIII.

## *OSCVLVM MYSTICVM.*

### Prima Disqvisitio. Quotuplex vniuerse sit Osculum? & Quod-nam sit Profanum?

Respond Esse duplex: Profanũ,& Sacrũ. Quæ diuisio ab vsu sumitur,vel fine. Hunc enim aut ciuilem habet,aut sacrum. Apud Profanos frequens fuit osculorum vsus amoris honorisque caussa, Persæ imprimis antiquissimi vsurparunt quibus solenne fuit, non sine osculo discedentes cognatos & amicos dimittere; redeuntes autem excipere. Auctores Xenophon *a*, Herodotus *b*, Strabo *c*. Esdras *d* quoque memorat à Dario Zorababelem osculo fuisse honoratum. Apud Romanos à senatoribus excipi osculo solitos Principes peregre profecturos Suetonius *e* insinuat reuertentes etiam ita salutatos ex eodem colligimus. De Catone scribit Plutarchus, milites digredientis de prouincia manum reuerenter fuisse osculatos. Platonem denique lib. 5. de Repub. præcepisse inuenio: vt strenuo militi quemuis osculari liceat.

a lib 1. de instit. Cyr. & Orat. de laud. Agesilai.
b Herod. lib. 1.
c lib. 15.
d. li. 3. Esdr. cap. 4 47. Ioseph. lib. 11. Antiq. cap. 4.
e in Neron.

Erudite hoc argumentum tractat Iustus Lipsius lib. 1 I. Elect. ca. 6. vbi docet Oscula varie fuisse vsurpata vulgo, & in omni fere corporis parte. *Primum in facie, ibique os, genas, oculos suauiabantur, in itu, reditu, gratulatione: imo in salutatione, & cottidiano occursu. Qui mox inualuit, maxime, vt opinor, sub Augusto: ideoque Tiberius, vt nouitium, conatus pellere: & oscula cottidiana ait Suetonius, prohibuit edicto. Sed hæsit nihilominus, & creberrima oscula iterum sub Principibus sequutis.* Confirmat hæc virdoctus testibus: tum subdit. *Secundo manus osculabantur, sed non tamen*

*nisi potentiorum. Is mos etiam libera Republica ratus, natus videtur à blanditiis Candidatorum, prensantium, rogantium, & alienas manus osculantium.* Hoc etiam roborat auctoribus nominatis. Parte autem auersa dextræ osculum imprimebatur, vt ex Plinio ostendit. Ceterum viliores, & serui, manus: alij oculos: genas, collum osculabantur, quod Arrianus docet lib. 11. Dissert. Ab osculatione manus nata formula vulgaris; AD MANVM ACCEDERE. Tertio denique, osculum genibus figebatur. Imo & pedes osculabantur, & soleas, & vestigia: oculos quoque: & in his, ait Plinius, quasi ibi maxime habitet, videbantur animum ipsum attingere. Multas partes coniungit Catullus Verannium excipiens reducem ex Hispania.

*Plin. lib. 11. ca. 37.*

*Visam te incolumem, audiamque Iberum*
*Narrantem loca, facta, nationes,*
*Vt mos est tuus, supplicansque, collum,*
*Iucundum os, oculosque suauiabor.*

Crebrior tamen mos fuit osculandi os. vnde nomen osculi deriuat Festus, Legendus Vopiscus, Capitolinus, Ammianus, Plinius iunior, Dio, quorũ verba recitat I. Lipsius. Itẽ Plutarchus in QQ. R R. de origine osculi fœminar. Roman. Heraldus ad 21. Epigram. Martialis. Matthæus Raderus ad eundem Poetam, cui ampla iocorum est materia osculum, siue oris siue manus. Lepidum est illud in Postumũ, quem, vt impuri hominem oris notat, ideoque malle se scribit, dextram osculari, quam oris osculum excipere.

*Lib. 11. 21. Et lib. 10. 72.*

*Basia das aliis, aliis das Postume dextram:*
*Dicis, vtrum mauis, elige: malo manum.*

Iterum

*Basia dimidio, quod das mihi Postume labro:*
*Laudo: licet demas hinc quoque dimidium.*
*Vis dare maius adhuc, & inenarrabile munus?*
*Hoc tibi habe totum Postume dimidium.*

*Nec totum nec dimidium osculũ optans sibi totum habe cum dimidio. Vis neutro. que labro dissuauiarĩ: apage.*

Multa quoque erudite de osculis accumulat Lælius Bisciola Horar. subcesiuar. lib. 7. ca. 13. Illud tandem obserua, apud profanos, *Basia*, esse pudicorum affectuum: *Suauia*, libidinum, vel amorum, si verum est quod Donatus adfirmat in Eunuch. Terent. & Andria.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quis, qualisque vsus osculi in sacris?

ANtiquissimus, & frequentissimus est vsus osculandi in litteris sacris. Isaac osculatur Iacobum Genes. 27. 27. Iacob Rachaelem simul flendo Genes. 29. 11. postea Iacob nepotes suos, illos circumplexus

xus Genes.48.18.Iacobum Laban, eum amplexando Genes. 29.13. Mosem fratrem suum Aaron Exodi 4.27.socerum suum Ietro Moses, Exodi 18.7. Saulẽ Samuel,1.Reg.10.1.Dauidem Ionathas.1.Reg.20. 41. Absalonem reconciliatum Dauid.1.Reg.14. 13. Absolon aduentantes peregre.1.Reg.15.5.Valedicentem senem Berzellai Dauid II. Reg.19.39.Amasam occidere moliens sanguinarius Ioab.11.Reg.20. 9.cui similis Iudas Christum osculo prodens. Matt. 26.49. Parentes suos Elisæus priusquam sequeretur Eliam.3.Regum 19.20 Tobiam iuniorem Raguel. Tobiæ 7.6.Gabelum Tobias. Tob.9.8. Saram filiam dimittentes parentes.Tob.10.12. Tobiam filium aduenientem pater materque, Tobiæ ix.11.

Nec minus illustria sunt in N.T. huius rei documenta. Virginẽ Deiparam,paruulum suum exosculatam esse Euangelistæ clare non scribunt,quis tamen est meditantium,dum de Christo nato contẽplationem instituit qui virginea ludentem inter basia IESVLVM non imaginetur? Audi suauissime concinentem pium Poetam. *Car. Strib. Amor diuin. cap. 6.*

*Pannis inuoluit paruulum*
*Stringitque Mater fascia*
*Concessum cælo Filium*
*Mundi qui soluit precia;*
*Pro vinclo vincla retulit*
*Pro claustro claustra reddidit*
*Nouisque vinclis induit*
*Quem mundo recens edidit.*
*Fouens membra tenellula,*
*Dulcique lino vestiens:*
*Labrisque labra mellula*
*Et genas genis imprimens.*
*Nunc dextra cingens virgine*
*Nunc lacte pascens candido*
*Nunc casto ludens lumine:*
*Nunc sinu fouens calido.*
*Mille configens osculis.*
*Hic frontem fronti implicans,*
*Hic labra genis bellulis,*
*Vultuque vultum duplicans.*
*Quid interim paruulus?*
*Nunc labra genis admonet*
*Casti pudoris præmium.*

Num

*Nunc natus labris imprimit*
*Pudica matris oscula.*
*Nunc genas genis comprimit*
*Reddens amica basia.*
*Plus osculis ter dulcibus*
*Caput obnubens paruuli.*
*Plus basijs, quam vestibus*
*Corpus fouens tenelluli*
*Nunc natum inter vbera*
*Casto ludentem pectore*
*Cælesti rore madida*
*Pascebat lacte virgine.*
*Nunc Mater genas manibus*
*Et colli nuda basijs*
*Premit decoris nexibus,*
*Et osculis virgineis.*

Nec auersabatur Christus osculũ, seu amoris, seu honoris: imo conquestum reperio, quod Simon osculum negasset Lucæ 7. 45. Et, haud dubie, ex Christi institutione Petrus monet fideles, vt salutent inuicem in osculo sancto. Quod idem facit Paulus. Vt adfectum mõstret erga filium, quamuis prodigum, benignus pater, postquam resipuit, cadit in eius collum, & osculatur.

Fraternitatis olim signum erat apud Christianos osculum mutuum, quod in sacrorum celebratione interueniebat: cuius ritus frequens est mentio apud antiquissimos Patres, Clementẽ Romanũ *a* Ignatium, *b*. Dionysium, *c*. Iustinum, *d*. Origenem *e*. Clementem Alexandrinum, *f* Athenagoram, *g*. Cyrillum Ierosolymitanum, *h*. Nazianzenum, *i* Chrysostomum, *k*. Ambrosium, *l*. Augustinum *m*. Paulinum *n*. Circumfertur de Osculo inter sacrificandum dari solito carmen.

*Ipse etenim casta dum operatur mente sacerdos*
*Oscula dat, quæ dent, ille, vel ille aliis.*

Sed nihil est tam sanctum, quod impietas non violet. Castum osculum fœdauit libido, hinc desitum dari. Ne tamen deesset caritatis mutuæ tessera, inducta est tabella, quæ osculum recipit. Amplexũ nihilominus & osculum offerunt in solenni sacrificio, qui sacerdoti proxime adsistunt. Ceremoniale osculum erat, quod post insufflationem communicabatur olim baptizandis: de quo Cyprianus agit lib. 3. Epist. 8. Summæ venerationis est aliud, quod Pontificis Max. pedibus aduoluti exhibent: de quo Ioseph Stephanus Tract. de osculat. pedum

1. Petri 5. 14. Rom. 16 16. Luc. 15. 20 a. lib. 11. Const. c. 61. lib. 8. const. cap. 15. b. Epist. ad Tarsens. c. De Eccles. Hier. cap. de communi. d. Apol. ad Antoni. e. cap. vlt. Ep. ad Rom. f. lib. 3. Pædag. g. Orat. ad Christ. h. Catech. 5 mystag. i. Orat. 3. de Pace. k. Hom. 30. in 11. ad Corinth. & 1. de compunctione ho. de prodit. Iud. ho. 51. ad popul Antioch. l Lib. 31. de pœnit. cap. 111. & in c. 7. Luc. m Serm. 83 de virg pass. n Carmi. ad Cyther.

pedum Pontificis. Simili adfectu osculabantur quondam fideles tẽplorum valuas: quod reperies apud Chrysostomum homil. 30. in epistolam secundam ad Corinth. Et Constantinus Episcoporum cicatrices, vt refert Eusebius, osculo dignabatur. Visitatum quoque fuit sanctis quibusdam è vita emigrantibus osculum. quod apud Metaphrastum leges in vita Basilij.

## TERTIA DISQVISITIO. Quid sit osculum Mysticum?

RESP. Cum osculum Mysticum nonnisi metaphorice dicatur, similitudine accepta ab osculo proprie dicto, osculi Mystici non est vna notio. Significatur enim eo symbolo aliquando amor, nonnunquam delectatio, interdum coniunctio cum Deo, frequenter, vnio ipsa mystica: denique incarnatio verbi: in qua & amoris, & delectationis, & coniunctionis cum DEO, vnionisque summa fuit perfectio.

Admittunt omnes hos explicatus illa desiderij flagrantissimi plenissima sponsæ verba: *osculetur me osculo oris sui.* Canticorum, 1. quibus osculum petit, non quodcumque, nec cuiuscumque, sed definitum, vnicum, diu exoptatum. Nam sensus est, quem idiotismus Hebraicus inuoluit: Osculetur me osculo illo, vsque adeo votis omnibus hactenus, ex ambitu, tam diu desiderato, toties efflagitato: & quidem *oris sui*: siquidem, ceterorum ego basia repudio: illius, quem amo medullitus, oris osculum, nullius alterius admittam.

Quod nam illud *Osculum*? Carnis humanæ, ipsiusque humanitatis totius cum diuina persona coniunctio: Ecclesiæ enim sunt illæ voces, paulo ante incarnationem verbi, à patre æterno missionem filij ad nuptias, mundi initio promissi, exposcentis, vt multis Cassiodorus, Beda, Alcuinus, Haymo exponunt. Optabat osculum, in quo, vt Honorius Augustodunensis, inquit, caro carni iungitur, & spiritus spiritui sociatur.

Subtilius Bernardus, qui omnium accuratissime, & suauissime de osculo disputat. *Sit os osculans, verbum assumens: osculatum, caro, quæ adsumitur: osculum vero, quod pariter ab osculante, & osculato conficitur, persona ipsa ex vtroque compacta, Mediator Dei & hominum, homo* CHRISTVS IESVS. *Quo pacto Sanctorum nemo dicere præsumebat:* osculetur me ore suo: *sed tantum*: osculo oris sui: *ipsi sane seruantes prærogatiuam istam, cui singulariter, semelque os verbi impressum tunc est, cum ei se corporaliter plenitudo omnis diuinitatis indulsit. Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile:* Serm. 11. in Cant.

Mmm *inquo,*

*in quo, non os ori imprimitur: sed* DEVS *homini vnitur. Et ibi quidem contactus labiorum complexum significat labiorum: hic autem consideratio naturarum diuinis humana componit, quæ in terra sunt, & quæ in cælis pacificans: Ipse* Ephes. II. *enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ad hoc osculum sanctus quisque antiqui temporis suspirabat, eo, quod jucunditatem, & exultationem thesaurizari super eum, & thesauros omnes sapientiæ, & scientiæ in ipso absconditos præsentirent, cuperentque & ipsi de plenitudine eius accipere.*

Dicebant, longa expectatione fessi: Si vere decreuit misereri DEVS, cogitatque, vt complacitior fit adhuc statuat testamentum pacis, & fœdus perpetuum feriat mihi in osculo oris sui. Vt, quæ procedunt de labijs suis non faciat, irrita, exinaniat se, humiliet se, inclinet se, & osculetur me osculo oris sui. Vt ex æquo partibus congruens mediator, neutri suspectus sit DEVS Filius DEI fiat homo, fiat filius hominis, & certum me reddat in hoc osculo oris sui.

Verum non tantum Ecclesia vetus, aut in ea sancti, petebant osculum oris, sed quælibet anima diuinis inhians etiamnum idem postulat; cui cum non conueniat incarnationis efflagitatio, aliud per osculum oris Mystice intelligendum est; cuius rei gratia, sit

## QVARTA DISQVISITIO. Quotuplex sit osculum mysticum?

Serm. III. in Cant. CElebris est S. Bernardi diuisio, in osculum pedis, manus, & oris Domini. Ex his, osculum pedis pertinet ad incipientes, qui sunt in via purgatiua: Osculum manus ad proficientes, in via illuminatiua constitutos: osculum oris ad perfectos viæ vnitiuæ deditos. Ita Gregorius Nyssenus, verbis illis: *osculetur me osculo oris sui*, scribit piam animam, Dei fruitionem, quæ fit vnione caritatis exposcere. A quo
S. Aug. ic. 4. non dissentit S. Augustinus lib. de amicit. capit. 6. nec S. Gregorius in cap. I. Canticor. vbi scribit, Spiritus S. præsentiam, siue manifestationem, osculo ab sponsa petito denotari.

Monet autem Bernardus, ne incipientes statim intempestiue, aut impudenter ad osculum oris prouolent. *Non temere*, inquit, *adsurgat ad os serenissimi sponsi, sed ad pedes seuerissimi Domini mecum pauida iaceat. & cum Publicano, terram tremens non cælum aspiciat, ne confusa in luminaribus cœli, facies assueta tenebris opprimatur à gloria, atque insolitis reuerberata splendoribus maiestatis, densioris rursum cæcitate caliginis obuoluatur. Non tibi, ô quæcumque es talis anima non tibi ille locus vilis, aut despicabilis videatur,*

*tur,*

*tur, vbi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi Aethiopissa mutauit pellem, & in nouum restituta candorem, iam tunc fiducialiter, veraciterque respondebat exprobrantibus sibi verbum. Nigra sum, sed formosa filia Ierusalem. Huius beatæ pœnitentis exemplo prosternere & tu ò misera, vt desinas esse misera: prosternere & tu in terram. amplectere pedes, placa osculis, riga lacrymis, quibus tamen non illum laues, sed te, & fias vna de grege tonsarum, quæ ascendunt de lauacro, ita sane, vt suffusum pudore ac mærore vultum non* Luc. 7.
*ante sustollere audeas, quam audias & ipsa*, dimittuntur tibi peccata tua: Isa 52.
*quam audias*: consurge, consurge, captiua filia Sion: consurge, excutere de puluere.

*Sumpto itaque ad pedes primo osculo, nec sic quidem præsumes statim ad* Osculum
osculum oris *adsurgere, sed erit tibi gradus ad ipsum medium quoddam aliud* Manus.
*osculum, quod secundo loco ad manum accipies.* Manum autem Domini osculatur, qui non contentus prima illa gratia, per quam malorum est pœnitens, secundam procurat, qua dignos facit pœnitentiæ fructus, satagens, ne reuertatur ad vomitum. Hoc restat prius petendum & accipiendum, quam præsumat quis altiora, & sacratiora contingere. Nemo repente fit summus: paullatim proficitur. Longus saltus & arduus est, de pede ad os: sed nec accessus conueniens. Quidenim? recenti adhuc resperfus puluere ora sacra continget? Heri deluto tractus, hodie vultui gloriæ præsentabitur? Per manum itaque fit transitus: illa prius terget: illa erigit dando decorem continentiæ, & dignos pœnitentiæ fructus, qui sunt opera pietatis.

Iam vero, habenti in osculis duobus geminum diuinæ dignationis experimentum, procliue est iter ad sanctiora. Progredienti namque de virtute in virtutem, ingens est desiderium prorependi ad oris osculum. hoc petit, hoc efflagitat, adhoc anhelat. Inde fit, vt etiam & ardentius, & pulset fidentius pro eo, quod sibi deesse sentit. Porro, pulsanti aperietur. Et tandem, summum illud, quodcumque est, summæ dignationis, & miræ suauitatis osculum, credo, non negabitur sic adfecto.

Hæc via, hic ordo perueniendi ad osculum Mysticum. Primo, ad pedes procidimus, & ploramus coram Domino, qui fecit nos, ea, quæ fecimus nos. Secundo, manum quærimus subleuantis, & roborantis genua dissoluta. Postremo, cum ista multis precibus, & lacrymis obtinemus, tum demum audemus forsitan ad ipsum os gloriæ, caput attollere (pauens & tremens dico) non solum speculandum, sed etiam osculandum: quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, cui adhærentes in osculo sancto vnus spiritus ipsius dignatione efficimur. Tibi, Domine IESV, tibi merito dixit cor meum: ex- Ps. 26.

quisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Nempe auditam fecisti mihi mane misericordiam tuam, cum jacenti primum in puluere, tuaq; deosculanti reuerenda vestigia, quod male vixeram, remisisti. Porro in progressu diei lætificasti animam serui tui, cum deinde osculo manus etiam bene viuendi gratiam indulsisti. Et nunc quid restat ô bone Domine, nisi vt iam in plenitudine lucis, in feruore spiritus ad oris quoque osculum dignanter admittens adimpleas me lætitia cum vultu tuo. Indica mihi ô suauissime, ô serenissime, indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie.

*Ps. 15. Cant. 1.*

Hæc vota sunt Mysticorum, quæ scite exprimit Bernardus. Sic autem, vt monet Hugo Carthusianus, opusculo de via vnitiua, *potest quantumcumque simplex, vel laicus per dolorem de peccatis veluti per* osculum pedis: *per recordationem beneficiorum, veluti per* osculum manus, *vsque ad* osculum oris, *quod est in desiderio amoris attingere dicens*: osculetur me osculo oris sui. *Nec idcirco præsumptuosa iudicabitur, si primo in osculo pedis, & manus se exerceat, & postea in alio tempore ad osculum oris aspiret.*

## QVINTA DISQVISITIO. An osculum oris tantum sit perfectorum, spectans ad Mysticos?

ITa videtur docere Doctor Mellifluus sermone 4. in Cantica, vbi oscula, quæ sumuntur ad pedes, ad manus, & ad os ita distinguit: vt in primo primordia dedicentur nostræ côuersionis. Secundum proficientibus indulgeatur: tertium sola experiatur, & rara perfectio. Atque hoc dicit esse osculum oris à sponsa expetitum. Consentiunt recentiores Mystici.

*Thomas à Iesu lib. 4. de oratione diu. ca. 7.*

Non desunt tamen ex Interpretibus Canticorum, qui oris osculo, priora ēt duo complectuntur. Certe, Honorius ita spôsæ verba exponit: *Fidelis anima cogitans vbi fuerit, vbi erit, vbi sit, vbi nō sit: scil. quod in originali & actuali peccato fuerit, quod in tremendo iudicio* DEI *erit, quod in vanitatibus seculi sit, quod in æterna beatitudine adhuc non sit, gemens, ac tremens dicit*: osculetur me osculo oris sui: *Ac si dicat: Ille, qui in mea carne ad dextram Patris sedet, meus aduocatus, iustus iudex, me de peccatis dolentem, de iudicio suo timentem, visitando osculetur, & pace, signo amicitiæ, quam proprio ore pœnitentibus promisit, me consoletur.*

SEXTA

## SEXTA DISQVISITIO. Qua analogia Pænitentis,& Proficientis gratia dicatur Pedum, ac Manuum oscula.

DEclarat id ingeniose Bernardus sermone 4. in Cantica his verbis. Osculum, pacis indicium esse, omnes nouimus. Porro autem, si, vt Scriptura loquitur, peccata nostra separant inter nos & Deũ, tollatur de medio, quod interest, & pax est. Cum ergo satisfacimus, vt ablato, quod separat, peccato, reconciliemur, indulgentiam, quam recipimus, quid nisi quoddam Osculum dixerim pacis? Idque interim non alibi, quam ad pedes sumendum. Humilis quippe, & verecunda debet esse satisfactio, qua emendatur superba transgressio.

At cum etiam ad viuendum emendatius, Deoque dignius conuersandum, placida quadam amplioris gratiæ familiaritate donamur, cum ampliori fiducia, caput iam leuamus de puluere, Largitoris, vt assolet, manum osculaturi: si tamen de accepto munere, non nostram, sed auctoris gloriam quærimus, eique sua dona & non nobis adscribimus. Alioqui, si in te, & non magis in Domino glorieris, propria profecto, & non Domini manum osculari conuinceris: quod iuxta B. Iob sententiam est iniquitas maxima, & negatio in Deum. Si *Iob.31.* ergo ad Scripturæ testimonium propriam gloriam quærere, propriam est osculari manum, profecto, qui dat gloriam Deo, Dei dicitur non incongrue manum osculari.

Et in hominibus quidem ita esse videmus: seruos scilicet offensorum Dominorum osculari solere pedes, cum ab ipsis veniã petunt: & pauperes diuitum manus, cum ab iis munus accipiunt. Verũ, quia spiritus est Deus, & nullis simplex illa substantia membris distincta corporeis, non nisi tralate hæc accipienda sunt. Sic enim os Deus haber, quo docet scientiam; & manum habet, qua dat escam omni carni; & pedes habet, quorum scabellum est terra, ad quos nimirum peccatores terræ conuersi, atque humiliati, satisfaciunt. Sed hæc habet Deus omnia per effectum, non per naturam. Inuenit profecto apud Deum, & verecunda confessio, quo se humiliando deiiciat: & prompta deuotio, vbi se innouando reficiat, & iucunda contemplatio, vbi excedendo quiescat.

## Septima Disqvisitio. Quodnam sit osculum oris in Diuinis?

DEsignat hoc Bernardus sermone 8. in Cantica: vbi, Mihi, inquit, videtur ineffabile quoddam, atque inexpertum omni creaturæ osculum designasse, qui ait; Nemo nouit Filium, nisi Pater: & nemo
Ioan. 10. nouit Patrem nisi Filius, aut, cui voluerit Filius reuelare. Pater enim diligit Filium, & singulari dilectione amplectitur: summus æqualem: æternus coæternum: vnus vnicum. Sed enim non minori ipse à Filio adfectione adstringitur, quippe pro cuius amore & moritur, ipso attestante cum ait: vt sciant omnes quia diligo Patrem, surgite eamus: haud dubie ad Passionem. Illa itaque mutua gignentis genitiq; cognitio, & dilectio, quid nisi Osculum est suauissimum, sed secretissimum? Ego pro certo ad tantum, & tam sanctum diuini amoris arcanum, ne ipsam quidem angelicam admitti arbitror creaturam. Ete-
Philip. 4. nim Paulo hoc ipsum sapiēte, Pax illa exsuperat omnē, etiam Angelicum sensum. Vnde nec Sponsa (quamquam multum præsumens, audet tamen dicere Osculetur me ore suo) soli illud scilicet reseruās Patri: sed aliquid minus postulans: osculetur, inquit, osculo oris sui.

## Octava Disqvisitio. Quam Vnionem significet Osculum osculi oris?

REspo. Significare intimam, & arcanam animæ cum spiritu S. qui Osculo ipso mystice communicetur, cum ipse sit Osculum Oris. Sumitur ex S. Ambrosio Lib. de Isaac & Anima cap. 3. *Petit*, ait *Sponsi osculum, per quod sibi transfunditur Spiritus osculantis. Sicut etiam hi, qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti; sed Spiritum suum sibi inuicem videntur infundere.*

Fusius id docet, ac frequentius S. Bernardus: Sermone 3. 4. & 8. in Cant. Distinguens enim oscula pedis, manus, & oris: Hoc tunc cōtingere scribit, *cum iam consumpto luctu pænitentiæ, iam acceptis virtutum donis, mens cælesti desiderio inspirata ad secreta interioris cubiculi gaudia, impatiens amoris, introduci desiderat, ac proinde congruentissime osculum petens, inquit:* Osculetur me osculo oris sui: *id est, Vnum, quod mihi restat, efflagito, vt perfecte per spiritus-Sancti infusionem cum meo vniar dilecto.* Osculum igitur osculi est vnio animæ cum Deo quæ fit per infusionem spiritus.

Sermone autem 8. ex professo disputans de eodem argumento,

to,ait nouam sponsam nouum osculum accipere,non tamen ab ore, sed ab osculo oris:nimirum,quādo insufflauit eis,haud dubium,quin Iesus Apostolis,id est primitiuæ Ecclesiæ,& dixit:Accipite spiritum-sanctum: *Osculum profectò fuit? Quid? Corporeus ille flatus? non: sed inuisibilis Spiritus qui propterea in ille flatu datus est,vt per hoc intelligeretur, & ab ipso pariter,tanquam à Patre procedere,tanquam vero Osculum,quod osculanti, osculatoque commune est.* Itaque sufficit sponsæ, si osculetur ab osculo Sponsi,etiamsi non osculetur ab ore.Nec enim exiguum quid, aut vile putat,osculari ab osculo:quod nō est aliud, nisi infundi spiritu.S.

Nempe,si rectè parer osculans,Filius,osculatus accipitur, non erit ab re,Osculum,Spiritum-Sanctum intelligi: vtpote, qui Patris filijque imperturbabilis pax sit,gluten firmum indiuiduus amor,indiuisibilis vnitas.Petit ergo audenter sibi dari osculum:hoc est,Spiritum illum, in quo sibi & Filius reueletur, & Pater. Reuelat autem Filius se ipsum cui vult, reuelat & Patrem, reuelat vero, sine dubio,per osculum,hoc est, per spiritum-sanctum. Apostolo teste: qui ait:Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Dando autem spiritū,per quē reuelat,etiam,ipsum reuelat.Dando reuelat, & reuelando dat. Tādē concludit:Petit osculum,id est,Spiritum-S.inuocat,per quē accipiat simul,& scientiæ gustū, & gratiæ condimentū. Est quippe Spiritus Sapientiæ, & intellectus, qui instar apis ceram portantis,& mel habet omnino, & vnde accendat lumen scientiæ, & vnde infundat saporem gratiæ.Breuissime Sermone 9. Osculetur me osculo oris sui.Hoc vnum quod mihi reliquū est,efflagito,vt perfectè,per spiritus-sancti Infusionem cum meo vniar dilecto. 1.Cor.2.

His adfinia sunt,quæ habet S.Gregorius in cap.1.Canticor.Inspirationem etiam nominans.Sponsa,inquit,desiderio æstuans, & in amplexum sponsi sui mardescens dicit:Osculetur me osculo oris sui. Ac si diceret:Ille,quē super omnia,imo,solum diligo,veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat:quia cum eius osculū sentio subita mutatione me derelinquo,& in eius similitudinem illico liquefacta transformor.Fastidit quippe sancta mens omnia, quæ per corpus sentit,& in illa spiritalia tota transmutari concupiscit:& dum ista obstrepunt,in illa fugit,seq; abscondere,ne hæc sentiat,appetit.Ideoq; Osculū spōsi quærit:quia si ille gratissimi amoris vinculo hāc nō trahit:hęc vi suę molestissimę grauedinis detēta,quomodo se ad illū cōferat,omnino nō inuenit.Sed pius spōsus anxietatē eiꝰ sentiēs,amorē diligēs,votū exaudiēs,osculū porrigit:& ne desiderio lassescat gustu suę suauitatis lenit:& dum suā pręsentiā exhibet,eā ad maius dilectionis

nis osculum accendit. Vnde hæc illum sentiens, ad eum se conuertit, & quem præsentem habet mox gaudens, voce mutua alloquitur, & dicit: Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

# EXERCITATIO XIV.

## *AN VNIONE, ET OSCVLO MYSTICO communicetur animæ immediate, & essentialiter, vel substantialiter Spiritus-Sanctus.*

QVoniam diximus, Osculū mysticū esse inspirationem, vel intimā Spiritus-Sancti infusionem arcanamq; cū illo coniunctionem, in eam deuenere quidam ex Mysticis recentioribus sententiam, vt existiment abdito quodammodo, ac vt loquuntur, ineffabili, Spiritum-Sanctum non per donum aliquod, siue actuale siue habituale diffundi in cordibus Mysticorū. Quod, vtrum ex Scriptura-diuina, Patribus ac Ratione eliciatur, diligenter inquirendum est. Sit

### PRIMA DISQVISITIO. An Scriptura-Sacra substantialem communicationem Diuinitatis, vel Spiritus-Sancti doceat?

ADFIRMAT ex recentioribus Thomas à Iesu lib. 4. de Oratio. diuina cap. 7. & 8. sed quantum sit in Diuinis litteris pro ea sententia subsidij ex locorum, quæ adducuntur, discussione patebit. Missis alijs, in quibus, nullum eius rei, vel leue existit vestigium: duo tantum sunt ex quibus nonnihil videtur colligi.

Ioannis 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eū, & manifestabo ei meipsum.* Hic sermo est de manifestatione perfecta, quæ nō nisi eximiis quibusdam, & in rerum diuinarum exercitatione diu versatis conuenit, quæque non tam est speculatina, quam practica, vt Toletus ex D. Cyrillo animaduertit. Hæc autem fit per notitiam vnitiuam & experimentalem.

Porro, ex his, si inferas, per illam vnionem haberi præsentiam realem spiritus-Sancti, quæ non fiat doni alicuius diffusione, nihil sane

sane efficies, præsertim, cum de manifestatione, quæ fiet in altera vita possit intelligi. Plus momenti fortasse habet, quod eodem cap. sequitur, versu 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Verum, vt ibi monet Maldonatus, non est vllus auctor grauis, qui de alio, quã de aduentu per gratiam in animos hominum, ac proinde, de simili mansione, id interpretetur: nominatque Augustinum, Chrysostomum, Cyrillum, vtrumque Theodorum, Leontium, Bedam, Theophylactum, Euthymium.

Altera probatio nititur maxime historiæ Missionis Spiritus S. in Apostolos, ex qua conuinci arbitratur quidam donationem essentialem personæ: ita vt Spiritus Sanctus per suam præsentiam, & essentiam ac substantiam de nouo Apostolorum mentibus aduenerit: non autem tantum per donorum siue charismatum communicationem, quasi plenitudo Spiritus Sancti in eo consistat, quod ipsamet persona Spiritus Sancti essentialiter communicetur, vel substantialiter. Certum enim est, quod ante diem Pentecostes Spiritu Sancto, quatenus per gratiam gratum facientem hominibus adesse dicitur non caruerint, vt Patres docent: nominatim, Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 17. Leo sermone 13. de Pentecoste & ex ijs S. Thomas. At enim, ijdem Patres asserunt, fuisse tunc repletos Spiritu Sancto, quamuis antea eo non caruerint, quia acceperunt illum, quantum ad nouos quosdam effectus, & gratiæ augmentum, ac maiorem donorum copiam. Quod notatione S. Hieronymi epist. 151. ad Hedibiam significant illæ dicendi formulæ: *Indui virtute:* Baptizari Spiritu Sancto, qui datur euangelizantibus virtute multa, & similes, quæ in diuinis litteris occurrunt. *Thomas à Iesu.* *Luc. vlt. 49.* *Ps. 67. 11.*

Habet tamen altera Mysticorum opinio quosdam è Patribus, quos prose nominet: imprimisque Gregorium Nazianzenum, qui oratione 44. de Pentecoste, postquam dixit, *Spiritum Sanctum datum, & ante Passionem, & post Resurrectionem, ac tandem, in Pentecoste*; subiungit: *Verum obscurius primum in eis efficax erat, secundo expressius: nunc vero plenius: vtpote, qui non iam actu præsens sit, vt prius, sed essentia, vt sic loquar, adsit simulque versetur.*

Sed Nazianzeni mentem satis declarat eius interpres Nicetas, cuius hæc est explicatio. *Quod dixit* Gregorius (vt sic loquar) *ad præmolliendam hanc vocem,* (essentialiter) *dixit: vt minus proprie, atque exacte prolatam, propter aptioris dictionis penuriam. Neque enim essentialiter cum filio, Spiritus Sanctus in Apostolis habitauit. Verum, per diuinam inhabitationẽ, igneasque linguas, atque adflatum illum, per quem nihil non poterant, sanctique*

*Spiritus expletionem dicere quispiam posset, cum essentialiter cum ipsis esse, atque versari. Nam cum Filius corpore sensibili, atque conspicuo nobiscum consuetudinem habuisset, par erat, vt Spiritus quoque corporaliter appareret: quemadmodum etiam apparuit, primum in forma columbæ, nunc in forma linguarum ignearum. Et cum Christus ab ijs, quæ humanitati adsumptæ conueniebant, post resurrectionem ad ea, quæ Deo conueniebant, reuersus esset.* ( Hæc commoda interpretatione mitiganda sunt ) *suaque gloriæ, quam ante susceptum salutis nostræ negocium habebat, restitutus esset, Spiritum ad nos per Christum descendere oportebat.*

Simili responsione occurri potest aliorum Patrum dictis, quæ adduci solent: Augustini potissimum, qui sic differit Sermon. 185. de Temp. *Ergo Spiritus Sanctus in hac die ad præparanda Apostolorum suorum corda velut imber sanctificationis illapsus est, non iam visitator subitus, sed perpetuus consolator, & cohabitator æternus. Nam sicut de seipso Matthæi 28. Apostolis suis dixerat* : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationē seculi; *ita etiam de Spiritu Sancto: Paraclitum,* inquit, *dabit vobis Pater, qui vobiscum sit in æternum. Adfuit ergo in hac die fidelibus suis, non jam per gratiam iustificationis, sed per ipsam præsentiam Maiestatis, atque in vasa non iam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit vnguenti.*

Quis horum verborum sit intellectus collige ex eodem Sancto Patre Tractat. 74. in Ioan. vbi ait: *Quod ante Pentecosten, & Resurrectionem habebant discipuli Spiritum Sanctum occulte, non manifeste, atque euiden-*
Lorin. Act. 11. *ter, seu in signo visibili.* Ob hoc autem signum, vt notat Ioannes Lorinus, dici potest Spiritum Sanctum datum essentialiter, & substantialiter.

Minus difficultatis habet, quod adducitur ex Didymo qui lib. 1. de Spiritu Sancto, diuinitatem Spiritus Sancti inde probat, quod eo dicantur repleti Apostoli. *Nemo autem*, inquit, *siue in scripturis, siue in consuetudine plenus creatura dicitur.* Certe quid de præsentia substantiali Didymus sentiat, ipse clarissime exponit, dum subdit. *Plenos nos dici non posse aliqua creatura: sed Deo, & Spiritu Sancto, quia hic solus est, qui implet vniuersas creaturas. Et, qui pleni sunt eo, eum consummate acceperunt. Implet autem non se ipso* FORMALITER & SVBSTANTIALITER, *sed dono, quod producit.* Constat etiam ex scriptura, plenam fuisse Spiritu S. Elisabetham, filium, ac virum eius. Quapropter ex plenitudine, qua donati Apostoli in die Pentecostes non potest colligi, eum aduenisse substantialiter.

Ac multo minus id accidere Mysticis per vnionem fruitiuam. Quamuis enim, id concederetur factum in Pentecoste, tamen non inde

inde consequeretur, id in iustis aliis nunc locum habere: licet inde efficeretur id fieri posse. Sit igitur

## SECVNDA DISQVISITIO. An rationibus Theologicis probari possit communicatio substantialis Spiritus Sancti per vnionem mysticam?

RESPONDEO negatiue. Contrarium potius constat. Nam substantiæ Dei communicatio substantialis, vel fit secundum locum & intimam præsentiam, per immensitatem: vel secundum terminationem personalem per hypostaticam vnionem in persona. Quo pacto solam Filij personam communicatam hypostatice per incarnationem, scimus. Communicatio autem per immensitatem omnibus est communis, ac plane necessaria.

Quare, quod aliqui dicunt: DEVM simul cum gratia iustificante, iustorum mentibus ita præsentem fieri, vt si alias ratione immensitatis non adesset iustorum animabus, ratione gratiæ & iustificationis omnino ijs inesset, ac permaneret, iuxta illud: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; Si intelligatur de præsentia substantiali ac physica, non est verum, & multo minus, communis Patrum sententia, vt quidam asserit: si vero exponatur de præsentia morali, quomodo amicus amico præsens esse dicitur: & homines Deo appropinquare, & per contrarios adfectus ac peccata à Deo recedere, admitti debet. Sed nihil inde habetur pro præsentia substantiali, distincta à donis accidentalibus, per quæ DEVS creaturis se communicat.

*Ioan. 14.*

*Thomas à Iesu lib. 4. de orat. diu. cap. 8.*

Confirmantur hæc ex doctrina S. Thomæ, quam communiter adprobant Scholastici. Is 1. P. q. 43. art. 3. docet Missionem, & inhabitationem diuinæ personæ temporalem non fieri nisi per donum gratiæ gratum facientis. Quod colligit ex S. Augustino, qui libr. III. de Trinit. cap. 4. dicit: quod Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam. procedere autem temporaliter, idem est, quod mitti: & sanctificatio creaturæ non fit nisi per gratiam gratum facientem.

Ratio quoque idem conuincit. Siquidem, vt ibidem disputat S. Doctor. Diuinæ personæ conuenit mitti secundum quod nouo modo existit in aliquo: dari vero secundum quod habetur ab aliquo: neutrum autem horum est, nisi secundum gratiam gratum facientem. Etenim cum in rebus omnibus sit per essentiam, potentiam, &

præſentiam, ratione immenſitatis & cauſſalitatis, nouus eſſendi modus in creatura rationali eſt per cognitionem & amorem, quatenus cognitum eſt in cognoſcente, & amatum in amante: hoc autem pertinet ad gratiam gratum facientem.

Neque dices inde ſequi: quod neque donetur ipſa perſona diuina, neque habeatur. Cuius erroris illi inſimulati fuere, qui dicebant, Spiritum Sanctum non dari, ſed eius dona. Nam ipſo dono gratiæ Spiritus Sanctus haberi dicitur, & habitare in homine, ac proinde, dari & mitti. Quid eſt enim habere? Ita rem quampiam poteſtati alicuius ſubiectam eſſe, vt libere ea poſſit vti vel frui. Per gratiam autem gratum facientem habet quis poteſtatem fruendi diuina perſona: atque ita dicitur habere ipſam diuinam perſonam, ſecundum illud Romanor. 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

---

# EXERCITATIO XV.

## *AN IN VNIONE MYSTICA PERFICIATUR illapſus perſonæ diuinæ in animam. Myſticorum ſenſu.*

QVi exiſtimant, communicari per vnionem, Spiritum Sanctum ſubſtantialiter; volunt illud fieri per ILLAPSVM. quo vocabulo vtuntur ſæpe Myſticiſsimo, & Scholaſtici aliquando ad ſignificandam arcanam Dei cum anima coniunctionem.

### PRIMA DISQVISITIO. An aliquod reperiatur in antiquis Patribus Illapſus arcani veſtigium?

RESPOND. Non abhorrere Patres ab ea voce adnotandum peculiarem quempiam Dei in hominis animum influxum, & communicationem. Auguſtinus Tomo 10. ſermone ſecundo, diſſerens de Spiritus Sancti miſſione, *Spiritus Sanctus*, inquit, *in hac die ad præparata Apoſtolorum ſuorum templa, velut imber ſanctificationis*, ILLAPSVS *eſt*. Idem ſermone 186. dum eandem rem expendit, *Paulus*, ait, *Apoſtolus tantæ maie-*

*maiestatis locupletatus* ILLAPSV*, fiducialiter protestatur; Et si cognouimus secundum carnem, sed iam nunc non nouimus.*

Pluribus de eodem agit Bernardus disputans de occursu sponsi ac sponsæ Sermone 31. in Cantic. *Animæ suspiranti frequenter, imo, sine intermissione oranti, & affligenti se præ desiderio, cum interdum desideratus ille, qui ita quæritur, miseratus occurrit, puto illi de propria experientia conuenire, vt dicat cum S. Ieremia: Bonus es, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te. Vide autem tu nequid nos in hac Verbi animæque commixtione corporeum, seu imaginatorium sentire existimes. Id loquimur, quod Apostolus dicit:* Quoniam, qui adhæret Deo, vnus spiritus est. *Excessum puræ mentis in* Deum, *siue Dei pium descensum in animam, nostris, quibus possumus, exprimimus verbis spiritualibus spiritualia comparantes. Itaque in spiritu fit ista coniunctio, quia spiritus est* Deus, *& concupiscit decorem animæ illius, quam forte aduerterit in spiritu ambulantem & curam carnis non perficientem in desiderio: præsertim, si sui amore flagrantem conspexerit.*

*Non ergo sic adfecta, & sic dilecta contenta erit omnino vel illa, quæ multis per ea, quæ facta sunt, vel illa, quæ paucis per visa & somnia facta est manifestatio Sponsi, nisi & speciali prærogatiua intimis illum adfectibus, atque ipsis medullis cordis cælitus* ILLAPSVM *suscipiat, habeatque præsto, quem desiderat, non figuratum, sed infusum: non apparentem, sed adficientem; nec dubium, quin eo iucundiorem, quo intus non foris. Verbum nempe est, non sonans, sed penetrans: non loquax, sed efficax, non obstrepens auribus, sed adfectibus blandiens. Facies est, non formata, sed formans: non perstringens oculos corporis, sed faciem cordis lætificans: gratia quippe amoris munere, non colore. Non tamen adhuc illum dixerim apparere, sicuti est: quamuis non omnino aliud hoc modo exhibeat, quam quod est. Neque enim vel sic continuo præsto erit, quamuis deuotissimis mentibus, sed nec vniformiter omnibus. Oportet namque pro variis animæ desideriis diuinæ gustum præsentiæ variari, & infusum saporem supernæ dulcedinis diuersa appetentis animi aliter atque aliter oblectare palatum.*

## SECVNDA DISQVISITIO. Quid per Illapsum Mystici intelligant?

RIllapsus apud Mysticos est multiplex. Primus est naturalis & communis per Immensitatem. Concipitur enim Deus quam primũ res aliqua existit in eius intima quodammodo penetrare, vt nulla pars sit, cui non coexistat, quamque non peruadat & contineat: itaque censetur in omnia, certa ratione, illabi. Hunc Illapsum sequitur vnio præsentiæ.

Secundus Illapsus est supernaturalis, Iustorum peculiaris per

gratiam gratum facientem. Per hanc enim fit vt Deus ad animam venire dicatur, ac in ea manere, & habitare: tandemq; illi arctissimo caritatis nexu cõiungi. Ex hoc igitur Illapsu habetur Vnio amicitię: quã substantialem esse volunt Mystici nonnulli; quod Deus ratione gratiæ habitualis secundum suam substantiam in essentia animæ resideat, adeo, vt si non esset ibi per Immensitatem constitueretur ibidem per gratiam. quod vtrum admitti debeat, superius declarauimus.

Porro, quia Vnio per gratiam habitualem, quæ est in essentia animę, tanquã in subiecto immediate, non potest hominẽ, siue in hac vita, siue in altera plene reddere beatum, cum beatitudo formalis non in habitu, sed in operatione consistat, opus est, inquiunt Mystici, vt Deus ipse, quasi latẽs, & absconditus in animæ fundo animæ potẽtiis se communicet, ostendat, ac reuelet vniendo se illis immediate in ratione obiecti. Hanc autem manifestationem Dei, seu ostensionem Faciei ipsius, vocant Illapsum: quoniam Deus illabitur potentiis, præcipue Voluntati, obiectiue ostendendo se illis in ratione summi boni. Adiungunt iidem Doctores. Quamuis iste Illapsus in gloria sit perfectissimus, quia Deus perfecte, & distincte, siue intuitiue intellectui beatorum proponitur, in via tamen à perpurgatis animis, licet non ita clare, & perfecte, videri tamen, & cognosci, quantum in hac vita permittitur, sub ratione immensæ lucis: à voluntate vero perfectissime attingi, atque arcano nexu apprehendi, quoniam voluntas altius intellectu se erigit, ac immediatius, quam intellectus, Deo vnitur.

Hunc Illapsum dicunt contigisse Apostolis in die Pentecostes. Et, vt tunc spiritum-sanctum Discipulis præsentibus: ita nunc defæcatis Mysticorum mentibus, Deum per suam essentiam fieri præsentem non animæ essentiæ, in qua antea per gratiam existebat, sed potentiis rationalibus, ita, vt ab ijs in ratione obiecti, tangi, amplecti, ac deosculari vitali sensatione & gustu dulcissime possit. Ex hoc illapsu oritur vnio mystica, vel potius est ipsa vnio, & vocari potest signate Illapsus mysticus.

## Tertia Disqvisitio. Ad quid Illapsus mysticus sit necessarius?

Respondent Mystici, esse omnino necessarium, vt faciat, Deum ipsum præsentem in actu primo potentiis, sitque obiectum proportionatum respectu Vnionis mysticæ ac fruitiuæ. Hæc enim Vnio, cum

cum sit perceptio experimentalis, & immediata Dei per arcanum amplexum, & deosculationem mutuam, inter Deum vt sponsum, ac animam vt sponsam, non potest esse, nisi Deo præsente. Per Illapsum autem Deus se demittit quodammodo, & fit præsens Intellectui: qui Deum tunc non videt intuitiue, clarius tamen quam ceteri illum agnoscit & præsentiam illius non ignorat. Voluntati autem immediate coniungitur: quoniam voluntas in vnione mystica supergreditur intellectum: ac eo foras manente, suo acumine Dilecto proximus, ac intimius vnitur, eumque manifeste percipit, & cum eo fit vnus spiritus.

DICES. Deus, ratione Immensitatis, est præsens animæ & eius potentiis. Ergo nō requiritur alia præsentia per Illapsum, ad perceptionem experimentalem & amplexum, seu deosculationem.

RESPONDENT. Negando consequentiam. *Primo*, Quia ratione illius præsentiæ, ac penetrationis, Deus non est proprie vnitus, siue animæ essentiæ, siue illius potentiis. Nam sic mentibus nostris inest tantum, vt principium effectiuum naturale, sicut & omnibus aliis rebus naturalibus dicitur esse præsens. *Secundo*: quod inde consequitur, quia ratione illius præsentiæ non potest esse obiectum proportionatum ad istam vnionem, quæ est supernaturalis, sicut neque ad visionem beatam.

Confirmatur. Vt Iustorum anima vniatur Deo per gratiam habitualem, naturæque diuinæ fiat particeps, non sufficit Deum, ratione immēnsitatis, esse ei intime præsentem: sed vltra etiam desideratur nouus Illapsus, vel, quod nouo modo animæ illabatur, nempe, vt principium supernaturale. Quocirca, non sat esset illa vnio gratiæ perfecta; neque supernaturalis, si tantum Deo, ratione immensitatis præsenti, anima per gratiam iungeretur. Haud dispari modo haud sufficit, q Deus ratione immensitatis sit intime, & quasi habitualiter inter præsens potētiis cognoscitiuis, vt sit obiectū, vel visionis beatæ patria, vel vnionis fruitiuæ in via, quoniam hæc præsentia est improportionata, ac inferioris ordinis. Ergo necessaria est alia præsentia supernaturalis & proportionata, quæ non habetur, nisi per Illapsum Dei præexistentis in essentia animæ per gratiam habitualem vt ita manifestetur potentiis in ratione obiecti supernaturalis, & beatifici.

QVAR-

## QVARTA DISQVISITIO. An illapsus mysticus æque sit in voluntatem, ac Intellectum?

RESPONDENT Mystici recentiores; Non tam esse in intellectũ, quam in voluntatem: imo non esse in Intellectum; sed in solam voluntatem. Negant enim exerte, Deum in hac vita, etiam in perfectissima hac vnione mystica intellectui illabi. Nam si daretur Illapsus in intellectum, Deus videretur clare, & distinctè sicuti est, quemadmodum contingit in gloria. Illapsus enim ille non est aliud, quam fieri Deum præsentem secundum suam essentiam potentiis cognoscitiuis in ratione obiecti. Hoc autem modo si illaberetur & vniretur intellectui Deus intellectus essentiam diuinam clare perciperet, ac intueretur.

Existimant igitur, Illapsum mysticum adficere solam voluntatem, cui immediate vniatur Deus secundum suam essentiam, ita, vt voluntas eius amplexum & deosculationem percipiat sub ratione omnis boni. Hinc, Illapsus ille ab ijsdem vocatur Deosculatio, seu Ostensio faciei sub ratione omnis boni.

Quæres. Quomodo consistere possit Illapsus in voluntatem, sine Illapsu præuio in Intellectum?

RESPONDENT Ad hoc vt Deus illabatur in voluntatem, satis esse, quod in intellectu præcedat lux, seu Contemplatio quædam eximia, qualis est illa, quæ accidit Mysticis in caligine. Dum enim Intellectus intuetur Deum in caligine, voluntas, suo acumine, ingreditur, intellectu foras manente, in sancta sanctorum, ibique misericorditer à Deo osculum accipit Deumque suauissime degustat. Ceterum Intellectus, licet Deum clare non videat, diuina tamen perfusus luce, cognoscit minime obscure, voluntatem esse ipsi Deo immediate suauissimo amoris vinculo, ac ineffabilis dulcedinis vnitam.

Hæc est Mysticorum de Illapsu sententia, quam fusius explicat Thomas à Iesu lib. 4. de orat. diuina cap. 11. Sed in ea plurima dicuntur, quæ ad limam Scholasticæ Theologiæ exigenda sunt.

EXER-

# EXERCITATIO XVI.

## DE ILLAPSV MYSTICO EX SCITIS Theologiæ Scholasticæ.

### PRIMA DISQVISITIO. An Illapsus Mysticus fiat immediate per substantiam Dei in mentes hominum absque accidente intermedio?

RESPONDEO, Negatiue. Probatur. Non potest intelligi Illapsus, nisi intelligatur DEVS nouo modo inesse illi cui illabitur. Ergo non potest intelligi absq; mutatione aliqua. Quæ quidem cum non possit esse in Deo, necessario erit in creatura. Iam vero si mutatur anima per Illapsum. Ergo recipit aliquid quod antea non habebat. Non autem recipit substantiam, nec modum aliquem substãtialem, qualis fuit in humanitate Christi. Ergo aliquod accidens, vel modum accidentalem.

DICES. Anima per Illapsum mysticum recipit substantiam diuinam, & vnionem substantialem cum illa: atq; ita per diuinitatem, quasi ignem ignitur, quemadmodum humanitas Christi per vnitam sibi personam & naturam diuinam, vt declaratum est Exercitatione VI.

CONTRA. I. Quia, vt demonstrauimus, Exercitatione XIV. Disq. 2. In vnione mystica non datur communicatio substãtialis Dei, ita vt substantia diuina substantialiter coniungatur animæ. II. Si esset talis communicatio, per eam, ex anima, & diuinitate fieret vna substantia composita, vt ex humanitate & verbo: Hoc autem admitti non debet. Ergo nec illud. Minor probatur. Quia vel fieret vna natura, vel vna persona. Non prius: quoniam hoc est contra simplicitatem Dei, cui repugnat venire in compositionem tertiæ naturæ, vt ostenditur. 1. P. Tit. *Simplicitas*. & 111. P. Tit. *Incarnatio*. Non posterius: quia alioqui illapsus, & vnio mystica, esset vnio hypostatica: quam inter animas Mysticorum & Deum intercedere, nemo sanus dixerit.

III. Si per Illapsum & vnionem mysticam communicaretur animæ essentia diuina substantialiter, per vinculum aliquod substantiale illa communicatio esset excellentior, quam incarnatio: & vnio

mystica, præstantior, ac nobilior, quam Hypostatica. Siquidem esset vnio immediate, ac præcise cum essentia, qua essentia est, essentiæ autem conceptus est excellentior, quam conceptus subsistentiæ, aut personalitatis, quam respicit vnio hypostatica. Sit itaque certum, illapsum mysticum, si quis est, & vnionem eiusdem denominationis fieri medio accidente in anima recepto. Est igitur

## SECVNDA DISQVSITIO. An præsentia substantialis Dei, ratione immensitatis, non sit satis ad Vnionem Mysticam, seu fruitiuam: siue ad deosculationem, amplexum, conglutinationem, desponsationem; quibus vocabulis Mystici vnionem exprimunt.

RESPONDEO. Non requiri aliam præsentiam substantialem, siue in essentiam animæ, siue in potentias. Probatur. Vnio animæ cum Deo in patria est maior, & intimior, quam sit in via illa, quæ appellatur mystica. Experimentalis etiam perceptio Dei in beatitudine, siue intellectum spectes, siue voluntatem excellentior est, quam in caligine. At vero, illa vnio & perceptio, non postulat aliam præsentiam Dei substantialem, quam quæ est ratione immensitatis. Ergo nec mystica requirit aliam. Minor probata est I^a S^dæ Tit. Beatitudo: vbi etiam refutatur Henricus, qui quodlibeto 13. quæst. 12. ad beatitudinem formalem requirit Illapsum vel in Illapsu cõsistere vult. Quam sententiam, vt temerariam, reijcit Medina I^a S^dæ quæst. 111. art. 2. grauiori, quam mereatur, censura: cum non doceat Henricus, quod illi à quibusdam adscribitur.

Ratio nostri asserti est. Quoniam posita Dei præsentia substantiali per immensitatem, si eleuetur, & confortetur Intellectus per lumen gloriæ: in voluntate autem sit caritas, & aliæ virtutes ac dona: in essentia vero animæ sit gratia: nihil aliud requiritur ad visionem, amorem, ac fruitionem beatificam: imo non potest non sequi visio. Ergo superuacanea, & fictitia est omnis alia substantialis præsentia.

Itaque falsum est, præsentiam per immensitatem, non esse proportionatam, vt Deus sit obiectum vnionis mysticæ. Si enim non est impropoitionata ad visionem beatificam: multo minus erit improportionata ad vnionem inferioris ordinis.

TER-

TERTIA DISQVISITIO. An Illapsus & Vnio Mystica, fiat per qualitatem diuersam ab illa, quæ est gratia sanctificans, & donis Spiritus Sancti?

RESPONDEO. Non esse ponendam aliam qualitatem, quæ constãter, & habitualiter maneat siue in intellectu, siue in volũtate, siue in essentia animæ, vt anima mystice Deo vniatur. Probatur. I. Quia vnio non est quid habituale & perseuerans: sed habet se per modum actionis aut passionis: & breuissimo tempore durat: nec est in potestate Mystici, vt illam habeat, vel exerceat. Ergo gratis fingitur qualitas. II. Per gratiam iustificantem fit anima particeps diuinæ naturæ, vt natura est, per caritatem autem & alias virtutes, & habitus operatiuos disponitur satis ad operationes diuinas. Ad quod etiam confert, ac sufficit auxilium actuale Dei consistens in illuminatione intellectus, & motione voluntatis. Ergo superuacanea est omnis alia qualitas.

## EXERCITATIO XVII.

## *DE QVINQVE SENSIBVS INTERNIS Mystice.*

POst Illapsum Mysticum, dicitur tangi, gustari; amplexu foueri Deus: quæ cum ad sensus referantur, nec illa de sensibus externis intelligi velint Doctores, necessario sensus interiores constituendi sunt, quorum istæ sint operationes. Sit itaque

PRIMA DISQVISITIO. An quinq; sensibus corporis exterioribus, respondeant quinque interiores animæ?

RESPONDEO, Adfirmate. Clarissime Auctor de spiritu & anima, quem sequuntur in hac re Mystici. Duo in homine sunt sensus, vnus interior, & alius exterior: & vterque bonum suum habet in quo perficitur. Sensus exterior reficitur in contemplatione humanitatis:

 sen-

ſenſus interior in contemplatione diuinitatis. Propterea enim Deus factus eſt homo, vt totum hominem beatificaret, & tota conuerſatio hominis eſſet ad ipſum, & tota dilectio eſſet in illo, cum à ſenſu carnis videtur per carnẽ, & à ſenſu mentis per diuinitatis contemplationẽ.

Numerum autem ſenſuum interiorum in hunc modum paullo poſt colligit. Cum homo conſtet ex carne & anima, & in carne ſint quinque ſenſus, ſcilicet, Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus, & Tactus; quos tamen non mouet abſque animæ ſocietate. Ita anima ſimiliter habet quinque ſenſus ſuo modo ; quia ſpirituales res non corporalibus ſenſibus, ſed ſpiritualibus rimandæ ſunt. Singuli autem ſenſus interiores ex ſacra-ſcriptura facile educuntur. De Viſu eſt illud Deuteronomij 32. Videte, quod ego ſum DEVS. De Auditu apocalyp. II. & III. Qui habet aures audiat, quid dicat ſpiritus Eccleſiis. De Guſtu Pſalmo 33. Guſtate, & videte, quia ſuauis eſt Dominus. De Olfactu II. ad Corinth. II. Bonus odor Chriſti ſumus. De Tactu Matth. 9. Vbi fide magis, quam corpore mulierem ſe tetigiſſe oſtendit : dicens Quis me tetigit. Habet hæc eadem S. Bonauentura opuſculo, de ſeptem Itineribus Æternitatis Itinere 6. Particula 6. Diſtinct. 2.

Ad quem vſum præcipue ſint ſenſus interni docet paucis S. Bernardus libello de amore Dei cap. 6. Sicut corpus, inquit, habet ſuos quinque ſenſus, quibus animæ coniungitur vita mediante; ſic anima ſuos habet quinque ſenſus, quibus Deo, ſiue æternis coniungitur mediante caritate. Quare Apoſtolus ad Romanos 12. dicit. Nolite conformari huic ſeculo, ſed renouamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis (ideſt, experimento ſciatis) quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.

Addit his quidpiam notatu dignum cap. 19. Sicut omnes ſenſus corporis, ſcilicet Auditus, Viſus, Odoratus, & Tactus, ſine ſenſu Guſtus infirmantur, & hebetantur, in operationibus ſuis, ſic ante aduentum IESV Mediatoris omnes ſenſus noſtri ſpirituales languebant propter abſentiam guſtus ſpiritualis, vel ſapientialis, quæ necdum fuit fuit incarnata, nec quaſi guſtata : à cuius guſtu quanto diutius abſtinemus, tanto ſenſus interiores magis deficiunt, vel infirmantur in actibus ſuis circa æterna.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quomodo conueniant, & differant ſenſus exteriores ſeu corporei, & interiores, ſeu ſpirituales animę.

RESPOND. Senſus interiores dici analogice ad externos : nec proprie illis conuenire nomen ſenſuum ſed figurate tantum ; per ordinem

dinem ad exteriores: quare non est in iis spectanda omnimoda similitudo, & multo minus, æqualitas. Conuenientia in eo consistit: quod, quemadmodum organis corporeis vitaliter percipiuntur quædam obiecta secundum diuersas rationes ac formalitates: ita potentiæ spirituales animę haud dispari modo versentur circa obiecta sibi proportionata. Disparitas imprimis hæc est, quod non sint diuersæ potentiæ, vel organa, quibus exercentur sensationes interiores, vt accidit in exterioribus; sed eadem omnino gustat, tangit, odoratur, audit, videt. Quod vltimum, quamuis communiter tribuatur intellectui: tamen Mystici voluntati etiam accommodant, quam habere volunt notitiam experimentalem. Cetera discrimina fluunt ex his fontibus.

## Tertia Disqvisitio. An sint constituendi sensus quinque imaginarij?

RESPOND. Adfirmaré: Estque horum sensuum vsus in meditationis palæstra frequens. Certe dum modum meditandi de Inferno præscribit S. Ignatius in libello Exercitiorum spiritualium: iubet primum spectare vasta inferorum incendia, & animas igneis quibusdam corporibus velut ergastulis, inclusas. Deinde, secundum punctum est, audire imaginarie planctus, eiulatus, vociferationes, atque blasphemias, in Christum, & sanctos eius, illinc erumpentes. Tertiũ: imaginario etiam olfactu fumum, sulphur, & sentinæ cuiusdam, seu fæcis, atq; putredinis graueolentiam persentire. Quartum, gustare similiter res amarissimas, vt lacrymas, rancorem, conscientiæq; vermem. Quintum tangere quodammodo ignes illos, quorum tactu animæ ipsę amburuntur.

Habent quoque suum locum sensus imaginarij in Meditationibus, seu Contemplationib. Mysteriorum Christi Domini. V. C. Post Contemplationem de Incarnatione Verbi, & Personarum, verborũ, ac rerum diligentẽ excussionem commodissime, & magno cũ fructu applicantur quinque sensus imaginarii. Primo secundum imaginationem respiciendo personas omnes, & notatis, quæ circa eas occurrerunt circumstantiis, vtilitatem aliquam nostram eliciendo. Secundo, velut audiendo, quid loquantur, aut loqui eas deceat, omnia in vsum nostrum trahendo. Tertio, interiore quodam gustu, & olfactu sentire, quanta sit suauitas, & dulcedo animæ diuinis donis, ac virtutibus imbutæ, iuxta

rationem personæ quam consideramus, adaptando nobis ea, quæ fructum aliquem adferre possint. Quarto, per internum tactum, attrectare, ac deosculari vestimenta, loca, vestigia, ceteraque personis talibus coniuncta, vnde fiat nobis deuotionis, vel boni cuiuslibet spiritualis maior accessio. Ita præscribit S. Ignatius libel. Exercit. Hebdom. 11. Exercit. 5. Vbi, quod obseruandum, Olfactum refert ad odorandam fragrantiam animæ ex donis Dei, & Gustum ad gustandum eius dulcedinem. Quod vtrumque vt monent spiritualium Magistri, significat præsentiam aliquam rei, vel personarum, quas meditamur, cum gustu, & amore eorum tenero.

*Directorii Exercit.*

Addunt iidem: Contemplatorem nō discurrere, sed tantum inhærere, per applicationem sensuum in sensibilibus quibusdam: vt in aspectu, auditu, & reliquis istiusmodi, quibus fruitur & delectatur cū profectu spirituali. Atque ita differt Applicatio à Meditatione: quia hæc magis est intellectualis, & magis versatur in ratiocinatione, & omnino est altior: discurrit enim per caussas mysteriorum & effecta; atq; in iis inuestigat Attributa Dei, vt bonitatem, sapientiam, caritatem ac reliqua.

Fructus, qui ex vsu sensuum imaginariorum decerpitur est potissimum duplex. Nonnunquam enim, cum anima non potest profundiora speculari dum sensus imaginarie applicat paullatim disponitur ad altiora. Et contra sæpe anima impinguata feruens deuotione ex cognitione istorum mysteriorum altiorum, descendens deinde ad sensibilia in omnibus inuenit pastum & consolationem, & fructum ex abundantia amoris, quæ facit, vt minima quæque magni fiant, etiam nutus, ac vestigia, Et vt singula amoris materiam, ac consolationem præbeant.

## EXERCITATIO XVIII.

## *CVSTVS MYSTICVS.*

VNIONIS Mysticæ naturam, ac proprietates, dum scrutantur arcanæ scholæ Magistri, dicunt, eam denominationem non conuenire Vnioni illi, quæ per habitualem gratiam: neque illi, quæ per actualem amorem, etiam ecstaticum, & fruituum contingit: sed ei soli, quę omnibus aliis eminet, in qua Deus Sanctorum mentibus illapsus, per Tactum mysticum, ac amoris amplexū & ipsum mysticum percipitur. Hunc autem Tactum aiunt esse, Cognitionem experi-

perimentalem per Gustum. Quocirca, neque quid Tactus, neque quid Vnio exacte potest intelligi, nisi constet, quid sit Gustus mysticus. Est igitur

## Prima Disqvisitio. An, & quid in rebus spiritualibus ac Diuinis, sit Gustus?

Resp. Gustus spiritualis per ordinem ad corporeum ac sensitiuum describendus est. Gustum autem vocamus sensum saporis perceptiuum, ac discretiuum: Gustationem, ipsam sensationem. Itaque vt in rebus ad animum & cælestia spectantibus saporem agnoscimus, sic & gustum, phrasi vel profanis probata. Cicero Philipp. 3. *Vt quidã morbo aliquo, & sensus stupore, suauitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, auari, facinorosi, veræ laudis gustum non habent.*

Plurima autem sunt in rebus spiritualibus, quę saporem, & dulcedinem habent, quæ proinde gustari possunt. Et imprimis, vniuerse, quicquid ad Deum & æterna spectat, interquæ, & res terrenas, licet maxime suaues, discrimen ex Gregorio vulgatũ est: quod, dũ non habentur, nec percipiũtur, amaræ videantur, & acerbæ: dũ interiori palato sentiuntur & diligenti consideratione, quasi masticantur, gustũ suauissimũ pariant, cuius contrarium in temporalibus accidit. Siquidem quo magis gustantur illæ, magis etiam cognoscuntur: sicq; magis illarum dulcedo percipitur. Quanto magis diuinarum delitiarum saporem animus percipit, eo amplius cognoscit, quod auidius amet, inquit Gregorius. *Hom. 36. in Euang.*

Gustate & videte, cantat Vates regius, quoniam suauis est Dominus; Hoc est: gustate, vt videatis: nam si gustaueritis, videbitis, & cognoscetis. Vel, gustabitis, si videritis. iuuat cognitionem gustus: & gustum aliqua præcedit cognitio. Id experiuntur, qui Iustitiam, quæ ex Deo est attentius contemplantur, & amant. *In hac enim Iustitia*, vt loquitur S. Augustinus, *est multa multitudo dulcedinis Dei, propter quam dicitur in Psalmo:* Gustate, & videte, quam dulcis sit Dominus. *Et hanc quidem in hac peregrinatione gustantes, non ad satietatem sumentes, esurimus eam potius ac sitimus, vt ea postea saturemur, cum videbimus eum sicuti est: & implebitur, quod scriptum est:* Satiabor, cum manifestabitur gloria tua. *Psal. 33. 9.* *Lib. 21. de Ciuit. c. 24*

Sed non omnibus sapit hæc Iustitia, vt notat Auctor operis Imperfecti Homil. 28. in Matthæum. sicut non omnibus est suaue Christi iugum, & onus eius leue. Ita lex immitis habetur mandans in ira: Christus mitis mandans in misericordia non vt puniat, sed, vt saluet. *Matth. 11. 30.*

Gustum

Gustum hunc suauissimum Cyrillus Alexandrinus lib.4. in Ioann.cap.34.obseruat esse in qualibet,quamuis parua,sed vera cognitione verborum diuinorum,vnde quis facile iudicet, Deum bonum esse,ac,vt talem,demiretur.

*Athan. Serm.de Pass.Domi. Bern.Ser. 1 de om. nib. SS. & Serm.de Natiuit. Cant.s.1.*

Eundem gustum contemplatur S. Athanasius in suaui... tiæ vino,quē promeruit suis Christus aceto ac felle gustato. ... ad mysticum gustum accedit S. Bernardus , dum beatitudin... percipi docet,& gustari quodammodo. Quod etiam habet S. ... stinus de spirit.& Anima cap.58.& in Soliloquio cap.22. ...

Gustum hunc variis Symbolis SS. oculis subiicit siue ... diuinas vt cibum dulcissimum,& potum suauissimum prop... *edi panem meum cum melle meo. bibi vinum meum cum lacte* ... quiebat anima illa Deo cara:siue cum manna,botros,vbera,... lia nominat. At non omnis rerum spiritualium gustus vocatur ... cus,prout nunc de gustu mystico disputamus.

## SECVNDA DISQVISITIO. An Gustus My... pertineat ad aliquod,& quodnam Donum ... ritus sancti?

S. Bonauentura agens de hac re,in Diæta salutis Tit. 6. refer... ad Donum sapientiæ : quod differre dicit à Dono Int... q intellectus sit cognitio speculatiua , & quasi cognitio pe... Donum autem sapientiæ sit cognitio experimentalis & pra... quasi cognitio per gustum:ideoque superiorem esse sapientia... Intellectus dicat tantum cognitionem,vel visionem : sapie... cognitionem dicat delectationē. Addit:Notandū,q Intelle... stet:sapientia vero per affectum intret,& ipsas delitias sugge... que dici Gustate,& videte,quoniam suauis est Dominus. Gu... sapiētiam pertinet, sed videre ad intellectum:quia quod int... acute inuenit,sapientia ad spiritualem delectationem con...

## TERTIA DISQVISITIO. An Gustus my... præcedat,vel sequatur cognitionem?

RESPONDEO Subsequi cognitionem imperfectam, antec... perfectiorem. Exemplo id declarant Mystici. Antequam ... fruatur cibo suauissime condito, habet illius aliquam notit... dulcedinis insitæ æstimationem:at,ex gustu , consequitur no...

multo excellentiorem, æstimationemq; perfectiorem: ideo dictum, *Gustate & videte*. Gustate, vt videatis: nimirum, exquisitius: ordine enim semper prior est nonnulla cognitio: perfectior autem illa, vocatur cognitio per gustum. Itaque intellectus diuinitus ad contemplationes mysticas erudutus & eximio lumine illustratus Dei essentiam, bonitatem, sapientiam, aliasque perfectiones cognoscit aliquo modo. At voluntas caritate inflammata, & in altum euecta, dum inhæret Deo, gustatu illum percipit, quo, tanquam experimento edocta, maiorem illius suauitatem, pulchritudinemque persentiscit, quam antea intellectus agnouerat, senseratque. Quocirca intellectus gustu voluntatis effectus perspicacior, notitiam Dei format clariorem. Ex hac autem tam illustri notitia, & adhæsione voluntatis cum Deo admirabilis, & nunquam satis explicanda voluptas consequitur, qua Mystici perfruuntur.

---

# EXERCITATIO XIX.

## TACTVS ET AMPLEXVS MYSTICI.

### PRIMA DISQVISITIO. Quid sit Deum attingere?

RESPONDET Hugo Victorinus libr. de Arca & Noë DEVM attingere, est semper per desiderium eum quærere per cognitionem inuenire, & per gustum tangere. Vnde illius attingentiæ tres inueniuntur gradus Primus est, quo Deus per desiderium quæritur, quamuis non attingatur Deus, vt desideratur, & secundum aliquid, non habeatur: tamen necesse est, vt etiam, secundum aliquid, præsens habeatur; alias, non desideraretur. Dicit enim Gregorius: Profecto, qui Deum desiderat, iam habet, quem amat. Secundus gradus, quo Deus attingitur est, cum per cognitionem inuenitur. Sed attingentia manet imperfecta, nisi id, quod præsens est cognitioni, fiat præsens voluntati amantis. Quare tertius modus, & gradus, quo Deus attingitur, est, cum Deus per amorem tenetur, & amplexatur. Vnde Augustinus libr. 9. de Trinit. capit. 8. dicit; quod voluntas habet vnum proprium actum, qui est actus tenendi, siue amplexandi, & quasi possidendi, quos actus non potest habere intellectus: nam possessio non est intellectus cognoscentis, sed voluntatis habentis: Sicut sanitas sa-

ni non est Medici cognoscentis sed sani eam habentis. Ita Hugo, quem Mystici sequuntur.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quomodo fiat Tactus Mysticus.

RESPOND. Probabilissima in hac re sententia est. Quando voluntas amore ecstatico inflammata, & supra intellectũ eleuata, eo peruenit, quo intellectus non penetrat, Deo viciniorem fieri, ibique arcano nexu eidem copulari. Quod dum fit Spiritus Sanctus, amoris eximij contactu supremum mentis apicem dignatur: & ipsa vicissim voluntas Deum non solum tangere, sed arctissime etiam constringere censetur, suauitatem diuinam non tam visu, quam gustu, tactuque percipiens.

Cum autem sic voluntatis summitas tangit, ac tangitur, iudicatur diuina pati, hoc est, modo quodam diuino affici. Illud etiam quorũdam opinione probabile existimari reperio: Ex Tactu mystico, motũ, siue impulsum quendam imprimi eidem potentiæ, vt in Deũ velut in centrũ suum feratur: qualis ex magnetis tactu stylis ferreis imprimitur, quo semper in mundi polum, verticemue erigitur. Verum hoc, siue qualitate aliqua permanente, aut impetu alio, quam actuali amoris agitatione intelligatur admittendum non videri ex superius disputatis constat.

## TERTIA DISQVISITIO. An tactus mysticus, sit altior, quam actus intellectus, qui tunc est in anima.

RESPOND. Adfirmatiue. Patet ex dictis, nam tactus fit, & habetur à voluntate, erigente se supra intellectum, & intrante in illam altitudinis summitatem, ad quam tunc intellectus non admittitur. Contingere autem posse, vt voluntas amore diuino elata altius caput efferat, quã intellectus, & gustu, ac tactu hunc præcat ex S. Thoma & D. Augustino, suo loco probauimus: & sentiunt Abbas Vercellensis ac Lincolniensis apud S. Bonauentur. It nere V. Æternit. Dist. 5. vbi de hac ipsa re disputans: *Patet*, inquit, *plane quod actus dilectionis excellit & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. In quantum autem eum excellit, in tantum eum excedit, attingendo* DEVM *in aliquo gradu*

2. Sec. q. 27 art. 1.

*gradu dilectionis ad quem actus intellectualis extendi non potest, quia superintellectualis est saltem in hac vita, quia in patria videbimus* DEVM *sicuti est.*

Idem S. Bonauentura Scholasticum agens in 11. sent. Distinct. 23. art. 2. quæst. 3. Amor secundum Bernardum multo plus se extendit, quam visio.

Habet autem quædam peculiaria sensus tactus, quæ facile ad hunc spiritualem, ac diuinum transferuntur. Est imprimis quoddam discrimen inter sensationem tactus, & alias; quod ad tactum non sit satis intentionalis mutatio, sed necessario sit naturalis, seu realis. Quocirca non potest tactus obiectum suum percipere, nisi immutetur realiter, quod non fit, nisi sit illi coniunctum obiectum & vnitum realiter cum organo Haud sequus: cum DEVS in caligine mentibus defæcatis per illapsum, tactum ac complexum arctissimum se præbeat percipiendum, necesse est diuinitatem peculiari aliqua ratione esse vnitam animæ: ex qua vnione sequatur immutatio non Dei, sed animæ, quæ hoc mystico tactu transformetur, non aliter ac ferrum ad contactum ignis alteratum, in ipsum quodammodo ignem transformatur: vt superius est declaratum. Quam transformationem non veretur Mystici, *Copulam* dicere, sequuti S. Dionysium, qui, *Amor*, inquit, *est copula amantis cum amato.* Quod probat S. Thomas, quoniam amor suapte natura contendit ad vnionem, non solum per affectum, verum etiam realem amantium inter se coniunctionem illam, quæ sit possibilis. Quo sensu adducit S. Doctor, ac exponit illa verba Augustini lib. 8. de Trinit. ca. 10. Quod amor sit iunctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & amatum. Quod enim inquit, *copulans*, refertur ad vnionem adfectus, sine qua non est amor: quod subdit *copulare intendens*, pertinet ad vnionem realem. In quem sensum explicat etiam S. Thomas dictum Aristophanis apud Aristotelem lib. 11. Politicorum cap. 2. qui adserebat, talem esse amorem ex se, vt virtute illius, si fieri posset, ex duob. amantibus fieret vnus. Quoniam autem hoc reapse fieri est impossibile, amor, inquit, vnionem reipsa quærit, quæ fieri potest, quæque conuenit, ac decet. Qualem vnionem agnoscunt Mystici inter DEVM & animam in hoc ineffabili tactu, in quo, vt loquitur S. Thomas, *indicibili modo, anima rapit & rapitur: tenet, & tenetur: stringit, ac stringitur, & vna vni per amoris copulam sociatur.* P. S. q. 28. art. 1.

Præterea: Quemadmodum per tactum habetur perceptio præsentiæ obiecti tangibilis: ita per Mysticam illam tactionem percipit quasi vitaliter anima præsentiam diuinitatis.

Adhæc: Vt Tactus, si sit duorum eodem sensu præditorum, est

 reci-

reciprocus, ac mutuus; ita inter DEVM ac animam contingit. Est hic mutua consociatio. Anima tangit, & reciproce tangitur: amplexatur, oscula imprimit, dilectum fouet: vicissimq; adstringitur, oscula accipit, tenetur, fouetur.

Porro cum in hoc arctissimo complexu, DEVM amplexata, illique inhærens voluntas, diuina patitur, ac intimo gustu Dei bonitatem, ac pulchritudinem percipit, oritur in intellectu, qui inferius remanserat admiranda quædam lux: & ex ea clarissima ac verissima Dei cognitio, multo præstantior, ac eminentior, quam quæuis alia per scientias hausta notitia.

# EXERCITATIO XX.

## LOQVELA MYSTICA.

CVm in vnione mystica Deus voluntatem amplectitur, illaque arcano modo diuinitatem tangit, eidem copulata, loquitur dilectus suauissime cum anima, sed loquutionis genere inusitato: quod merito Mysticum dicitur & non paucas difficultates inuehit, quæ vt expediantur, distinguenda est loquutionum varietas. Principio illud in confesso est, quod habet Paulus Apostolus Hebræor. 1. 1. *Multifariam multisque modis olim Deum loquutum Patribus in Prophetis.*

Greg. li. 28 mor. c. 1. Modos omnes S. Gregorius ad duos reuocat. *Duobus, inquit, modis loquutio diuina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum virtus eius intima quadam subleuatione cognoscitur. Cum vero per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis: aliquando imaginibus, & ante corporeos oculos ad tempus ex aere adsumptis, aliquando cælestibus substantiis, aliquando simul terrenis & cælestibus: nonnunquam vero etiam per Angelum, humanis cordibus ita loquitur* DEVS, *vt ipse quoque Angelus mentis obtutibus præsentetur.* Exemplis postea singulos modos firmat.

Duo quoque capita Loquelæ diuinæ exprimit S. Augustinus: *Aut enim veritas incommutabilis per se ipsam ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, siue spiritualibus imaginibus nostro spiritui, siue corporalibus vocibus corporis sensui.* Sed doctrinæ causa in plura membra fieri potest partitio, quam sic instituo.

PRIMO: Loquela Dei est externa ac communis, per scripturam sacram

facram: communis, dico: quia ad omnos dirigitur. *Quod vobis dico*, inquiebat Christus, *omnibus dico, Vigilate*. Id in multis quoque aliis verissimum est sigillatim: vniuersè vero in omnibus quatenus ad Ecclesiam referuntur, in qua semper sunt, quibus quicquid scribitur, accómodari potest. Hoc pacto intelligit S. Gregorius sensu accommodatitio, quod est Iobi 33.14. *Semel loquitur* DEVS, *& secundo id ipsum non repetit*. Si quidem Deus *singulorum cordibus priuatis vocibus non respondet, sed tale eloquium construxit, per quod cunctorum quæstionibus satisfacit. In scriptura quippe eius eloquio caussas nostras singuli si requirimus inuenimus: nec opus est in eo, quod specialiter quisque tolerat, responderi sibi diuina voce specialiter quærat. Ibi enim nobis omnibus in eo quod specialiter patimur, communiter respondetur: ibi vita præcedentium fit forma sequentium* Vt enim vnũ de plurimis proferamus; ecce dum passione aliqua vel molestia carnis afficimur, scire fortasse occultas causas passionis eiusdem vel molestiæ optamus, quatenus in eo quod patimur ex ipsa rerũ scientia consolemur. Sed quia de specialibus tentationibus nostris nequaquã nobis singulis specialiter respondetur ad scripturã sacrã recurrimus. Ibi videlicet inuenimus, quod Paulus carnis suæ infirmitate tẽtatus, audiuit: sufficit tibi gratia mea, nã virtus in infirmitate perficitur. Quod idcirco illi in infirmitate propria dictũ est, ne sigillatim nobis omnib. diceretur. In scriptura igitur sacra vocẽ Dei afflicto Paulo audiuimus, ne cũ forte nos affligimur, singuli audite eã priuatã consolatione quæreremus. Non ergo Dominus ad omnia verba nobis respondet, quia semel loquitur, & secundo id ipsum non repetit: id est, in his, quæ per scripturam sacram ad Patres nostros protulit, nos erudire curauit. Marci 13. 37.

SECVNDO: Loquitur Deus exterius per volũtaris suæ interpretes, Ecclesię ac Reipublicæ curatores, Episcopos, Parochos, Ecclesiastas, Confessarios, Monitores, conscientiarum magistros: Qui vos audit, me audit, inquit veritas. Lucę 10.16. Ex horum numero vnum se esse profitetur Bernardus acri contestatione. Vbi est modo Christus? ostende nobis Christum, & sufficit nobis. Quid curiosos circumducitis oculos. Num ad videndum, & non magis ad audiendum conuenitis? Dominus Deus aperuit mihi aurem inquit Propheta: Aurem meam aperuit, vt audiam, quid loquatur, non oculum, vt videam vultum eius, illuminauit. Aut certe suam mihi aperuit aurem non faciem reuelauit. Post parietem stat: audit, & auditur. Sed necdum apparet. Audit orantes: erudit audientes. An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Christus? Ego, inquit, qui loquor iustitiam. Quid ni loquatur ore, quod ipse plasmauit? Quid ni suo vtatur, vt Liber, Artifex instrumento? Bern. Ser. de Nat. Ioh. Bapt. Isa. 50.

Non tantum aures eorum, sed & labia mea aperi Domine. Ego enim labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. Bene enim omnia facis, & surdos facis audire, & mutos loqui.

TERTIO: Loquitur per Beneficia. Oseæ 11. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*; plurimis illam beneficiis ornando, ac permulcendo. Beneficia sunt Dei verba: sed suauia, delinifica, blanda, amatoria.

QVARTO: Loquela fit per ærumnas, calamitates, flagella: quæ sunt verba Domini aspera, aculeata, pungentia. Hoc loquutionum genere vtitur etiam interdum cum amicis, inter quos Iobus: cui *respondens Dominus de turbine, dixit. Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis.* Quo loco Gregorius: Aliter Dominus seruis suis loquitur, cum eos intrinsecus per compunctionem prouehit, aliter cũ per districtionem, ne extollantur, premit. Per blandam enim loquutionem Domini, amanda dulcedo eius ostenditur: per terribilem vero, potestas eius metuenda monstratur. In illa persuadetur animæ, vt proficiat: in ista reprimitur, quæ proficit. In illa discit, quod appetat: in ista quod metuat. Per illam dicit: Gaude & lætare filia Sion: quia ecce venio, & habitabo in medio tui. Per istam dicitur; Dominus in tempestate veniet, & in turbine vox eius. Blandus quippe est, qui, vt in medio inhabitet, venit. Cum vero se per tempestatem, & turbinem insinuat, nimirum, quæ tangit corda, perturbat: atque ad edomandam elationem se exerit, quando potens, & terribilis innotescit.

*Iob. 38. 1.*

QVINTO: Loquela Dei interna, est, per Inspirationem qua sibi dici quidpiam anima sentit. Huius exempla innumerabilia sunt in sacra Scriptura. Dicitur cuilibet animæ Deo caræ: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam.* Quæ audire iubetur, vt loquelam percipiat, instigatur. Monet autem tertio Propheta, *Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Quantæ enim temeritatis: imo, quãtæ insaniæ est (vt Bernardus disputat) si forte cum alloquitur nos Dominus maiestatis, nos insensati auerramus aurẽ, & ad, nescio, quas ineptias conuertamus. Quanta est hæc iniuria, & quã grauiter vindicanda cum vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem Vniuersitatis. Quanta vero, & quam ineffabilis diuinæ dignatio bonitatis, quæ cotidie conspicit nos infelices, auertentes aures, obdurantes corda; & nihilominus clamat ad nos, & iugiter clamitat in plateis. Vere in plateis, quia in latitudine charitatis. Ecce enim bonorum meorum non indiges Domine: & tamen dicis: Conuertimini filij hominum. Et iterum clamitas Reuertere, reuertere Sunamitis, reuer-

*Psal. 44. 11.*
*Ps. 94. 8.*
*Serm. de 7. Spirit.*

reuertere, reuertere vt intueamur te. Propterea obsecro vos, Dilectissimi, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & nedetis silentiū ei, audientes iugiter, quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquetur pacem.

SEXTO. Censetur loqui Deus immittendo animæ singularem quandam fiduciam, quod impetraueris id cuius desiderio tenebatur, & à Deo obtinere postulabat: aut, contra subtrahendo istiusmodi interiorem instinctum. Habet hunc modum S. Bonauentura lib. de Processu Religionis cap. 19 quod est de pluribus modis reuelationum; vbi inter alia ita docet. Est modus reuelationis per spiritum-sanctum, cum homo ex Dei inspiratione orat Deum pro alia speciali caussa, vel propria, vel aliena, & per affectum deuotionis, & fiduciam exauditionis intelligit se exauditum in hac petitione. Sed licet confidat, quod illud pro quo orauit habiturum sit prosperū successum; nescit tamen sæpe qua via habebit processum. E conuerso cum non sentit sibi infundi fiduciam exauditionis, hinc colligit non habiturum effectum suæ petitionis: licet non sit in hoc omnino certus, quia nescit an hoc sit defectus deuotionis, vel indicium negatæ petitionis. Hoc autem reuelationis genus est specialiter deuotæ mentis familiare, inquit Bonauentura.

Multus est in modis istis loquutionum diuinarum describendis Episcopus Abulensis tum in cap. 10. Iosue q. 1. tum in lib. 3. Reg. ca. 13. q. 18. Vbi quinque præcipuos enumerat. Primus est, quando Deus humana specie sese spectandum, atque audiendum præbet. Secundus: cum vox sola ad aures peruenit. Tertius: cum dormienti immissa diuinitus simulacra cogitationi sese obiiciunt. Quartus: cum in ecstasi mens extra se rapta diuinas notiones percipit. Quintus: cum mens humana cælesti lumine illustrata cognitione diuinarum rerum imbuitur. Ex his desumenda est Loquelæ mysticæ ratio. Sit igitur

## PRIMA DISQVISITIO. Quæ sit loquutio mystica?

RESP. Loquutionem Dei mysticam vocant DD. eam, qua menti in caligine constitutæ loquitur Deus, vel proxime per se, vel per subiectam creaturam, formando verba in Contemplantis animo: quibus illum peculiariter de aliquo ad salutē aut profectū illius, aliorumue erudiat atq; ad magnam reuerentiam, obedientiā aut alios adfectus sanctos, & diuinos impellat. Exemplum illustre est in Mose, cui

Exo.33 10. cui loquebatur Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.

## Secunda Disquisitio. An, & Quomodo, loquutio mystica fiat exterioribus vocibus.

Resp. Ita nonnunquam contingere: tunc autem voces auribus corporeis excipiuntur, sed illorum energia ad animum penetrat, qui docetur ac impellitur. Varie autem ita Deus loquutus est, Aliquando per nubem Exodi 16. Num. 16. Deuteronomij 31. Alias per ardentem rubum Exodi 11. Interdum de medio ignis Exodi 19. Et 20. Deuter. 4. 5. 9. & 10. Quandoque de turbine Iob. 38. Frequenter de propitiatorio Exodi 25.

Nec in veteri solum Testamento, sed in nouo etiam istiusmodi loquutionib. vsus est Dominus. Sic baptizato Christo audita est vox: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui Matt. 3. 17. & similis in Transfiguratione Matt. 17. 5. & ad petitionem illam Christi, Pater clarifica nomen tuum: nam responsum fuit: Et clarificaui, & iterũ clarificabo. Angelo etiam ad virginem loquente vox ad aures accidit, quæ interius erudiuit virginẽ. Formatio autẽ huius vocis cõmuniter Angelo tribuenda est, quamuis progredi videatur à corpore alio, vt ab arbore, vel imagine, aut hostia sacra, aut condensato aere, sanctum, aut alium quemcumque repræsentante.

## Tertia Disquisitio. An & Quomodo loquutio mystica fiat in imaginatione?

Respond. Negari non posse, loquutionem mysticam contingere aliquando, imo frequentius non formatis vocibus externis, sed in imaginatione specieb. vel recenter impressis, vel antiquis ita dispositis, siue per Deum immediate, siue per Angelum, vt probe percipiantur illæ sententiæ, quas Deus vult intelligi ab illo cui loquitur. Huius autẽ Loquutionis non vna est ratio. Primo, ita in imaginatione verborum imagines collocantur, vt videatur vox exaudiri, nec secus sese res habeat, quam si mutuo colloquerentur amici, aut cum discipulo magister. Hoc indicare videtur Cyprianus Prologo de operib. Cardinal. vbi sic inquit, *Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinsecus, quæ efferre non sufficit, vt dubitare non possis, quia iuxta te est, imo intra te, qui te solicitat: nec tamen sicuti est, se tibi videndum concedat.*

Secundo: Persona quæ loquitur ita imaginationi repræsentatur,

tur, ac si coram videretur. Sic se vidisse memorant aliquando Mystici Christum, B. Virginem, aut Sanctorum quempiam & cum ijs dulciter confabulatos. Hæc persona si sit purus Spiritus vt DEVS, Angelus, anima, specie corporea se offert, ac perfectiones suas, vt fidem maiorem habeat, manifestat. Ceterum verba ipsa in imaginatione formata aliquando è supernis descendere, aliquando ex imo cordis prodire, nonnunquam iuxta audientem proferri interdum è loco remotiore appellere videntur.

## QVARTA DISQVISITIO. Quomodo cognosci potest loquutionem in imaginatione figuratam esse à superiore principio, quam sit hominis industria?

RESP. Mysticos adsignare hæc indicia. Primo. Quod non sit in potestate audientis ea verba respuere, vel non audire, vel ab ijs cogitationem, mentemq; diuertere. Deinde: quod breuissimo tempore: imo pene momento plura manifestentur, quam cõtemplans posset longissimo tempore adsequi. Præterea, quod insolentes, ac admirandos quosdam effectus in animo hæc loquutio interior pariat, qui hominis solertia procurari nequeunt.

## QVINTA DISQVISITIO. Quando-nam potissimum audiri soleat mystica Dei loquela: præsertim, quæ in imaginatione formatur?

RESPONDEO. Tempus locumque non esse certo & infallibiliter determinatum: non enim Deo difficile est in medijs quoque turbis, in foro, in platea haud sequus ac in solitudine ad cor sibi dilectis loqui, ac attentos reddere: communiter tamen id contingit dum anima à tumultu procul, feriatur, nullis quoque curis exterioribus distracta. Quem statum, cum quietis tempore habeat, fit vt in somno plurimum loquela & auditio mystica vigeant. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, dicebat Deus ad Aaron & Mariam Num. 12. 6. Et Iob. 33. 15. *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.*

Quo loco, duos modos loquutionis diuinæ contineri existimat

Ioannes Pineda, vt alter sit in somnio, alter in visione nocturna: nempe, dum homo vigilat. Et sane distinguuntur illi modi non raro. Ioelis 11.28. *Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt.* Idem fit Numer. 12. verbis citatis. Sic etiam Danieli dicitur dedisse DEVS *intelligentiam omnium somniorum, & visionum.* Eruditus fuit in somno Ioseph, dum audiuit: *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est.* Matth. 1.20.

Somniorum autem, per quæ Deus loquitur, iterum duplex est genus. Interdum enim nouus aliquis & insolitus ac subitus soporirruit super hominem; quod Abrahamo accidit Genes. 15.12. Aliquando solita est quies, sensuum ligatio, indeq; somnus. Quem ad somnia & visa diuina aptissima etiam judicauit antiquitas si pacatus sit, & temperantiam comitem habeat. Describit huiuscemodi somnum Cicero, & an[illegible] Plato in Politicis ex mente Socratis.

Qui salubri, inquit, & moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis & consilij est agitata, & erecta saturataque bonarum cogitationum epulis, eaq; parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, neque satietate adfluenti, quorum vtrumque præstringere aciem mentis solet: siue deest naturæ quidpiam, siue abundat, atque effluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor sedata, atque restincta, tum eueniet duabus animi temerarijs partibus compressis, vt illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & se vegetam ad somniandum, acremq; præbeat: tum ei visa quietis occurrent tranquilla, atq; veracia.

Sed DEVS ad diuina somnia ne hoc quidem temperamentum exigit. Quolibet in somno, ac somnio suos erudire potest, & aurem vellere. Imo turbidis sæpe in somnis, ac somnijs sui copiã fecit. Sic cũ Abrahamũ alloqui cõstitueret, horror magnus & tenebrosus inuasit eum Genes. 15. Verum de toto hoc genere luculenter & accurate disseruerunt scriptores egregij, Benedictus Pererius lib. 1. in Daniel. Delrius lib. 4. Disquis. cap. 111. q. 6. & cap. 1. qu. 2. Sect. 2. Petrus Thyræus lib. 11. de apparitione, & loquutione diuina.

Adiungunt Mystici, frequenter Deum in somno loqui suis tum, quia tunc homo ad audiendam vocem Dei est aptissimus: quippe ab aliarum rerum occupationib. plane solutus ac liber. Siquidem somnus quo magis hominem à sensibus eorumque occupatione abstrahit: eo motioni diuinæ, ac interno cælestium imaginum sensui aptiorem reddit: tum quia sic magis beneficium agnoscit diuina audiens, nec sibi tribuit illustrationem cœlitus acceptam: tum quia hoc modo re-

do remuneratur Deus aliquo pacto religiosiorem cubationem: atq; ad diuinos afflatus excipiendos sollicitam præparationem.

Alia quoque sunt tempora loquelæ mysticæ opportuna: præsertim, quando Mystices studiosus familiares cum Deo congressus expetit, & orationi contemplationique studiosius dat operam: tunc videtur frequenter, auditurque Deus, ac dicere potest Mysticus: Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus vidit te. Vbi per visionem intelligũt multi clariorem rerum diuinarum cognitionem, quæ illustratione, ac auditu interiore habetur. *Quanto visus superior est auditu*, inquit Gregorius, *tanto differt ab eo quod prius extitit, quia interno oculo veritatis lumen magis conspexerat.* Et Philippus Presbyter: *Audire* DEVM, *vel videre qui est inuisibilis non istorum oculorum vel aurium est sed mentis & cordis.* Ac longe clarissime Chrysostomus: *Non quia oculus viderit, sed quia clarius audiuerit.* Quam interpretationem sequuntur D. Thomas, Olympiodorus, Caietanus, Vatablus.

## SEXTA DISQVISITIO. An loquutio mystica contingat aliquando in intellectu, pure spiritualiter?

RESPOND. Affirmate. Declaro. DEVS quemadmodum in imaginationem, ita & intellectum potest immediate rerum notiones infundere, aut species rerum inditas modificare. Qua ratione censetur loqui cum Angelis. Hoc autem esse posse independenter à phantasmatum concursu in superioribus probatum est. Quando autem & cui contigerit ex sapientiæ mysticæ cultoribus, certo adfirmare non possumus. Verisimile est, eius gratiæ participes fuisse tum Paulum in raptu, tum alios quosdam eximie DEO caros, ac contemplationi deditos. Inter quos Dauid non immerito nominatur. Sic autem ille quodam loco de loquutione quadam mystica ad se facta. Dixit *Li. II Reg. 23 13.* DEVS *Israel mihi loquutus est fortis Israel, Dominator hominum iustus, Dominator in timore Dei. Sicut lux auroræ oriente sole, mane absque nubibus rutilat.* Lucem hanc spiritualem accipio in anima rutilantem, absq; nebula, & nubilo incurrentium phantasmatum.

# EXERCITATIO XXI.

## AVDITIO MYSTICA.

LOquutio ad audientem dirigitur, ne fine careat, vel fructu: ideoque vt Loquutio, ita & Auditio aliqua est eiusdem denominationis, nempe mystica, de qua est

### PRIMA DISQVISITIO. An auditio mystica fiat absque omni actu intellectus, ac voluntatis, illius, qui audit.

QVi existimant contemplationis, vel orationis genus aliquod esse per suspensionem omnis actus interioris, hoc etiam vtuntur argumento. Quamuis in oratione mentali anima loquatur cum DEO, ob quam caussam oratio definitur à Nilo, Chrysostomo, & alijs, *Colloquium mentis cum Deo:* tamen etiam Deus loquitur ad animam iuxta illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus:* Psalm. 8o. 4. & illud Samuelis: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus* 1. Regum III. Potest igitur cessare loquutio hominis, continuante loquutionem suam DEO. Quod si tunc animus paratus sit ad audiendum Deum, suspendaturque actus omnis non tantum sensuum, sed & mentis, censebitur optime dispositus ad percipiendam mysticam Dei loquelam per auditionem spiritualem quæ nullum alium actum videtur requirere. Atque ita vsurpare poterit Mysticus illud sponsæ. Ego dormio cor meum vigilat: Cantico. V. Dormire enim dicitur, quia omnem strepitum, ac tumultum fugit, nihil agens: vigilare autem, quoniam in spirituali illo sopore venas diuini susurri percipit iuxta illud Iob. 4. *Quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines.*

RESP. Auditionem mysticam non fieri absque vlla operatione interiore potentiæ vitalis. Probatur. Auditio mystica est perceptio interna loquutionis Dei. Hæc autem non contingit in homine vacante ab omni actione vitali. Quia percipere est per potentiam vitalem loquentis vocem haurire & agnoscere. Confirmatur ex ipsa ratione loquutionis diuinæ & humanæ quam bene explicat Suarez to. II. de Relig. li. II. c. 12. Siquidem loquutio mystica DEI, fit vel per impressionem, infusionem, aut modificationem specierum intelligibilium

lium motionem-ue, aliquam internam, aut applicationem notionũ, & imaginum interiorum: terminatur autem hæc Dei operatio ad actum aliquem hominis recipientis, ac attendentis. Porro quatenus procedit à Deo volente quidpiam manifestare homini dicitur loquutio Dei: quatenus autem percipitur ab homine, vocatur Auditio.

Insinuat hanc doctrinam S. Bernardus Sermo. 45. in Cantic. vbi subtiliter disputat, qualiter anima loquatur ad Dei verbum, & verbũ ad animam, ac, quæ sint eorum linguæ. Forte ascendunt, inquit, cogitationes in corde tuo, & quæris dubie apud te, dicens: Qua ratione verbum verbi facta ad animam referuntur: & rursum animæ ad Verbum, vt illa audierit vocem loquentis sibi, & perhibentis, quod pulcra sit, vicissimque idem præconium suo mox reddiderit laudatori? Quomodo possunt hæc fieri? Nam verbo loquimur, non verbum loquitur. Itemque anima non habet vnde loquatur, nisi os corporis sibi verba formauerit ad loquendum.

Bene quæris: sed attende spiritum loqui, & spiritualiter oportere intelligi, quæ dicuntur. Quoties proinde audis, vel legis Verbũ, atque animam pariter colloqui, & se inuicem intueri, noli tibi imaginari quasi corporeas intercurrere voces, sicut nec corporeas colloquentium apparere imagines. Audi potius, quid tibi sit in huiusmodi cogitandum. Spiritus est verbum spiritusque anima & habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Et Verbi quidem lingua, fauor dignationis eius: animæ vero deuotionis feruor. Elinguis est anima, atque infans quæ hanc non habet, & nõ potest ipsi vllatenus sermocinatio esse cum Verbo. Ergo huiuscemodi linguam suam cum Verbum mouet volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus: Et rursum cum suam animam mouet, verbum latere multo minus poterit, non solum, quia vbique est præsens: sed propter hoc magis quod nisi ipso stimulante deuotionis lingua minime ad loquendum mouetur. Verbo igitur dicere animæ Pulchra es, & appellare amicã, infundere est, vnde & amet & se præsumat amari. Ipsi vero, Verbum vicissim nominare Dilectum, & fateri pulchrum quod amat, &. quod amatur sine fictione, & fraude adscribere illi & mirari dignationem, & stupere ad gratiam.

Et mox. Loquutio Verbi infusio doni: responsio animæ, cum gratiarum actione, admiratio.

Ex his conficitur, Loquutionem Dei in homine non fieri absque

perceptione & operatione animæ. Nam loquitur Deus animæ quando illam illuminat, excitat, vocat, & dono aliquo supernaturali instruit. Homo autem loquitur Deo, quando aliquid ab ipso desiderat, vel desiderium exprimit, vel gratias agit, vel admiratur. Hoc vero ipsum, cum non fiat, absque Deo excitante, mouente, ac dirigente intellectum, & affectum incitante, Dei etiam loquutio appellari posset, non tamen ita appellatur: quod per illam Deus non tam moueat ad intelligendum, quam ad operandum, vt Suarez animaduertit. Nominatur autem Loquutio hominis, quatenus cooperando gratiæ Dei suum adfectum Deo exprimit.

His gemina sunt, quæ de loquutione Dei differit S. Gregorius libro 11. Moral. cap. 4. Neque enim, inquit, vel à Domino, qui summus atque incircumscriptus est spiritus: vel à satana (qui nulla est carnea natura vestitus) humano more aereus flatus folle ventris attrahitur, vt per organum gutturis vocis expressione reddatur. Sed dum naturæ inuisibili natura incomprehensibilis loquitur, dignum est, vt mens nostra qualitatem corporeæ loquutionis excedens ad sublimes, atque incognitos modos loquutionis intimæ suspendatur. Nos namq; vt ea quæ sentimus intrinsecus extrinsecus exprimamus: hæc per organum gutturis, per sonum vocis eiicimus. Alienis quippe oculis intra secretum mentis, quasi post parietem corporis stamus: sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, vt quales sumus intrinsecus, ostendamus. Spiritualis autem natura non ita est, quæ ex mente & corpore composita dupliciter non est.

Sed rursus sciendum est, quia ipsa etiam natura incorporea cũ loqui dicitur, eius loquutio nequaquam vna atque eadem qualitate formatur. Aliter enim loquitur Deus ad Angelos: aliter Angeli ad Deum; aliter Deus ad Sanctorum animas: aliter Sanctorum animæ ad Deum: aliter Deus ad Diabolum, aliter Diabolus ad Deum.

Loquitur Deus ad Angelos Sanctos eo ipso, quo eorum cordibus occulta sua inuisibilia ostendit, vt quicquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant: vt velut quædam præcepta vocis sint ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Angelos ad Deum loqui constat ex Apocalyp. 5. Vbi dicũt: Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutẽ, & diuinitatem, & sapientiam. Vox namq; Angelorũ est in laude Conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis. Virtutis diuinę miracula obstupuisse: dixisse est: quia excitatus cum reuerentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis.

cis. Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format. Deus ergo Angelis loquitur cum eis voluntas eius intima videnda manifestatur: Angeli autem loquuntur Domino, cum per hoc quod super semetipsos respiciunt in motum admirationis surgunt.

Sanctorum animæ loquuntur Deo, dum quidpiam desiderant. Magnus quippe earum clamor, magnum est desiderium. Tanto enim quisq; minus clamat, quãto minus desiderat: & tanto maiorẽ vocem in aures circumscripti spiritus exprimit, quanto se in eius desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba sunt ipsa desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret, Desiderium cordis eorum audiuit auris mea.

Loqui Deum ad Diabolum, est, vias eius ac negocia animaduersione occultæ districtionis increpare, sicut Iobi primo dicitur: vnde venis? Diaboli autem ei respondere, est omnipotenti maiestati eius posse nihil celare. Vnde ait: Circuiui terram, & perambulaui eã. Quasi enim dicere eius est quid egerit, scire quod actus suos oculis illius occultare non possit.

Ex his constat, quam varia sit loquutiorum Dei ad creaturam intellectualem, tum huius ad Deum. Loquutionem Dei Bernardus vocat Infusionem doni. Alij Excitationem, Illuminationem, Vocationem: Gregorius, ostensionem occultorum. Loquutionem Creaturæ ad Deum tam Bernardus, quam Gregorius nominat Desideriũ. Hic quoque Deuotionem appellat linguam hominis: fortasse, quia mouet linguam tum externam tum internam ad loquendum. Nam subiungit: *Cum mouet verbum, latere non potest, non solum, quia vbique est præsens, sed propter hoc magis, quia nisi ipso stimulante deuotionis lingua minime ad loquendum mouetur.*

Iam vero Auditio mystica est perceptio infusionis, vocationis, excitationis: quæ sane absque omni actu percipientis non contingit. Nec contrarium docet Gregorius, cuius mens non fuit docere, ad percipiendam Dei vocem ac subtilem loquelam oportere suspendere omnem actum intellectus ac voluntatis: sed tantum declarare, perquam conuenientem dispositionem ad audiendum loquentẽ Deum esse, si mens sit libera ab incursu tumultuq; phantasmatum, de quo nemo dubitat. Ad loquelam enim interiorem percipiendam nihil magis expedit, quam ab exterioribus, & quæ animum in alia diuertere possunt, perfectissime vacare.

EXER-

# EXERCITATIO XXII.

## SVSVRRVS MYSTICVS.

LOquelę adfinis est Susurrus mysticus, cuius declarationem descriptionemque Gregorio debemus, qui illum accurate à loquutione diuina distinguit, explicans illud Eliphazi Iob. 4. 12. *quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius*. Summa est: Deum quando nobis de Diuinitatis natura per Contemplationem aliquid insinuat, nequaquam nobis loqui, sed quasi susurrare. Itaque mystici in caligine non tam loquutionem Dei, quam susurrum percipiunt. Alii tamen: imo & ipse Gregorius pro eodem sæpe loquutionem internam & susurrum accipiunt.

Venas autem superni Susurri auris cordis furtiue suscipit, quia subtilitatem loquutionis intimæ afflata mens & raptim, & occulte cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat. Occultatur autem vt audiat, & audit, vt occultetur: quia & subtracta à visibilibus, inuisibilia conspicit: & repleta inuisibilibus, visibilia perfecte contemnit.

Distinguit autem subtiliter Gregorius Susurrum ipsum à venis susurri. *Susurrium quippe occulti verbi est hæc ipsa loquutio aspirationis internæ*: venæ autem Susurrij dicuntur caussarum origines quibus hæc ipsa aspiratio ad mentem ducitur. Quasi enim venas Susurrij sui aperit, cũ nobis Deus latẽter insinuat, quibus modis ad nostrę intelligentiæ autem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore cõpungit: aliquando præsentia, quam nulla sint, ostendit, & ad æterna diligenda desiderium erigit: aliquando prius æterna indicat, vt post, temporalia vilescant. Aliquando nostra nobis mala aperit, & ad hoc nos vsque, vt alienis etiam malis condoleamus extendit. Aliquãdo, mala aliena nostris obtutibus obiicit, & compunctos mirabiliter à nostra prauitate nos corrigit. Venas igitur diuini Susurrij furtiue audire, est occultos diuinæ aspirationis modos tenuiter, & latenter agnoscere.

Porro, quomodo Susurrus proprie sit huius vitæ, & loquutio alterius, ita Gregorius deducit. Qui susurrat, occulte loquitur, & vocem non exprimit, sed imitatur. Nos ergo quo vsque carnis corruptione premimur, nullo modo claritatem diuinæ potentiæ, sicut in se incommutabilis manet, videmus: quia acies infirmitatis nostræ,

non

non sustinet hoc, quod de eius æternitatis radio supernos intolerabiliter fulget. Cũ ergo se nobis Omnipotens Deus per rimas contẽplationis induat, nequaquã nobis loquitur, sed susurrat: quia etsi se plene non intimat, quiddam tamen de se humanæ menti manifestat. Tunc autem nequaquam iam susurrat, sed loquitur, cum eius nobis species certa reuelatur. Hinc est enim, quod in Euangelio veritas dicit: Palam de Patre meo annunciabo vobis. Hinc Ioannes ait: Videbimus eum, sicuti est. Hinc Paulus dicit: Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. *Ioan. 16. 1. Ioan. 11. 1. Cor. 13.*

Nunc autem diuinum Susurrium tot ad nos venas habet, quot creatis operibus, ipsa diuinitas præsidet. Dum enim, quæ sunt cuncta creata cernimus in Creatoris admiratione subleuamur. Nam sicut aqua leniter fluens rimata per venas quæritur, vt augeatur; tantoque se latius fundit, quanto venas apertiores inuenerit: Ita nos dum studiose diuinitatis notitiam ex creaturæ eius consideratione colligimus, quasi susurrij ad nos venas illius aperimus. Quia per hoc quod factum cernimus, virtutẽ Creatoris admiramur: & per ea, quæ sunt in publico, illud ad nos emanat, quod latet in occulto. Quasi enim per quendam ad nos sonitum erumpit, dum consideranda nobis sua opera ostendit. In quo semetipsum vtcumque indicat, dum, quam sit incomprehensibilis, manifestat. Quia igitur considerare eum digne non possumus, non eius vocem, sed vix susurrium audimus. Plene etiam, quia perpendere, neque ipsa, quæ sunt creata, sufficimus, recte dicitur. Quasi furtiue suscepit auris mea venas susurrij eius.

---

# EXERCITATIO XXIII.

## *EFFECTVS LOQVVTIONIS ET AVditionis Mysticæ.*

TOt sunt effectus in anima contemplantis Loquutionis & Auditionis mysticæ, quot illustrationis, & verbi diuini, qui sunt pene innumerabiles. Conglobate plurimos enumerat S. Bernardus Sermone de multiplici vtilitate verbi Dei. Cum enim docuisset, quanta deuotione, quanta humilitate, quanta solicitudine diuinæ dignationis sermo suscipiendus sit à contemplatore mystico, expendit illud Domini enunciatum. Beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud, Lucæ 11.

Vultis,inquit,nosse,quam beati? Primum quidem sonans in auribus animæ vox diuina, conturbat, terret, dijudicatque: sed continuo si bene aduerteris, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies: resurrectio quoque, & consummatio nostra.

Nec mireris, quod verbum DEI iam nunc inueniatur omnia in omnibus esse, quātum spectat ad iustificationem: siquidem & futurū est omnia in omnibus ad glorificationem. Audiat & illud peccator, & conturbabitur venter eius. A voce illa, carnalis anima contremiscet. Omnia namque cordis secreta rimatur, atque dijudicat sermo viuus & efficax, cordium, atque cogitationum perscrutator. Vnde & licet mortuus in peccato, si audieris vocem Filij hominis, viues. Sermo enim, quem loquitur, spiritus & vita est. Si cor tuum induratum
Ps. 147. est memento Scripturæ dicentis: Emittet verbum suum, & liquefaciet ea. Et item: Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est.
Cant. 5. Si tepidus es & euomi iam formidas non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te: quia eloquium eius ignitum valde. Quod si tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi, quid loquatur in te Dominus Deus & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen semitis tuis.

At fortasse, tanto amplius doles, quanto clarius, peccata, etiam minima, illuminatus agnoscis. Sed sanctificabit te Pater in veritate, quæ est vtique sermo eius, vt inter Apostolos audire merearis: Iam
Ioa. 15. vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Iam vero, cum laueris manus tuas, ecce parauit in conspectu tuo mensam, vt non de solo pane viuas, sed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum eius. Vbi si consistunt aduersum te castra, & prælium tentationis insurgit, arripe gladium spiritus, quod est verbum Dei, & in eo facile triumphabis. Quod si forte, vt est certaminis consuetudo, contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum suum, & sanabit te, & eripiet te de interi-
Matth. 8. tionibus tuis, vt in te quoque impleatur, quod ait Centurio, cuius fides tam magnifice commendatur: Domine dic tantum verbo & sanabitur puer meus. Sed etsi titubas adhuc confitere & clama. Mei
Ps. 72. autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, & in verbis suis confirmabit te: vt experimento discas, quoniam verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

In his autem atque huiusmodi perseuera, in talibus iugiter exercere, donec iam dicat spiritus, vt requiescas à laboribus tuis. In hoc verbo quiesces dulciter ac suauiter soporaberis, donec veniat hora

cum

cum omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius & procedent. Sed quo? alij quidem in iudicium, alij vero in vitam æternam. Et quis scit, si est dignus odio vel amore. Tunc maxime memor esto verbi tui seruo tuo Domine in quo mihi spem dedisti, vt ab auditione mala non timeam: sed beata magis Auditio perducat ad visionem, cum dices: Venite benedicti Patris mei.

Ita Bernardus, fructus verbi diuini ad animæ aures dilapsi colligit. Quos, aliosque quam plurimos significantissimis symbolis in scriptura sacra expressos ne, an velatos? comperio. Nonnulla hic ponam, sed compendio, quæ fusius alibi à me pertractantur.

1. Fructus Loquutionis Mysticæ dicitur Verbum absconditum. Iob. 4.12. Ad me dictum est verbum absconditum. Quod nimirum alios latet, & in quo latet voluntatis diuinæ declaratio, & incredibilis supernæ suauitas voluptatis. Est etiam absconditum quia non omnino clarum, & apertum, sicut in patria: sed obscura cognitione, & imaginum velo inuolutum. Absconditum quoq; , quia clam & secreto insinuatum animæ, in mystica solitudine consistenti. Denique, absconditum, quia tenuissima voce, ad quam summa attentione opus, delatum. Nimirum, venit DEVS ad suos sicut ad Eliam in sibilo auræ tenuis. Abscondit Deus verbum hoc, quod solis Mysticis communicat à carnaliter prudentibus, ac superbe sapientibus, reuelatq; illud paruulis. Idem autem verbum absconditum. *3 Reg. 19.*

2. EST SEMEN. quomodo illud appellat Christus Matthæi 13. Eademque similitudine vtitur Petrus Epistola 1.23. *Renati*, inquit, *non ex semine corruptibili* ( quamuis secundum spiritualem intellectũ corrumpi, & mori in animo contemplantis debeat: licet, *sermo sit viuus & efficax*, Hebræorum 4.12. id est, viuificatiuus) *per verbum* DEI *viui, & permanentis in æternum*. Quo loco per verbum, ac semen intelligi, quod DEVS in animos sibi carorum seminat viri docti adnotant. Est autem virtutum omnium, & adfectionum diuinarum: nec non perfectionis religiosæ semen, verbum illud mysticum, quo DEVS suos in caligine alloquitur. Est semen respectu actuum heroicorum, & nobilissimarum operationum, quæ à consilijs diuinis profluunt. Est quoque semen maioris cognitionis, quę per visionem beatam habebitur, intuitu. Et semen efficax, cui nunquam deest Solis, Lunæ, siderum, imbrium, ventorum, hoc est, auxilij cælestis, ac specialis confluxus. Nec spargi solet, nisi in solum ferax, quod liberi arbitrij concursum operationemq; assiduam non deneget. *Lorin. 1. Petri 13. Stapleton. lib. 3. defens. contra VVitakerum. ca. 14*

3. Est GRANVM SINAPIS Matth. 13. 31. Quo symbolo admiranda vis verbi absconditi, & Mysticis communicati significatur.

 Quod

Quod enim sinapi est linguæ, palato, cerebro, stomacho, aliisq. corporis partibus, quibus omnibus est vtilissimum, vt in commentationibus Medicis demonstramus: id verbum per loquelam mysticam transfusum in animam, præstare solet intellectui, ac voluntati. Non tollit solum inappetentiam rerum cælestium: sed ignea sua vi, ac efficaci, & innata acrimonia orexim, & auiditatem diuina degustandi excitat: cerebrum ab errorum pituita purgat: oculos mentis, vt acutissime veritatem cernant, acuit. Et, quæ est D. Ambrosii obseruatio:
Serm. 11. de sinapi. vt granum sinapis membrorum viscera calefacit: ita loquelæ mysticæ vigor, animam, eiusque penetralia inflammat.

4. Est Panis Vitæ, id est, Hebræa phrasi, viuificatiuus. Vitam, si non donat hic panis: nam Mystici vitam gratiæ omnes habent, Deo cari ac familiares, certe conseruat & auget, vitalesque spiritus
Matth. 4. ad omnem pietatis exercitationem subministrat. Vere, *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*: & multo maxime, in
Ioan. 6. 65. verbo familiaritatis & amicitiæ singularis. *Verba quæ ego loquutus sum*
Deut. 9. 9. *vobis spiritus & vita sunt*, aiebat Christus. Itaque hoc pane sustentatus
3. Reg. 19. b Moses in caligine mystica, & Elias in solitudine, ipsos quadraginta dies externo abstinere potuerunt. Neque voluit Christus, tot similiter dies sine cibo ieiunus, vacans contemplationibus mysticis, de lapidibus panes facere, vt exemplo doceret vitæ contemplatiuæ asseclas, quos in eo secessu instruebat, magis audiendi interius verbi arcani studio, quam voluptatis corporeæ, quamuis licitæ, ac pene necessariæ, intendere debere.

5. Est Manna, panis cælestis: è cælo veniens, ad cœlum ducens, habens in se omnis saporis suauitatem. Qua imagine ad declarandam vim suauitatemque verbi diuini vtuntur Philo lib. II. Allegoriar. Orig. homil. 11. in Exod. Epiphanius hær. 50. Augustinus serm. 91. de Temp. & alij.

6. Panis, Hebræorum consuetudine, omnis cibus dicitur. Talis est verbum absconditum Mysticis. Est enim cibus accommodatissimus ad famem omnem & quocumque tempore pellendam.

7. Est Margarita abscondita: siue accipias speciem pro toto genere: Margaritam, pro quolibet lapide precioso: siue signanter, speciem, quæ inter vniones est præstantissima. Reuera, verbum, quod Deus in abscondito, & caligine Mysticis loquitur, preciosum est super aurum & topazium.

8. Est Thesavrvs Absconditus. Quo symbolo, quemadmodum & superiore, quanti æstimandum sit Dei verbum, declaratur, vt sciant contemplatiui, quanti illud facere debeant, & qua diligen-
tia

tia inquirere. Est profecto sermo ille spiritualis, qui per loquutionem mysticam, in anima Deo cara personat, res, quæ æstimari satis non potest: ideo vere Thesaurus. Qui enim tantum numorum habent, vt numerare non possint, Thesaurum habere dicuntur: quem abscondunt, & modo non omnibus obuio, adquirunt.

9. Est SECVRIS, quæ ad arborem sensualitatis ponitur, vt illam exscindat, & penitus, quicquid vitiosum est, eradicet. Vim habet loquela Dei mystica findendi & secandi. Findit hominem in externum & internum: sensum à ratione, naturam à gratia: hominem à se ipso. Quicquid carum carni & sanguini discindit, vt illud abijciat.

10. Est GLADIVS ab vtraque parte acutus. Viuus est sermo Dei mysticus & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Hebr. 4. 12. Profecto, verbum mysticum est *Rhomphaea* illa in diuinis litteris celebrata, quia *bis acuta*. Et *gladius spiritus*. Quemadmodum gladius carnes præcidit: sic & sermo diuinus concupiscentias carnales. Chrysost. ho. 8. in cap. 4. Matth. Est Eccl. 41. 4. Eph. 6. 17.

11. MALLEVS. Est

12. IGNIS. Ierem. 23. 29. *Numquid non verba mea, sunt, quasi* ignis *dicit Dominus, & quasi* Malleus *conterens petram*: quia nimirum, duritiam cordis omnem si qua remansit in Mystico, emollit.

13. Est MEDICINA. *Etenim, neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine*, sermo, *qui sanat omnia*, inquit sapiens, narrans miraculosam persanationem eorum, qui bestiarum ictibus vexati, ac dolore victi ad Deumque conuersi, quem offenderant, medicinali verbo Dei ad pristinam erant sanitatem reuocati. *Misit verbum suum & sanauit eos & eripuit eos de interitionibus eorum*: ἐκ τῶν διαφθορῶν: ne videlicet, interirent. Hanc vim habet verbum mysticum, quod si non sanat animæ morbos actu, quos non inuenit in contemplatiuis, sanat tamen morborum reliquias, facitque, ne qui illud in aurem animumque admittit, intereat. Sap. 16. 12. Ps. 106. 20.

14. Est IMBER concupiscentiæ flammam extinguens. Quo pacto verbum Dei depingit Chrysostom. Hom. de diuersis.

15. Pluuia terram irrigans animæ deuotæ ad fructum salutarem proferendum: vt Chrysostomus in cap. 7. Matth. differit.

16. VINVM, quod tristitiam sedat, & cor in lætitiam mutat, eiusdem disertissimi viri sensu.

17. AVRA lenis. *Vocem, quasi auræ lenis audiui*, dicere potest Mysticus, cum illi Deus loquitur. *Spiritus* enim per loquelam diuinam ad Iob. 4. 16.

Lib. 1. mor. c. 17. nos transmissus, vt disputat Greg. *& vehemens est & lenis. Lenis, quia notitiam suam, quatenus cognosci vtcumque valet nostris sensibus, temperat. Vehemens, quia quantumlibet hanc temperet, aduentu tamen suo infirmitatis nostris cæcitatem illuminando perturbat.*

18. Est LVX, FAX, SOL, ignorantiæ tenebras dispellens: errorum nubila dissipans: serenitatem animo inuehens. *Quid est id, quod* Lib. conf. c. 9. *interlucet mihi,* inquit Augustinus, *& percutit cor meum sine læsione, & inhorresco, & inardesco.*

19. Eadem loquutio mystica ROS est quo si pratum animæ perfundatur incredibilem fæcunditatem ingenerat, ad fructuum omnis generis in virtute qualibet exuberantiam. Præclare Richardus de gradibus caritatis cap. 4. *O dulcis confabulatio Dei in anima, quæ sine linguæ & labiorum formatur strepitu, quæ sine aure percipitur: sed sub silentio solus, qui loquitur, & cui loquitur, audit illam, à qua omnis alienus excluditur. Sunt autem verba illa quædam cælestis fontis irrigua rigantia corda arentia, & tædentia præ amoris desiderio. Quarum dulcis narratio de ciuitate Dei, de pace & copia ciuitatis, de ciuium gloria, & decore lucidissimæ mansionis pellens à corde fastidium, & à corpore fatigationem, nuncians amico, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. Nec aliud petijt, nec passus est, qui dicebat dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis meis. Prorsus huic auditui dabitur gaudium & lætitia, nec reuertetur verbum vacuum: sed faciet, ad quodcumque misi illud, rigans & fæcundans penetralia cordis, qui talibus verbis docentur docibiles Dei sunt, & vnctio eos docet, quæ sola omnem veritatem docet suaui celebrique magisterio.*

Deniq; quod de pietate pronunciatum est à Theologiæ Christianæ principe Paulo Apostolo ad omnia vtilem esse, id de verbo mystico vsurpare licet. Nihil enim siue ad necessitatem siue ad commoditatem hominis ad perfectionem Christianam aspirantis, vel in eo constituti designari potest, quod ex hoc fonte non emanet.

EXER.

# EXERCITATIO XXIV.

## *AN IN VNIONE MYSTICA CONtingat contemplantem manere vnitum Deo per voluntatem, cessante omni actu intellectus.*

## Sensu quorundam mysticorum.

CElebris est apud arcanæ sapientiæ Professores controuersia. Vtrum anima secūdum adfectum possit aspirando, aut desiderando moueri in Deum sine cogitatione intellectus præuia vel concomitante. Adfirmant aliqui ex Mysticis non plane recentissimis. Nullus autem magis ex instituto de illa egit, quam Henricus de Palma opusculo de Mystica Theologia: quod à multis adscribitur S. Bonauenturæ: ab alijs Hugoni Carthusiano, quem posteriores eiusdem sententiæ asseclæ consectantur. Tota vera doctrina illius & sociorum hisce fere enunciatis continetur.

PRIMVM ENVNCIATVM. Duplex est modus apprehendendi secundum duplicem naturalem potētiam pertingendi ad Deum. Siquidem quælibet anima habet potentiam intelligendi, quæ dicitur intellectus, & amandi, quæ vocatur affectus. Vtraque Deum apprehendimus: qui quatenus est summa veritas, apprehenditur intellectu, qua summa bonitas, voluntate, seu adfectu.

SECVNDVM ENVNCIATVM. Bifariam ad Deum tendimus, eique vnimur, contemplatione, & amore. Prior modus est, quando mēs lumine cælitus infuso meditando vel cogitando cœlestia solum contemplatur. Posterior: cum igne Spiritus S. desuper misso, anima flammigeris adfectionibus ad solum Deum adspirat: illud tantummodo desiderans, vt ei per strictiorem amorem intimius vniatur. Contemplationis typus fuit Rachel, venusta adspectu. Amoris vnitiui Magdalena, quæ ardebat desiderio. Porro vt N. Testamentum præstantius est veteri: ita via affectus, seu perfectionis, quę est in ardore amoris, designata per Mariam, excellentior est, omni meditatione, seu contentione intellectuali significata per Rachaelem.

TERTIVM ENVNCIATVM. Contemplationis duplex est ratio. Vna, progreditur ab inferioribus ad superiora: nimirum, per creaturarum scalas ad Deum ascendendo. Altera, descendit à supremis

mis ad infima. Quod fit, dum mens lumine cælitus communicato, secundum regulas veritatis & rationes æternas; quas ex diuina illustratione quodammodo intuetur, de inferioribus creaturis iudicat, eo perfectius, quo diuinis splendoribus magis fuerit perfusa.

QVARTVM ENVNCIATVM. Duplex est via conscendendi ad DEVM vsque ad vnionem affectiuam cum illa. Vna Scholastica, & communis: alia Mystica & secreta. Prior requirit inquisitionem, ac studium hominum, & sumit exordium ab infimis, donec tandem perueniat ad summa: quemadmodum faciunt meditantes de perfectionibus creaturarum, à quibus manuducuntur ad cõtemplandas perfectiones diuinas. Posterior est in amoris desiderio per adfectiones flammigeras, & anagogicas aspirationes. Et hęc est sapientia vnitiua, quæ definitur, inquit, à B. Dionysio capit. 7. de diuin. nomin. hunc in modum: Sapientia est diuinissima Dei cognitio per ignorantiam cognita secundum vnitionem super mentem, quando mens ab omnib. alijs recedens, postea etiam seipsam dimittens, vnita est supersplendentibus radijs inscrutabili & profundo sapientiæ illuminata.

QVINTVM ENVNCIATVM. Quamuis dum via scholastica ascenditur ad cognitionem Dei, contemplatio terminetur ad affectum. Nam meditatio, vel contemplatio sine affectione amoris subsequente, parum prodest, aut nihil. Tamen, in ea voluntas sequitur intellectum, neque potest affectus durare sine præuia cognitione.

SEXTVM ENVNCIATVM. Quando via mystica versatur mens in caligine, vt Deo vniatur, affectus præit intellectum. Ea enim proxime mota à Spiritu Sancto vnitur Deo per ardorem & ignitam adfectionem. Affectus autem iste non requirit cogitationem, vel cognitionem præuiam, aut comitantem: licet ex illo consequatur frequẽter excellens quædam cognitio, ac æstimatio. Multis verbis hoc proponit, & inculcare conatur auctor initio nominatus.

Hæc sapientia, inquit, sine omni inuestigatione, vel meditatione præuia amantis affectum sursum trahit. Vnde non ibi oportet cogitare nec de creaturis, nec de Angelis, nec de Trinitate: quia hæc sapientia, non per meditationem præuiam sed per affectus desiderium habet aspirando consurgere. Verum, quod sentit adfectus, vere intelligit intellectus. Imo, secundum istam virtutem motam à Spiritu Sancto immediate est multo maior de Deo cognitio, quam per omnem intellectum vel rationem inuestigando. Vnde primum tangitur supremus apex adfectus secundum quem mouetur per ardorem in Deum, & ex isto contactu relinqnitur in mente verissima cognitio intellectus: nam illud solum, quod sentit de diuinis, verissime appre-

apprehendit intellectus, vt dicitur in fine principij Theologiæ Mysticæ. Sic per vnitionem dilectionis quæ est affectiua veræ cognitionis vnitur Deus intellectualiter ignoto.

Ex qua etiam vnitione ingenium ad inuestiganda occulta mirabiliter clarescit. Per hanc etiam imaginatiua,& phantastica dirumpuntur. Per hanc sensuum interiorum inordinatio, quasi quodam retinaculo interiori refrenatur. Imo vsque ad carnis sensualitatem penetrat illiusmodi affectus vigor : componuntur enim ac mortificantur rebelles carnis motus. Nam quanto mens plus aspirando erigitur, tanto plus debilitatur ipsius carnis male inflammantis corruptio.

SEPTIMVM ENVNCIATVM. Diuersimode in mystica vnitiui adfectus palæstra versantur proficientes & perfecti. Proficientes viā primitus ineunt Scholasticam, purgantur per timorem, humilitatem, contritionem: illuminantur orando,meditando creaturarum perfectiones inuestigando, seque diutius in oratione mentali exercendo: tandem vero, inflammantur amoris igne affectum adurente.

Perfecti, quoniam egregie in oratione, quæ est in spiritu & veritate multo tempore, cum fructu operam suam locarunt, omissa omni cogitatione, seu meditatione, solum per amoris desiderium, quotiescumque volunt, siue interdiu, siue nocte, ad vnitionem dilecti mystice aspirant, in ijsque animus, alatum velut remigio, se erigit, cogitationem præcedente, amoris affectu. Illud tamen quod sentit affectus vere intelligit intellectus.

OCTAVVM ENVNCIATVM. Vt contemplationis duplex est modus. Nam per quandam ascenditur: per aliam descenditur. Ita in affectione amoris contingit. Siquidem secundum viam Scholasticam ascenditur ab inferioribus creaturis vsque ad affectum amoris. In sapientia Mystica contrarium euenit. Nam verus, ac substātialis amor, qui est Spiritus Sanctus tertia persona in diuinis, quamuis sit vltima respectu ordinis personarum nobis, tamen est propinquior, & prima in consurrectione affectiua in Deum. Quocirca ipse Spiritus Sanctus per ignem amoris tangit, & inflammat supremum adfectiuæ apicem, & indicibiliter sine omni cogitatione vel rationis discretione ad se voluntatem trahit. Sane, sicut lapis suo pondere rapitur ac fertur naturaliter ad suum centrum inferius: sic apex adfectus suo pondere, & directione immediate, & sine aliqua obliquatione, absque omni præuia, vel concomitante cogitatione sursum fertur in Deum. Siquidē illa potentia, quæ est affectus, & supremitas in mente humana Spiritui S. immediate amoris vinculo est vnibilis.

mis ad infima. Quod fit, dum mens lumine cælitus communicato, secundum regulas veritatis & rationes æternas; quas ex diuina illustratione quodammodo intuetur, de inferioribus creaturis iudicat, eo perfectius, quo diuinis splendoribus magis fuerit perfusa.

QVARTVM ENVNCIATVM. Duplex est via conscendendi ad DEVM vsque ad vnionem affectiuam cum illo. Vna Scholastica, & communis: alia Mystica & secreta. Prior requirit inquisitionem, ac studium hominum, & sumit exordium ab infimis, donec tandem perueniat ad summa: quemadmodum faciunt meditantes de perfectionibus creaturarum, à quibus manuducuntur ad cōtemplandas perfectiones diuinas. Posterior est in amoris desiderio per adfectiones flammigeras, & anagogicas aspirationes. Et hęc est sapientia vnitiua, quæ definitur, inquit, à B. Dionysio capit. 7. de diuin. nomin. hunc in modum: Sapientia est diuinissima Dei cognitio per ignorantiam cognita secundum vnitionem super mentem, quando mens ab omnib. alijs recedens, postea etiam seipsam dimittens, vnita est supersplendentibus radijs inscrutabili & profundo sapientiæ illuminata.

QVINTVM ENVNCIATVM. Quamuis dum via scholastica ascenditur ad cognitionem Dei, contemplatio terminetur ad affectum. Nam meditatio, vel contemplatio sine affectione amoris subsequente, parum prodest, aut nihil. Tamen, in ea voluntas sequitur intellectum, neque potest affectus durare sine præuia cognitione.

SEXTVM ENVNCIATVM. Quando via mystica versatur mens in caligine, vt Deo vniatur, affectus præit intellectum. Ea enim proxime mota à Spiritu Sancto vnitur Deo per ardorem & ignitam adfectionem. Affectus autem iste non requirit cogitationem, vel cognitionem præuiam, aut comitantem: licet ex illo consequatur frequētor excellens quædam cognitio, ac æstimatio. Multis verbis hoc proponit, & inculcare conatur auctor initio nominatus.

Hæc sapientia, inquit, sine omni inuestigatione, vel meditatione præuia amantis affectum sursum trahit. Vnde non ibi oportet cogitare nec de creaturis, nec de Angelis, nec de Trinitate: quia hæc sapientia, non per meditationem præuiam sed per affectus desiderium habet aspirando consurgere. Verum, quod sentit adfectus, vere intelligit intellectus. Imo, secundum istam virtutem motam à Spiritu Sancto immediate est multo maior de Deo cognitio, quam per omnem intellectum vel rationem inuestigando. Vnde primum tangitur supremus apex adfectus secundum quem mouetur per ardorem in Deum, & ex isto contactu relinqnitur in mente verissima cognitio intellectus: nam illud solum, quod sentit de diuinis, verissime

appre-

apprehendit intellectus, vt dicitur in fine principij Theologiæ Mysticæ. Sic per vnitionem dilectionis quæ est affectiua veræ cognitionis vnitur Deus intellectualiter ignoto.

Ex qua etiam vnitione ingenium ad inuestiganda occulta mirabiliter clarescit. Per hanc etiam imaginatiua, & phantastica dirumpuntur. Per hanc sensuum interiorum inordinatio, quasi quodam retinaculo interiori refrenatur. Imo vsque ad carnis sensualitatem penetrat istiusmodi affectus vigor: componuntur enim ac mortificantur rebelles carnis motus. Nam quanto mens plus aspirando erigitur, tanto plus debilitatur ipsius carnis male inflammantis corruptio.

SEPTIMVM ENVNCIATVM. Diuersimode in mystica vnitiui affectus palæstra versantur proficientes & perfecti. Proficientes viã primitus ineunt Scholasticam, purgantur per timorem, humilitatem, contritionem: illuminantur orando, meditando creaturarum perfectiones inuestigando, seque diutius in oratione mentali exercendo: tandem vero, inflammantur amoris igne affectum adurente.

Perfecti, quoniam egregie in oratione, quæ est in spiritu & veritate multo tempore, cum fructu operam suam locarunt, omissa omni cogitatione, seu meditatione, solum per amoris desiderium, quandocumque volunt, siue interdiu, siue nocte, ad vnitionem dilectionis mystice aspirant, in ijsque animus, alatum velut remigio, se erigit, cogitationem præcedente, amoris affectu. Illud tamen quod sentit affectus vere intelligit intellectus.

OCTAVVM ENVNCIATVM. Vt contemplationis duplex est modus. Nam per quandam ascenditur: per aliam descenditur. Ita in affectione amoris contingit. Siquidem secundum viam Scholasticam ascenditur ab inferioribus creaturis vsque ad affectum amoris. In sapientia Mystica contrarium euenit. Nam verus, ac substãtialis amor, qui est Spiritus Sanctus tertia persona in diuinis, quamuis sit vltima respectu ordinis personarum nobis, tamen est propinquior, & prima in consurrectione affectiua in Deum. Quocirca ipse Spiritus Sanctus per ignem amoris tangit, & inflammat supremum adfectiuæ apicem, & indicibiliter sine omni cogitatione vel rationis discretione ad se voluntatem trahit. Sane, sicut lapis suo pondere rapitur ac fertur naturaliter ad suum centrum inferius: sic apex adfectus suo pondere, & directione immediate, & sine aliqua obliquatione, absque omni prę-uia, vel concomitante cogitatione sursum fertur in Deum. Siquidẽ illa potentia, quæ est affectus, & supremitas in mente humana Spiritui S. immediate amoris vinculo est vnibilis.

Hæc fere ſparſim habet magiſq; confuſe hic Auctor quiſquis fuerit. Eius itaque ſententia eſt: homines valde perfectos ac illuminatos vniri Deo, per voluntatem immediate abſque omni operatione intellectus. quod probat auctoritate, & ratione. Auctoritas eſt Dionyſij Areopagitæ, qui initio Theologiæ Myſticæ monet Timotheum.

Σὺ δὲ ὦ φίλε Τιμόθεε, τῇ περὶ τὰ μυστικὰ θεάματα συντόνῳ διατριβῇ καὶ τὰς αἰσθήσεις ἀπόλειπε, καὶ τὰς νοερὰς ἐνεργείας καὶ πάντα αἰσθητὰ, καὶ νοητὰ, καὶ πάντα οὐκ ὄντα, καὶ ὄντα, καὶ πρὸς τὴν ἕνωσιν. ὡς ἐφικτὸν ἀγνώστως ἀνατάθητι τοῦ ὑπὲρ πᾶσαν οὐσίαν, καὶ γνῶσιν. τῇ γὰρ ἑαυτοῦ καὶ πάντων ἀσχέτῳ, καὶ ἀπολύτῳ καθαρῶς ἐκστάσει πρὸς τὴν ὑπερούσιον τοῦ θείου σκότους ἀκτῖνα, πάντα ἀφελὼν καὶ ἐκ πάντων ἀπολυθεὶς ἀναχθήσῃ.

*Tu autem, Timothee cariſſime, pro maxima myſticorum ſpectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte, & ſenſus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ & ſub ſenſum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non ſunt, & quæ ſunt omnia, teque ad eius, qui omnem eſſentiam, omnemque ſcientiam ſuperat coniunctionem, & vnitatem pro virili parte ignorando excita. Libero enim ſolutoque, ac liquido à te, & ab omnibus diſceſſu ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni eſſentia ſuperior eſt contendes, cum & omnia dempſeris, & ab omnibus ſolutus fueris, & liber.*

Si igitur in conſurrectione amoris myſtica oportet derelinquere omnem intellectualem operationem, vel cognitionem, & ſolum ſecundũ vnitionem amoris affectuoſi conſurgere, quæ eſt ſuper omnem intellectum & cognitionem; profecto, ſine cogitatione prævia vere amans, amoris affectione conſurgit.

Clarius hoc ipſum indicatur in tertia translatione Dionyſij in Theolog. Myſt. vbi ſic habetur. Per vnitionem dilectionis, quæ eſt affectiua veræ cognitionis vnitur Deo intellectualiter ignota cognitione multo nobiliori, quam ſit cogitatio intellectualis: & in eo, quod cogitationem intellectualem derelinquit ſuper intellectum, & mentem Deum cognoſcit.

Itaque, cum, vt ibidem dicitur, Deus non poſſit cognoſci per intellectualem cogitationem, cognoſcitur veriſſime per tactum amoris. Atque id eſt, quod dicitur: Neceſſe eſſe, omnem intellectum derelinquere; & ſolum per amoris adfectum in Deum conſurgere.

Huc facit quod idem Dionyſius ſcribit capit. 7. de nominib. diuinis. Supponendum eſt: *mentem noſtram vim quidem ad intelligendum habere, qua ea, quæ intelliguntur, cernit, ſed coniunctionem præterea mentis natura ſuperiorem, qua cum iis, quæ ipſam ſuperant, coniungitur. Hæc igitur diuina non ingenio noſtro intelligere debemus, ſed ita, vt nos toti extra nos ſimus, totique*

que

*quę Deifiamus, seu Deifici. Ita demum nobis diuina tradentur, si cum Deo simus.*

Ergo, quamuis in humanis, & communi contemplandi modo primum oporteat intelligere, quam affici, in vera tamen & experimentali cognitione diuinorum, oportet primum sentire peramorē, quam ipsum Deum, qui sentitur intelligendo cogitare. Ergo oportet consurgere per amorem, vt ex isto statu cognitionis in ipsa mente vera cognitio relinquatur. Quod enim de diuinis experimētaliter sentit affectus, vere etiam intelligit intellectus.

Nec de nihilo est, quod Dionysius paullo post subdit: Hanc τὴν ἄλογον, καὶ ἄνουν, καὶ μωρὰν σοφίαν; *& rationis, & mentis expertem, stultamq́; sapientiam, prater modum laudantes, eam omnis mentis, rationis, sapientia, & intelligentia caussam esse dicimus: eamque esse omne consilium, & ab ea scientiam omnem intelligentiamque proficisci: atque in ea omnes thesaurós scientia, & sapientia esse absconditos.*

Obserua, ac perpende, sapientiam mysticam appellari rationis expertem, seu irrationabilem. non igitur per rationis inuestigationē procedit: dici etiam *stultam*, quod innuit, non illam procedere, sicut Philosophorum, & Scholasticorum scientiam, in qua primo cognoscitur omne id, quod diligitur: contrarium accidit in mentis experte Mystica, in qua sine omni mentali cogitatione, seu meditatione affectus amoris accenditur. Sic tamen, vt ex illo affectu relinquatur in mente cognitio, non autem è conuersò. Quod non obscure indicatur illa Psalmistæ experimento probata sentētia: *gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Gustare* affectum respicit amoris, *Videre*, intellectus cogitationem seu meditationem. Ergo primum oportet motu amoris consurgere, quam occultissimum Deum intellectualiter cogitando cognoscere.

Quapropter est hæc regula generalis in Theologia Mystica. Oportere primo habere practicam quam theoricam: idest, vsum exercitij in corde, quam ipsius rei, vel eorum, quæ dicuntur, habere notitiam.

Accedit his auctoritas Commentatoris Dionysiani celeberrimi, Vercellensis, cui plurimū tribuunt Mystici. Is scribens in Theologiam Mystici Areopagitæ *istud*, inquit, *sapientia negocium, sensus, imaginationis, rationis, intellectus, tam practici, quam theorici vsum & officia suspendit: & excludit omnem intellectum, & omne intelligibile, & ens, & vnum, & verum: & transcendit speculum & anigma, & ipsi diuino spiritui apicem affectionis principalis diuina dignatione vnit.* Non igitur requiritur in mystica affectione aliqua cogitatio, vel cognitio intellectus.

RATIONES ad idem comprobandum sunt istę. PRIMA. Mens ratione perficitur secundum quod gradatim ascendendo ordinate ad diuina consurgit. Itaque prius attingit, vel participat id, quod est quasi vltimum in Deo. At in Deo, Spiritus S. qui est amor, est vltima persona: Filius autem, qui per intellectum procedit est prior. Ergo è conuerso anima, quæ ascendit ad Deum, prius ascendit per affectum, quam per intellectum.

SECVNDA. Anima secundum quod à Deo fonte totius beatitudinis recipit influentiam, perficitur eo modo quo in Ecclesia triumphante Angeli seruata proportione hierarchiarum ac ordinum. In suprema autem hierarchia Angelorum, primus ordo est Seraphinorum, qui affectu excellunt, & ardent, vnde & nomen habet. Hi vberius participant influxus diuinos, quam ordo Cherubin, qui interpretatur plenitudo scientiæ. Ergo, affectus per ardorem amoris, qui respõdet Seraphin, primo & principaliter afficitur, & mouetur in Deũ, quam intellectus intelligat id, quod affectus desiderat: hoc enim intelligere respondet Cherubim. Ergo in mystica; ac suprema vnionẽ cum Deo præcedit affectus, subsequitur intellectus. Et, quod inde est consequens: mouetur affectus in Deum absq; cogitatione prævia intellectus.

TERTIA. Deus primo, ac principaliter mouet in homine id, & in illud influit, quod est ipsimet Deo magis adfine ac propinquius. Sed affectus per amorem dispositus est supremus in spiritu rationali, ac proinde spiritui increato propinquior: Intellectus vero est potentia, quæ magis distat à creatore. Ergo quando Deus intendit perfectè vnire sibi hominem, prius attrahit adfectum, quam intellectum. Ergo prius tangitur apex affectus à Deo per immissionem ignis amoris in spiritu, quam cogitet, vel contempletur intellectus.

QVARTA. Cum Deus infinitis quodammodo gradibus distet à creatura qualibet: vt cognoscatur aliquatenus à mente humana, necesse est, animam sic appropinquare eidem, vt quoquo modo attingatur ab ipso. Amor autem solus facit animam appropinquare Deo per sui extensionem. Igitur in quantum mens amat intentius, in tantum fonti luminis appropinquat magis. Et per consequens in quantum propinquior est fonti luminis per amorem, in tantum plus intellectus illuminatur ab eo per cognitionem. Tandem itaq; prius est in diuinis ardendo amare, quam intelligendo cognoscere.

Ab hac sententia non abhorruisse Bonauenturam constat ex Itinerario mentis in Deum cap. 7. quod est, *De excessu mentali & mystica in quo requies datur intellectui, adfectu totaliter in Deum per excessum transeunte.*

*cante.* Docet ibi, sex considerationis gradibus, quos præmiserat, ad instar throni Salomonis perueniri ad pacem, vbi verus pacificus in mente pacifica, tanquam in interiori Ierosolyma requiescit. Iisdem quoque, tanquam sex alis Cherub, mentem veri contemplatiui, plena illustratione supernæ sapientiæ sursum agi. Quin etiam sex illas contemplationes esse illorum instar sex dierum in quibus laboratum est (vt ita dicam) à Deo, subsequuto deinde Sabbatho. In sex itaque illis exercitatione assidua operatur mens, vt tandem perueniat ad sabbatismum quietis. Quod fit, dum mens speculando transcendit non solum mundum istum sensibilem verum etiam semetipsam, eo conscendēs, vbi gustet manna absconditum, & cum Christo requiescat in tumulo, quasi exterius mortuus: Sentiens tamen quantum possibile est secundum statum viæ, quod in cruce dictum est latroni cohærenti Christo: Hodie mecum eris in Paradiso.

Ad hanc quietem ait peruenisse S. Franciscum, quando in excessu contemplationis in monte excelso apparuit illi Seraph sex alatum in cruce confixus. Porro in quietis illo statu, *oportet*, inquit Bonauentura, *vt relinquantur omnes intellectuales operationes, & apex adfectus totus transferatur, & transformetur in Deum.*

At enim, non experiuntur plurimi, quamuis in asceticis excellentes adfectiuam hanc vnionem absque intellectus agitatione. Respondet Bonauentura: Hoc esse mysticum & secretissimum, quod nemo nouit nisi, qui accipit: nec accipit, nisi qui desiderat: nec desiderat, nisi quem ignis Spiritus Sancti medullitus inflammat, à Christo in terram missus. Et ideo dicit Apostolus hanc mysticam sapientiam esse per Spiritum Sanctum reuelatam. Quoniam igitur ad hoc nihil potest natura, modicum potest industria, parum est dandum inquisitioni, & multum vnctioni: parum dandum est linguæ, & plurimum internæ lætitiæ: parum dandum est verbo & scripto, & totum Dei dono: scilicet, Spiritui Sancto: parum, aut nihil dandum est creaturæ, & totum creatrici essentiæ, Patri, & Filio, & Spiritui S.

Meminit eiusdem opinionis non semel Ioann. Gerson neque illam reijcit: imo aliquando eam adprobare videtur. Opusculo de Theologia mystica practica industria 11. vt ostendat, amorem esse initium, radicemque affectionis cuiuslibet alterius, nominat amorem quendam inhiantem & imperfectum Dei, qualem, inquit, sufficit fides de existentia Dei gignere Et hunc ait antecedere cæteros affectus, imo fidem, quam præterea incertitudine sua figit.

Subdit Gerson: De hoc amore disputarunt aliqui, quod sine præceden-

cedenti, vel concomitante cognitione ferri potest in bonum tanquã in obiectum primarum objjciens se animæ, sicut in ordine hierarchico prior est Seraphin, quam Cherubin. denique ait hoc contineri in libro, cuius initium est: *Viæ Sion lugẽt:* nempe, qui inscribitur de Theolog. mystica, cuius initio meminimus, Auctoris incerti.

Sed reuera, auctor ille, vt ex dictis constat, non loquitur de amore imperfecto, qui more communi, & ordinario producitur, & consequenter nõ nisi post cognitionem aliquam intellectus, siue is amor sit circa Deum in particulari, siue circa Deum in communi, seu circa bonum generice. Quod si sermo esset de appetitu innato, quem Gerson vocat nonnunquam amorem naturalem, excusationi locus esset. Verum de illo loqui Mysticos alios haud est probabile.

Fusius de hoc ipso agit Gerson tractatu de elucidatione Scholastica Mysticæ Theologiæ: vbi præmittit Hugonem de Palma, Henricum alij vocant, vel Hugonem Carthusianum determinare finaliter & ex intentione quod apex mentis feratur in DEVM per amorem extaticum, absque præuia, vel concomitante cognitione: & addit: videri consentire Bonauenturam Itinerarij capit. 7. Assignat deinde tres modos, quibus videtur posse fieri, quod amor absque cognitione producatur, & consistat secundum triplex genus amoris. Est enim amor pure naturalis: est pure supernaturalis: est habitualis, vel potius ex habitibus elicitus, liber, & actualis. Cognitio quoque actualis, vel est directa vel reflexa. Et vtraque vel simplex, vel complexa: specialis, aut confusa. Denique hæc statuit effata.

PRIMVM. Amor naturalis caussari potest sine præuia cognitione, in re, quæ diligit, amat, vel appetit. Ratio. Quia amor naturalis nõ est aliud quam appetitus innatus, pondus, inclinatio, quæ reperiuntur in re qualibet, quamuis cognitionis, & intellectus experte. Inuenitur enim secundum Dionysium in re qualibet amor naturalis. De quo est illud Boethij. O felix hominũ genus, si vestros animos amor, quo cœlum regitur, regatur. In cœlo autem, sicut nec in alijs rebus anima carentibus, non est cognitio, quamuis pondere sui amoris impresso ab intelligentia præuia non errante ferantur, quo feruntur, multo certius, quam sagitta ad signum ex impetu à jaciente impressa.

SECVNDVM. Homo per amorem naturalem non liberum ferri potest in Deum, non ex actuali cognitione, quæ talem in ipso causset amorem. Patet. Quia cum in rebus ceteris anima carentib. sit amor naturalis, quo feruntur in suos terminos absque cognitione, homini nihil

nihil minus adsignandum est. quare igitur, & ipse absq; cognitione in Deum ferri non poterit?

TERTIVM. Amor naturalis non potest perdurare absque omni cognitione coniuncta, vel separata. Constat. Quamuis enim non omnis res, quæ amore naturali fertur in quidpiam, cognitionem coniunctam habeat: nulla tamen est, quæ ferri possit, non concurrente primo agente intellectuali, ac proinde cognoscente.

QVARTVM. Homo potest ferri per amorem liberum supernaturaliter infusum: vel conseruatum, nulla in ipso cognitione libera comitante, vel præuia respectu illius amoris. Probat. Quia amorem libere elicitum ab homine posset conseruare Deus destructo omni cognitionis actu. Quo posito, diligeret homo DEVM tunc intellectualiter non cognitum, saltem cognitione, quæ sit actus secundus elicitus.

Adde, Scholasticorum etiam sensu non videri absurdum: amorem posse esse liberum, quamuis cognitio sit necessaria. Vnde, si non excludatur omnis cognitio, sed tantum libera, haud multum difficultatis hoc assertum contineret.

Putat tamen Suarez Gersonem dum illud confirmat, in rationibus aperte sentire: posse DEVM per se & immediate caussare actū amoris liberum in voluntate, non concurrente intellectu, vt intellectus est: sed destructo, siue excluso omni actu intellectus. Verum, id Gerson non ex sua profert sententia, sed ex illorum, qui dicunt, quod actus beatificus in patria producatur à solo Deo. Tom. II. de Rel. lib. I. cap. 13.

QVINTVM. Stat veritas eorum, quæ traduntur de Theologia Mystica: quod consistat in amore solo: & quod amor ille supernaturaliter inspiretur illis, qui concupiscunt sapiētiam. Probatio. Spectat hoc ad potentiam Dei. Spectat & ad ipsius sapientiam, atque bonitatem, vt aperientibus os mentis inspiret spiritum amoris, neque neget mundis corde osculum postulatum, sed præueniat etiam in benedictionibus dulcedinis desiderium pauperum, qui cum Daniele sunt viri desideriorum. Satiet insuper paruulos suos æterna sapientia ab vberibus consolationis suæ, tanquam pia mater, cuius vbera non sugit, qui non veraciter absq; fictione se constituerit, vt paruulum sub ea, iuxta sententiam Christi, qui simul est sponsus & sponsa, pater & mater, amicus & amica: quoniam amor spiritualis sexum nescit.

Addit Gerson, totam fere Scripturam duci posse in hunc sensum. Nihil vero ad Philosophantes spectare de hoc miraculo: atque ideo dici sapientiam mysticam, quæ appropiate sit Christianorum.

Tam-

Tandem concludit, apicem mentis in Deum ferri sine cognitione actuali praeuia, vel concomitante.

SEXTVM. Amorem infusum comitatur actualis cognitio, qua percipitur intelligibiliter amor ille: hoc est, qua iudicat anima se amare, & in Deo delectari; imo & ignote ignotis per amorem iungi. Huius rei gratia ponunt Mystici duos oculos animae rationalis: quorum vnum spectare dicunt ad cognitiuam potentiam: alteram vero ad affectiuam. Hic posterior dicitur proprie oculus amoris, vel oculus sponsae: de quo in Canticis: Vulnerasti cor meum in vno oculorũ tuorum. Contingit autem, quod dum anima fertur in dilectum per oculum amoris, si tentet intelligere quid sit illud, quod diligit euolet dilectio, simulque sponsus euolare dicatur: Sunt enim haec sponsi ipsiusmet verba: Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Perseuerat tamen nonnunquam aliquantulum amor ille & cognitio: alioqui quomodo de Theologia Mystica tradi posset cognitio?

SEPTIMVM. Dilectio libera, & elicita naturaliter ponitur in apice mentis, absque hoc, quod mens se actualiter iudicet aliquid diligere: quamuis ista dilectio cognitionem sequatur, & concomitetur. Nempe, potest esse amor, & cognitio directa, absque cognitione reflexa.

OCTAVVM. Stare nequit, vt Theologia Mystica sit in hominis mente sine qualicumque Dei cognitione. Hoc vt non sit contrarium superius disputatis & decisis, ponit omnem apprehensionem, vel motionem intellectualem siue de Deo, siue de alijs dici posse cognitionem, imo, & visionem, illo loquendi modo, quo omnis sensatio visio nominatur. Sic dicimus: Vide qualiter hoc sapit, hoc olet, sonat, suaue est, laedit. Quo pacto, cognitio etiam ad voluntatem transfertur. Celebratur illud Gregorij: Amor ipse cognitio est. Franciscus Suarez putat Gersonem loqui de cognitione consequenti, sed reuera, non agit nisi de motione voluntatis, quam Mysticorum phrasi appellat cognitionem.

Tom. II. de Relig. li. II cap. 13.

EXER-

# EXERCITATIO XXV.

## DE AMORE ECSTATICO, CESSANTE *omni operatione intellectus, ex mente magistrorum in disciplinis variis celebrium.*

PRIMA DISQVISITIO. An Mysticorum sententia, de vnione per amorem ecstaticum sine vllo actu intellectus, nullum è Scholasticis Patronum habeat. Seu

An Scholasticorum omnium iudicio, voluntas amare non possit, sine cognitione præuia, vel comitante?

RESPOND. Fuisse ex Scholasticis antiquis aliquos, quibus minime absurdum est visum, posse DEVM efficere, vt voluntas amet sine præuia cognitione. Sunt autem isti. Paludanus in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 11. num. 29. Ochamus q. 25. ad 7. & 15. & Thomas de Argentina in 1. dist. 1. quæst. 1. ar. 4. vbi asserit: voluntatem posse esse in actu fruitionis, intellectu existente suspenso quo ad actum cognitionis: quæ est ipsissima Mysticorum sententia. Addit tamen Argentinas, secundum ordinem à DEO constitutum id non fieri: posse tamen secundum absolutam Dei potentiam. Nam

PRIMO: Intellectus, & voluntas potentiæ sunt realiter distinctæ: in his autem potentijs potest Deus conseruare vnam in sua operatione, manente alia suspensa.

SECVNDO: Ideo requiritur cognitio ad amorem, vt bonum, quod est obiectum voluntatis illam moueat efficiéter. DEVS autem supplere potest omnem efficientiam. Itaque non est simpliciter necessaria cognitio, vt voluntas operetur.

TERTIO: Deus est intimior per se voluntati quam sit cognitio. Ergo potest mouere per se voluntatem absque cognitione.

De Gregorio, an eiusdem fuerit sententiæ lis est. Adfirmant aliqui, id illum docere in II. distinct. 24. quæst. 1. ad tertiam rationem contra secundam conclusionem. At ibi contrarium potius asseuerat.

Maius est de Ferrariensi dubium. Siquidem li. III. contra Gent. cap. 89. §. Ad euidentiam, scribit quidem, cognitionem aliquam intellectus debere esse primam, & non ex motione voluntatis, sed ex DEO, med jis objectis: subdit tamen: *Hac autem dixerim, non quia alio modo Deus non possit intellectum & voluntatem mouere ad aliam operationem.* Quæ verba si Ferrariensis protulisset de modo operandi harum potentiarum, quo ad subordinationem amoris ad cognitionem, Mysticis haud dubie faueret. Sed videtur loqui potius de modo operandi illarum potentiarum in ordine ad principium, quo mouentur. Nimirum, quod moueantur ad primas operationes naturales quadam necessitate ex inclinatione naturali data à Deo. Hoc enim fit ordinarie: sed non est simpliciter necessarium. Quocirca subiungit Ferrariens. *Est autem & alius modus, quo* DEVS *aliquando intellectum & voluntatem mouet, non ex naturali inclinatione propria naturæ secundum se, sed ex sola motione, qua applicat intellectum ad intelligendum aliquod obiectum, & voluntatem ad aliquid volendum mouet.* An hoc referri potest ad motionem voluntatis sine præuia cognitione? an potius ad motionem ex gratia propter operationes supernaturales? Illud arriperent Mystici: istud eligit Franciscus Suarez: neutrum est omnino infallibile ex mente Ferrariensis, quem Mysticis fauere, non est, quod ægre ferat Scholasticus.

*Suar. to. II. de Relig. li. II. capi. 13.*

Itaque sunt ex Doctoribus Scholasticis, qui existimant, vt voluntas operetur non necessario requiri operationem aliquam intellectus. Alij vero etiamsi fateantur, in amoris initio necessariam esse cognitionem, vt voluntas incitetur ad amandũ: asserunt tamen postquam voluntas cœpit amare, ita interdum exardescere in amorem, vt in eo possit manere voluntas nulla existente cognitione in intellectu. Legendus Capreolus in II. dist. 25. q. 1.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quæ in hac re sit Scholasticorum communior sententia.

RESPOND. Esse, quod timor, & omnis actus voluntatis postulet cognitionem præuiam intellectus. Ita sæpe pronunciat S. Thomas: aliqua loca indicabo. I. P. q. 82. art. III. ad 3. *Omnem*, inquit, *voluntatis motum, necesse est, quod præcedat apprehensio, sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis: sed principium considerandi & intelligendi est aliquod intellectiuum principium altius intellectu nostro, quod est* DEVS, *vt etiam Aristoteles dicit in 8. Ethicor.*

Responderet Mysticus loqui D^rem^ Angel. de modo ordinario intel-

intelligendi & volendi in quo processus esset in infinitum si quodlibet intelligere præcederet aliquod velle , & è contrario. processus autem ille euitatur , si dicatur Spiritum Sanctum singulari motione voluntatem ad amorem prouocare,illumque efficere, cessante operatione intellectus.

Iterum S. Thomas 1.11.q.111.art.4.cum dixisset, nobiliorem esse Dei dilectionem,quę est actus voluntatis,quam cognitionem,quæ est operatio intellectus iuxta illud Apostoli 1.ad Corinth. 13. Maior horum caritas: subiungit Responso ad 4. Dilectionem præeminere cognitioni in mouendo: sed cognitionem præuiam esse dilectioni in attingendo. Non enim diligitur, nisi cognitum,vt dicit Augustinus libr.10. de Trinit. capit.1. Et ideo intelligibilem finem primo attingimus per actionem intellectus, sicut & finem sensibilem primo attingimus per actionem sensus. Verum & hic loquitur S. Thomas non de potentia Dei absoluta,sed de communi operandi modo.

Eadem autem part. quæst. 9. quæ est de Motiuo voluntatis docet, intellectum mouere voluntatem. Sed loquitur de naturali agēdi modo: imo ex professo probat, moueri voluntatem ab intellectu tantum quo ad specificationem , non autem quo ad actus exercitium.

D. Thomæ loquendi modum sequuntur alij Scholastici communiter in 11.distinct.25.Durandus in 1.distinct.18.qu.1.art.2.Henricus quodlib.1. quæstione 15. Franciscus Suarez disput. 23. metaphy. sect.7.& tom.11.de relig.lib.11.capit. 13.dict.1. Gabriel Vasquez. I.S. disput.35.Hurtado disputat.14.de anima,vbi ait,oppositum doceri à Bonauentura & Gersone, non tam Scholastice quam deuote. Censent enim isti, inquit, in via vnitiua per amorem ardere voluntatem in Deum sine cognitione. At non ita euenit: etsi tam facile figatur mens & sine volubilitate,vt nihil videatur cogitare.

Idem tamen Hurtado concedit per potentiam absolutam Dei, posse produci qualitatem in amore repertam sine influxu voluntatis creatæ,& sine cognitione nostra,item & vniri.quod probat disput.6. Ex quo concludit posse voluntatem in eo actu præstare concursum obedientialem,non vitalem, quamuis ei nulla præeat cognitio. At ille concursus esset plane mortuus , qualis exhiberetur à lapide per potentiam obedientialem. Sed hoc non controuertitur, verum, an ad actionem vitalem , qua fiat amans voluntas possit diuinitus concurrere in actum,absque præuia cognitione.

## TERTIA DISQVISITIO. Quodnam sit Patrum in hac controuersia iudicium?

SCHOLASTICI Patribus se niti adfirmant, & hos potissimum citare solent, S. August. li. 10. de Trinit. cap. 1. & 2. vbi est sententia illa celebris: *Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest*. Et lib. 16. cap. 16. vbi asserit, *Amorem oriri in nobis ex mentis notitia*. Similia sunt lib. 8. ca. 4. & lib. 11. de lib. arbitr. cap. 25.

S. Gregor. lib. 5. Moral. ca. 23. Verum M. Papa eo loco nihil pene habet quod negatiuam illam partem magnopere confirmet. Solum ait: Per contemplationem raptos, superna conspicere, ab ipso aliquo modo præsumptionis suæ securitate liquescere, & tanto magis in diuino conspectu trepidare, quanto nec bona sua digna eius examine, quem conspiciunt pensant. Item: Cum mens in contemplatione suspenditur, cum carnis angustias superans, per speculationis vim de libertate aliquid intimæ securitatis rimatur; stare diu super seipsã non posse: quia & si hanc spiritus ad summa vehit, caro tamen ipso adhuc corruptionis suæ pondere deorsum premit.

Indicatur etiam lib. 23. capit. 12. Sed ibi nihil aliud docet, quam in nocte vitæ præsentis diuinam naturam ad plenum non cognosci: & idipsum, quod quasi in caligine conspici potest, tunc demum videri, cum ab huius mundi tumultuosa licentia, & concupiscentia segregati, quasi clausis corporalibus sensibus in quiete contemplationis diuinæ dormimus.

Libro quoque 31. capit. 12. non aliud pro hac sententia habet, quam contemplatorem mysticum locustæ instar ad superna subsilire & rapi.

Cap. 18. S. Bernardus opusc. de interiori domo, in raptu considerationem concedit, id est operationem intellectus. An autem sine hac aliquando mens suspensa hæreat, & amet, non disputat. Et ibidem cap. 19. dicit rationem per mentis excessum in contemplationem sublimium subleuari, & in diuinæ contemplationis arcanum rapi: atque ibi illuminari ad cognitionem veritatis & veri luminis, inflammariq; ad desiderium bonitatis.

Magis ad rem facit, quod habet idem Sanctus tractatu de gratia & lib. arbit. *Voluntas est motus rationalis & sensui præsidens & appetitui. Habet sane quocumque se voluerit semper rationem comitem, & quodammodo pedissequam: non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absq; ratione moueatur. Est vero ratio data voluntati, vt instruat illam.*

Aliis locis vbi agit de amore ardenti, quo anima diligit Deum nun-

nunquam à consideratione intellectus separat vt Sermone 7. 8. Et 52. in Cantica.

Denique, peruulgatum est illud Anselmi in Monologio ca. 48. *Nulla res amatur sine sui memoria, aut intelligentia.*

## QVARTA DISQVISITIO. Quomodo Amor ecstaticus absq; operatione intellectus cum Philosophorum sensu conueniat?

CONTRA Mysticorum opinionem producunt Scholæ DD. Philosophi illud effatum. *Appetibile non mouet nisi mente, aut imaginatione perceptum.* Quod vsurpat Suarez & alij. sumuntque ex Aristotele lib. III. de anima cap. 10. Certe Philosophus eo cap. sparsim quædam habet, quæ ad hanc rem spectant. Eius verba sunt textu 54. Εἴδει μὲν ἂν εἴη ἓν τὸ κινοῦν, τὸ ὀρεκτικὸν ἢ ὀρεκτικόν. πρῶτον δὲ πάντων τὸ ὀρεκτόν. τοῦτο γὰρ κινεῖ, καὶ οὐ κινούμενον τῷ νοηθῆναι, ἢ φαντασθῆναι. *Specie quidem fuerit vnum mouens, appetitiuum quatenus appetitiuum. Primum vero omnium appetibile, seu, quod appetitur. Hoc etenim mouet, & non motum; quod intelligatur, phantasiaue comprehendatur.* Docet eo loco Aristoteles, vt bene deducit Hieronymus Dandinus. Primum, duo esse mouentia: vnum in animali, alterum extra animal: in animali appetitum; extra animal, rem appetendam. Deinde, appetitum mouere, vt efficientem motus causam: rem appetendam, vt finem, cuius desiderio fit motus. Tum vero, vt appetitus moueat, duo necessaria esse: alterum est res appetenda: alterum, illius cognitio, siue intellectus, siue phantasiæ, vt appetitui proponatur, cognitaque mouere possit. Præterea, rem appetendam mouere sua bonitate: cognitionem vero, conditionem esse, sine qua mouere non posset. proponatur enim oportet appetitui: cognitione autem proponitur.

Postea textu 56. iterum pronunciat: *Animal quatenus appetitiuum, eatenus sui ipsius est motiuum. Appetitiuum autem non sine phantasia. Phantasia vero omnis, aut rationalis, aut sentiens.* Nimirum: dixerat appetitum nequaquam sine cognitione mouere, neque animal incitare nisi ad boni, maliue cogniti prosequutionem, aut fugam. Idcirco, appetendi vim subiungit absq; phantasia nō mouere: hoc est cognitionem quoque necessariam esse velut conditionem, sine qua non moueret appetitus. Non enim moueret nisi proponeretur illi obiectum: proponitur autem cognitione.

Porro, cum duplicem phantasiam distinguat, rationalem vnam solius

ſolius hominis propriam, alteram irrationalem & ſentientem: duplici interpretamento id exponunt Peripatetici. **Prima eſt**: Appetitiuum non eſſe motiuum ſine phantaſia: id eſt, vt interpretatur Dandinus, niſi cognoſcente quapiam virtute, res appetenda illi proponatur, & velut appetenda appareat. Hoc autem vel ſenſu fit, vel intellectu: ſenſu tum in homine, tum in beſtijs quoque: intellectu, in homine ſolo. Iuxta hanc exponendi rationem phantaſia laxe accipitur, vt idem ſit appetitiuum mouere, at non ſine phantaſia: id eſt, ſine cognitione, & intellectione late ſumpta. Nam ſi phantaſia proprie intelligatur, vt ab intellectus cognitione diſtinguitur, falſum eſt, appetitum non mouere ſine phantaſia, cum perſæpe, homo rationem ſequutus ſolam, operetur. Hanc interpretationem Themiſtius inſinuat.

Alteram, Simplicius, ſecundum quam Phantaſia proprie ſumi poteſt hoc ſenſu: Appetitus non mouet ſine phantaſia, quia etſi intellectũ ſequatur, hic tamen ipſe indiget phantaſia, ſine qua intelligere nõ valet, præſertim intellectus actiuus qui ad motũ confert. Hic n. inquit Simplicius circa particularia ſemper verſatur: particularemq; propoſitionem cum vniuerſali complicans adiutrice ſemper indiget phantaſia ad particularium ipſorum cognitionem. Eſt autem duplex phantaſia, aut rationalis, aut ſentiens, hoc eſt, aut rationi conformis, qua ad verum & honeſtum bonum mouetur: aut ſenſui, qua ad iucundum, & apparens incitatur. Illa ſolius eſt hominis: hæc tum belluarum, tum hominis vbi rationi præualet concupiſcentia.

Verum, ſecundum hanc expoſitionem, non magis neceſſaria eſſet cognitio, quam phantaſia proprie dicta, ſeu, phantaſmatum ſpeculatio. Quam neque naturaliter ſemper requiri in contemplatione diuinorum, ex multorum etiam Philoſophorum ſententia ſuo loco oſtendimus: neque, ſi ſupernaturali Deus concurſu potentiam ſubleuet, eſſe neceſſariam in confeſſo eſt.

## QVINTA DISQVISITIO. An Myſticorum omnium conſtans ſit ſententia. Amorem, in voluntatis, ſeu affectus apice concitari, vel conſeruari poſſe, ſuſpenſo ab omni operatione intellectu?

RESP. Negatiue. Recentiores enim Myſtices tractatores ab ea recedunt. Ioannes à IESV MARIA. Inter Canones Theologiæ Myſticæ,

sticæ, hoc est recenset XVIII[u]. *Sine quouis intellectus actu comite, vel præuio, Theologiam Mysticam prout presse arcana Dei perceptio est, posse contingere, multorum Auctorum assertio est.*

19. Tria sunt in hac Theologia difficilia. Primum. An contingat Deum ab homine amplius amari, quam intelligi? Secundum. An sine vllo intellectus actu voluntas Deum percipere valeat. Tertium. *An contingat, intellectum & voluntatem sine actibus elicitis pati diuina. Primum profitemur cum S. Thoma: reliqua duo minime probamus.* Similia habet in tractatu de Theolog. Mystica lingua vulgari edito: & in opusculo peculiari eiusdem tituli. S.Tho.1.2. q.27 art. 11.ad 2.

Ex eodem laudatissimo ordine Discalceatorum Thomas à IESV, libr.5. de contemplatione diuina, agnoscit quidem Mysticorum multorum fuisse sententiam: non solum in mystica animæ cum Deo vnione, voluntatem absque vlla intellectus operatione præuia à Spiritu Sancto immediate tangi, ac cum eo per amorem vniri: verum etiam in motibus anagogicis, vel aspirationibus vnitiuis, (quibus mens mirabiliter disponitur ad vnionem illam felicissimam) omni cognitione, meditatione, vel alio intellectus actu præmisso cum Deo vniri. Verum ait errasse hos Mysticos & errandi occasionem fuisse: quod in illa vnione beatissima, ac suauissima, quæ omnem superat sensum, ac intellectum, voluntas in Deum felicissime transformetur, & ab omnibus sensibus alienata ab illo immenso diuinitatis oceano absorbeatur, ac supra omnem cognitionem in ipsum feratur. Nihil enim ibi imaginabile, nihilue intelligibile in particulari, à sensu, aut ab intellectu percipitur. Ideo ausi sunt adfirmare, nullam ibi intellectus operationem interuenire. Li.5.ca.13.

Quæ sententia (inquit Thomas) & Philosophiæ & rectæ rationi grauissimorumque Patrum auctoritati contradicit: qui omnes, vno consensu, nihil esse volitum, quin prius fuerit ab intellectu cognitũ, tenent. Stabiliendum igitur est in hac mystica, ac supereminentissima animæ cum Deo vnione, inueniri simul Dei altissimam cognitionem, siue contemplationem: quæ licet non ab omnibus, qui diuina patiuntur sentiatur, tum propter vehementem & amorem, & delectationem, quæ illam supereminentem animæ cum Deo vnionem, & amplexum comitantur, quibus ita animæ intentio absorbetur, ac ab alijs abstrahitur operationibus, vt nulla ratione supra seipsam, vel supra eius potẽtiarum actus valeat reflecti: tum etiam, quia cum illa contemplatio, ex cognitione Dei per remotionem oriatur, ac omnino fiat in illa diuina caligine, in qua Deus sub ratione incomprehen-

sibili-

sibilitatis attingitur, non mirum, si etiam ab expertis non percipiatur.

Confirmari hoc posse putat idem reuelatione quadam facta B. Matri Theresiæ, quam ipsa refert libr. suæ vitæ 19. De vnione. Cum enim illa scire desideraret, quid in mystica vnione intellectus operaretur, respondit ei Dominus, vt ipsa refert dict. ca. *Como no puede comprehender lo que entiende, es no entender entendiendo.* quasi dicat: Cum intellectus non possit Dei immensam illam claritatem, & incomprehensibilem plenitudinem comprehendere, hoc ipsum est illam conspicere, ac intelligere, intelligere se non posse intellectu cognoscere. Quod quidem nihil aliud est, quam Deum sub ratione incomprehensibilitatis videre ac cognoscere.

Quod Io. Taulerus lib. institut. cap. 12. sententiola illa miræ obscuritatis indicauit: *Pro cognitione ibi fit absque cognitione, & præ amore absque amore.* Nempe, præ altissima, ac supereminentissima Dei incomprehensibilitatis cognitione videtur sibi potius Deum ignorare, quam cognoscere.

Quomodo etiam intelligendum, quod habet Blosius Institut. Moral. cap. 12. *Hinc præcognitione facta, sine cognitione in solo amabili, nudo, simplici, & ignoto* DEO *quiescit. Lux quippe diuina propter nimiam sui claritatem inaccessibilis est, vnde & caligo appellatur.*

Neque his refragantur plane antiquiores Mystici, si quæ varijs in locis disserunt, diligenter perpendantur. Fauet plurimum Dionysius Carthusianus opusculo de contemplatione, & opusc. de vita solitar. art. 36. & 37. Commentario quoque in Areopagitam articul. 9. Gerson quoq; alicubi ita disputat ac si eius esset sententiæ. Et eo ipso loco, in quo volūtatis actum absolutum ab operatione intellectus videtur cōcedere, superiore exercitat. indicato statuit hanc propositionem: *Stare nequit, vt Theologia Mystica sit in hominis mente sine qualicumque Dei cognitione.* Verum hoc exponi posse absque operatione intellectus ibidem §. *octauum*, declarauimus. Magis fauet quod habet tractatu super Magnificat quinto Notula I[a]. *Elicimus ex præmissis, quod omnis notitia propriissime intuitiua, ac proinde notitia, quæ habetur per deuotionem, ac vnionem mentis ad* DEVM *nequaquam fit, aut fieri potest sine cognitione præuia vel comite, secundum Auicennam, aut ex perceptione tali consurgit.* Rationem adiungit, quia alioquin in plantis, & in animatis poneretur delectatio. Quare loqui videtur de potentia Dei absoluta, quod etiam Franciscus Suarez sentit.

EXER-

# EXERCITATIO XXVI.

## *DE AMORE ECSTATICO ABSQVE operatione intellectus, Scholastice.*

### PRIMA DISQVISITIO. An possit voluntas quidpiam velle, cuius non sit in intellectu cognitio?

RESPOND. Negatiue. Id secundùm ordinem naturæ plane certum est, & rationibus conuincitur. PRIMA. Voluntas est potentia indeterminata. Ergo non potest exire in actum nisi determinetur. Sed nō determinatur nisi per operationem intellectus. Ergo sine hac non potest exire in actum. SECVNDA. Cum voluntas non sit cognoscitiua, nisi intellectus illi repræsentet obiectum non potest illud velle. TERTIA. Si non esset necessaria cognitio, non esset ratio cur potius vnum vellet, quam aliud.

DICES Voluntas est libera. Ergo ex libertate sua potest hoc potius velle, quam istud.

RESP. Id non sufficere. Nam libertas oritur ex indifferentia rationis, quæ multa potest proponere voluntati. Itaque absque ratione proponente non erit voluntatis libertas. Confirmatur. Si id posset voluntas propter suam libertatem, etiam in motibus primo primis, in amentibus, ac dormientibus, alijsque similibus esset libertas, quoniam in ijs manet voluntas cum tota sua perfectione, & solum impeditur cognitio, à qua voluntas in operatione dicitur non dependere.

### SECVNDA DISQVISITIO. An non tantum sit necessaria cognitio, vt eliciatur actus voluntatis, sed etiam vt continuetur?

RESPOND. Esse etiam necessariam vt continuetur. RATIO. Est necessaria cognitio, vt obiectum fiat præsens voluntati, ipsaque determinetur. Quare cessante cognitione obiectum non erit præsens, nec voluntas determinata. Potentia autem operari non potest,

nisi obiectum sit præsens, & ipsa determinata. Confirmatur. Constat experientia, si consideretur obiectum amabile attentius, magis amari à voluntate: & cum intellectus in diuersa tendit, amari minus itaque, si tollatur omnino cognitio, tolletur & amor.

## TERTIA DISQVISITIO. An potentia Dei absoluta fieri possit, vt voluntas amet cessante ab omni operatione intellectu.

RESPOND. Negatiue. Ratio desumenda est ex dependentia essentiali voluntatis in operatione ab intellectu hunc in modum. Voluntas essentialiter pendet in operando ab intellectus operatione Ergo nō potest eo cessante operari antecedens probatur. Voluntas non potest operari nisi fiat illi obiectum præsens vitaliter. Ergo essentialiter pendet in operando ab intellectu. Consequentia est euidens. Ant. probatur. Obiectum fieri voluntati præsens vitaliter, est repræsentari illi per aliquam cognitionem, quia voluntas ipsa nō est cognoscitiua. Sed nisi repræsentetur illi per cognitionem non potest illud velle. Ergo nisi fiat vitaliter præsens non potest velle. Confirmari idē potest ex multis principiis quæ partim in Philosophia certa sunt, partim probātur in illa. Primo. Voluntas in suo actu depēdet ab appetibili in genere caussæ finalis: quia velle nō pōt nisi mota metaphorice, & allecta ab appetibili. Finis autē essentialiter requirit, vt caussct, esse cognitum: quia debet mouere metaphorice, quod intelligi nequit sine cognitione. Secundo: Cum voluntas sit potentia libera obiectum debet fieri præsens sub ratione boni & mali, vt libere possit appetere, ac respuere. Hoc autem non fit absque cognitione qua cognoscatur ratio boni & mali. Tertio. Non minor debet esse connexio inter operationes intellectus & voluntatis, quam inter ipsas potentias. At si esset aliqua natura, quæ non esset intelligens, nō posset esse volens. Ergo si non est actu intelligens, non est actu volens.

Aliæ rationes minoris sunt efficaciæ, & facile refelluntur; etiam à Scholasticis. Quidam apud Gabrielem Vasquez I. S. Disput. 35. capit. 1. ita argumentantur. DEVS amat semper præcedente cognitione, nec potest aliter: Ergo id est omnino necessarium. Responderi potest. Id esse necessarium secundum ordinem naturalem, quem in creaturis mutare potest, in se minime

Alii sic ratiocinantur. Implicat voluntatem moueri nisi circa

pro-

proprium obiectum. Sed cognitio pertinet ad formale voluntatis obiectum. Ergo non potest moueri nisi circa cognitionem. Sed minorem non solum vt dubiam, verum & omnino falsam plurimi censent, quod cognitio non pertineat ad obiectum voluntatis. Quare aliqui dicunt esse conditionem, verum adeo intimam & vitalem vt sine illa intelligi non possit quomodo obiectum alliciat potentiam affectiuam. Alij asserunt esse conditionem, quæ constituat obiectum dando illi esse necessarium admouendum affectum.

Non nemo sic argumentatur. Voluntas natiua virtute non potest ferri in incognitum. Ergo nec diuina virtute antecedens ponitur vt certum. Consequentia probatur, quia potentia vitalis non potest habere actum, nisi procedat à virtute natiua illius, quia totum quod est in tali actu non potest esse à solo Deo, sed aliquid pendet essentialiter à potentia vitali tanquam à propria causa quod maxime verum est in amore.

At enim, hanc rationem eodem iure formari posse contra actus omnes supernaturales, ad quos potentia eleuatur per gratiam, cum ad illos non habeat virtutem naturalem obseruat Suarez. Vel, quemadmodum ad illos dici potest esse in homine virtutem naturalem, id est, actiuitatem aliquam natiuam non distinctam ab entitate substantiæ & potentiarum, quamuis non possit exire in actum sine adiutorio gratiæ; ita absurdum non esset concedere, si aliud non obstaret, voluntatem habere virtutem natiuam ad amandum Deum non cognitum.

*Tom. 11. de rel. Suarez li. 11. de or. cap. 13.*

Argumentum multorum est. Omnis actus voluntatis est voluntarius. At repugnat voluntarium esse absque cognitione. Ergo & actum omnem voluntatis.

Huius argumenti minorem distingueret contrariæ opinionis Assertor. Repugnat esse sine cognitione, secundum ordinem communem naturæ, concedo: repugnat per diuinam potentiam: nego. Sunt enim non contemnendi Philosophi, qui existimant, qualitatem amoris, quatenus distincta est ab actione esse voluntariam, voluntario peculiari ab actione distincto, eamque produci posse sine actuali voluntatis influxu. Quocirca si amor in sola qualitate consisteret, concedunt posse fieri vt quis amet actu, & habeat voluntarium actu sine cognitione. Quod tuetur Hurtado, qui alio argumento vtitur ad sententiæ communis confirmationem hunc in modum. Amor formaliter includit actionem. At amoris actio per nullam potentiam esse potest absque cognitione. Ergo nec amor, nec vllus alius affectus voluntatis. Minorem probat: quia actio natura sua pendet à co-

Tandem concludit, apicem mentis in Deum ferri sine cognitione actuali præuia, vel concomitante.

SEXTVM. Amorem infusum comitatur actualis cognitio, qua percipitur intelligibiliter amor ille: hoc est, qua iudicat anima se amare, & in Deo delectari; imo & ignote ignotis per amorem iungi. Huius rei gratia ponunt Mystici duos oculos animæ rationalis: quorum vnum spectare dicunt ad cognitiuam potentiam: alteram vero ad affectiuam. Hic posterior dicitur proprie oculus amoris, vel oculus sponsæ: de quo in Canticis: Vulnerasti cor meum in vno oculorũ tuorum. Contingit autem, quod dum anima fertur in dilectum per oculum amoris, si tentet intelligere quid sit illud, quod diligit euolet dilectio, simulque sponsus euolare dicatur: Sunt enim hæc sponsi ipsiusmet verba: Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Perseuerat tamen nonnunquam aliquantulum amor ille & cognitio: alioqui quomodo de Theologia Mystica tradi posset cognitio?

SEPTIMVM. Dilectio libera, & elicita naturaliter ponitur in apice mentis, absque hoc, quod mens se actualiter iudicet aliquid diligere: quamuis ista dilectio cognitionem sequatur, & concomitetur. Nempe, potest esse amor, & cognitio directa, absque cognitione reflexa.

OCTAVVM. Stare nequit, vt Theologia Mystica sit in hominis mente sine qualicumque Dei cognitione. Hoc vt non sit contrarium superius disputatis & decisis, ponit omnem apprehensionem, vel motionem intellectualem siue de Deo, siue de alijs dici posse cognitionem, imo, & visionem, illo loquendi modo, quo omnis sensatio visio nominatur. Sic dicimus: Vide qualiter hoc sapit, hoc olet, sonat, suaue est, lædit. Quo pacto, cognitio etiam ad voluntatem transfertur. Celebratur illud Gregorij: Amor ipse cognitio est. Franciscus Suarez putat Gersonem loqui de cognitione consequenti, sed reuera, non agit nisi de motione voluntatis, quam Mysticorum phrasi appellat cognitionem.

Tom. 11. de Relig. li. 11 cap. 13.

EXER-

# EXERCITATIO XXV.

## DE AMORE ECSTATICO, CESSANte omni operatione intellectus, ex mente magistrorum in disciplinis variis celebrium.

PRIMA DISQVISITIO. An Mysticorum sententia, de vnione per amorem ecstaticum sine vllo actu intellectus, nullum è Scholasticis Patronum habeat. Seu

An Scholasticorum omnium iudicio, voluntas amare non possit, sine cognitione præuia, vel comitante?

RESPOND. Fuisse ex Scholasticis antiquis aliquos, quibus minime absurdum est visum, posse DEVM efficere, vt voluntas amet sine præuia cognitione. Sunt autem isti. Paludanus in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 11. num. 29. Ochamus q. 25. ad 7. & 15. & Thomas de Argentina in 1. dist. 1. quæst. 1. ar. 4. vbi asserit: voluntatem posse esse in actu fruitionis, intellectu existente suspenso quo ad actum cognitionis: quæ est ipsissima Mysticorum sententia. Addit tamen Argentinas, secundum ordinem à DEO constitutum id non fieri: posse tamen secundum absolutam Dei potentiam. Nam

PRIMO: Intellectus, & voluntas potentiæ sunt realiter distinctæ: in his autem potentijs potest Deus conseruare vnam in sua operatione, manente alia suspensa.

SECVNDO: Ideo requiritur cognitio ad amorem, vt bonum, quod est obiectum voluntatis illam moueat efficiẽter. DEVS autem supplere potest omnem efficientiam. Itaque non est simpliciter necessaria cognitio, vt voluntas operetur.

TERTIO: Deus est intimior per se voluntati quam sit cognitio. Ergo potest mouere per se voluntatem absque cognitione.

De Gregorio, an eiusdem fuerit sententiæ lis est. Adfirmant aliqui, id illum docere in 11. distinct. 24. quæst. 1. ad tertiam rationem contra secundam conclusionem. At ibi contrarium potius asseuerat.

Maius est de Ferrariensi dubium. Siquidem li. III. contra Gent. cap. 89. §. Ad euidentiam, scribit quidem, cognitionem aliquam intellectus debere esse primam, & non ex motione voluntatis, sed ex DEO, mediis obiectis: subdit tamen; *Hac autem dixerim, non quia alio modo Deus non possit intellectum & voluntatem mouere ad aliam operationem.* Quæ verba si Ferrariensis protulisset de modo operandi harum potentiarum, quo ad subordinationem amoris ad cognitionem, Mysticis haud dubie faueret. Sed videtur loqui potius de modo operandi illarum potentiarum in ordine ad principium, quo mouentur. Nimirum, quod moueantur ad primas operationes naturales quadam necessitate ex inclinatione naturali data à Deo. Hoc enim fit ordinarie: sed non est simpliciter necessarium. Quocirca subiungit Ferrariens. *Est autem & alius modus, quo* DEVS *aliquando intellectum & voluntatem mouet, non ex naturali inclinatione propriæ naturæ secundum se, sed ex sola motione, quæ applicat intellectum ad intelligendum aliquod obiectum, & voluntatem ad aliquid volendum mouet.* An hoc referri potest ad motionem voluntatis sine præuia cognitione? an potius ad motionem ex gratia propter operationes supernaturales? Illud arriperent Mystici: istud eligit Franciscus Suarez: neutrum est omnino infallibile ex mente Ferrariensis, quem Mysticis fauere, non est, quod ægre ferat Scholasticus.

*Suar. to. II. de Relig. li. II. capi. 13.*

Itaque sunt ex Doctoribus Scholasticis, qui existimant, vt voluntas operetur non necessario requiri operationem aliquam intellectus. Alij vero etiamsi fateantur, in amoris initio necessariam esse cognitionem, vt voluntas incitetur ad amandū: asserunt tamen postquam voluntas cœpit amare, ita interdum exardescere in amorem, vt in eo possit manere voluntas nulla existente cognitione in intellectu. Legendus Capreolus in II. dist. 25. q. I.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quæ in hac re sit Scholasticorum communior sententia.

RESPOND. Esse, quod timor, & omnis actus voluntatis postulet cognitionem præuiam intellectus. Ita sæpe pronunciat S. Thomas: aliqua loca indicabo. I. P. q. 82. art. III. ad 3. *Omnem,* inquit, *voluntatis motum, necesse est, quod præcedat apprehensio, sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis: sed principium considerandi & intelligendi est aliquod intellectiuum principium altius intellectu nostro, quod est* DEVS, *vt etiam Aristoteles dicit in* 8. *Ethicor.*

Responderet Mysticus loqui D^rem Angel. de modo ordinario intel-

intelligendi & volendi in quo processus esset in infinitum si quodlibet intelligere præcederet aliquod velle, & è contrario. processus autem ille euitatur, si dicatur Spiritum Sanctum singulari motione voluntatem ad amorem prouocare, illumque efficere, cessante operatione intellectus.

Iterum S. Thomas 1. 11. q. 111. art. 4. cum dixisset, nobiliorem esse Dei dilectionem, quę est actus voluntatis, quam cognitionem, quæ est operatio intellectus iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. Maior horum caritas: subiungit Responso ad 4. Dilectionem præeminere cognitioni in mouendo: sed cognitionem præuiam esse dilectioni in attingendo. Non enim diligitur, nisi cognitum, vt dicit Augustinus libr. 10. de Trinit. capit. 1. Et ideo intelligibilem finem primo attingimus per actionem intellectus, sicut & finem sensibilem primo attingimus per actionem sensus. Verum & hic loquitur S. Thomas non de potentia Dei absoluta, sed de communi operandi modo.

Eadem autem part. quæst. 9. quæ est de Motiuo voluntatis docet, intellectum mouęre voluntatem. Sed loquitur de naturali agēdi modo: imo ex professo probat, moueri voluntatem ab intellectu tantum quo ad specificationem, non autem quo ad actus exercitium.

D. Thomæ loquendi modum sequuntur alij Scholastici communiter in 11. distinct. 25. Durandus in 1. distinct. 18. qu. 1. art. 2. Henricus quodlib. 1. quæstione 15. Franciscus Suarez disput. 23. metaphy. sect. 7. & tom. 11. de relig. lib. 11. capit. 13. dict. 1. Gabriel Vasquez. I. S. disput. 35. Hurtado disputat. 14. de anima, vbi ait, oppositum doceri à Bonauentura & Gersone, non tam Scholastice quam deuote. Censent enim isti, inquit, in via vnitiua per amorem ardere voluntatem in Deum sine cognitione. At non ita euenit: etsi tam facile figatur mens & sine volubilitate, vt nihil videatur cogitare.

Idem tamen Hurtado concedit per potentiam absolutam Dei, posse produci qualitatem in amore repertam sine influxu voluntatis creatæ, & sine cognitione nostra, item & vniri. quod probat disput. 6. Ex quo concludit posse voluntatem in eo actu præstare concursum obedientialem, non vitalem, quamuis ei nulla præeat cognitio. At ille concursus esset plane mortuus, qualis exhiberetur à lapide per potentiam obedientialem. Sed hoc non controuertitur, verum, an ad actionem vitalem, qua fiat amans voluntas possit diuinitus concurrere in actum, absque præuia cognitione.

## TERTIA DISQVISITIO. Quodnam sit Patrum in hac controuersia iudicium?

SCHOLASTICI Patribus se niti adfirmant, & hos potissimum citare solent, S. August. li. 10. de Trinit. cap. 1. & 2. vbi est sententia illa celebris: *Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest.* Et lib. 16. cap. 16. vbi asserit, *Amorem oriri in nobis ex mentis notitia.* Similia sunt libr. 8. ca. 4. & lib. 11. de lib. arbitr. cap. 25.

S. Gregor. lib. 5. Moral. ca. 23. Verum M. Papa eo loco nihil pene habet quod negatiuam illam partem magnopere confirmet. Solum ait: Per contemplationem raptos, superna conspicere, ab ipso aliquo modo præsumptionis suæ securitate liquescere, & tanto magis in diuino conspectu trepidare, quanto nec bona sua digna eius examine, quem conspiciunt pensant. Item: Cum mens in contemplatione suspenditur: cum carnis angustias superans, per speculationis vim de libertate aliquid intimæ securitatis rimatur; stare diu super seipsã non posse: quia & si hanc spiritus ad summa vehit, caro tamen ipso adhuc corruptionis suæ pondere deorsum premit.

Indicatur etiam lib. 23. capit. 12. Sed ibi nihil aliud docet, quam in nocte vitæ præsentis diuinam naturam ad plenum non cognosci: & idipsum, quod quasi in caligine conspici potest, tunc demum videri, cum ab huius mundi tumultuosa licentia, & concupiscentia segregati, quasi clausis corporalibus sensibus in quiete contemplationis diuinæ dormimus.

Libro quoque 31. capit. 12. non aliud pro hac sententia habet, quam contemplatorem mysticum locustæ instar ad superna subsilire & rapi.

Cap. 18. S. Bernardus opusc. de interiori domo, in raptu considerationem concedit, id est operationem intellectus. An autem sine hac aliquando mens suspensa hareat, & amet, non disputat. Et ibidem cap. 19. dicit rationem per mentis excessum in contemplationem sublimium subleuari, & in diuinæ contemplationis arcanum rapi: atque ibi illuminari ad cognitionem veritatis & veri luminis, inflammariq; ad desiderium bonitatis.

Magis ad rem facit, quod habet idem Sanctus tractatu de gratia & lib. arbit. *Voluntas est motus rationalis & sensui præsidens & appetitui. Habet sane quocumque se voluerit semper rationem comitem, & quodammodo pedissequam: non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absq; ratione moueatur. Est vero ratio data voluntati, vt instruat illam.*

Aliis locis vbi agit de amore ardenti, quo anima diligit Deum nun-

nunquam à consideratione intellectus separat vt Sermone 7. 8. Et 52. in Cantica.

Denique, peruulgatum est illud Anselmi in Monologio ca. 48. *Nulla res amatur sine sui memoria, aut intelligentia.*

## QVARTA DISQVISITIO. Quomodo Amor ecstaticus absq; operatione intellectus cum Philosophorum sensu conueniat?

CONTRA Mysticorum opinionem producunt Scholæ DD. Philosophi illud effatum. *Appetibile non mouet nisi mente, aut imaginatione perceptum.* Quod vsurpat Suarez & alij. sumuntque ex Aristotele lib. III. de anima cap. 10. Certe Philosophus eo cap. sparsim quædam habet, quæ ad hanc rem spectant. Eius verba sunt textu 54. Εἴδει μὲν ἂν εἴη ἓν τὸ κινοῦν, τὸ ὀρεκτικὸν ᾗ ὀρεκτικόν. πρῶτον δὲ πάντων τὸ ὀρεκτόν. τοῦτο γὰρ κινεῖ, καὶ οὐ κινούμενον τῷ νοηθῆναι, ἢ φαντασθῆναι. *Specie quidem fuerit vnum mouens, appetitiuum quatenus appetitiuum. Primum vero omnium appetibile, seu, quod appetitur. Hoc etenim mouet, & non motum: quod intelligatur, phantasiaue comprehendatur.* Docet eo loco Aristoteles, vt bene deducit Hieronymus Dandinus. Primum, duo esse mouentia: vnum in animali, alterum extra animal: in animali appetitum; extra animal, rem appetendam. Deinde, appetitum mouere, vt efficientem motus causam: rem appetendam, vt finem, cuius desiderio fit motus. Tum vero, vt appetitus moueat, duo necessaria esse: alterum est res appetenda: alterum, illius cognitio, siue intellectus, siue phantasiæ, vt appetitui proponatur, cognitaque mouere possit. Præterea, rem appetendam mouere sua bonitate: cognitionem vero, conditionem esse, sine qua mouere non posset. proponatur enim oportet appetitui: cognitione autem proponitur.

Postea textu 56. iterum pronunciat: *Animal quatenus appetitiuum, eatenus sui ipsius est motiuum. Appetitiuum autem non sine phantasia. Phantasia vero omnis, aut rationalis, aut sentiens.* Nimirum: dixerat appetitum nequaquam sine cognitione mouere, neque animal incitare nisi ad boni, maliue cogniti prosequutionem, aut fugam. Idcirco, appetendi vim subiungit absq; phantasia nõ mouere: hoc est cognitionem quoque necessariam esse velut conditionem, sine qua non moueret appetitus. Non enim moueret nisi proponeretur illi obiectum: proponitur autem cognitione.

Porro, cum duplicem phantasiam distinguat, rationalem vnam solius

solius hominis propriam, alteram irrationalem & sentientem: dupli-ci interpretamento id exponunt Peripatetici. Prima est: Appetitiuum non esse motiuum sine phantasia: id est, vt interpretatur Dandinus, nisi cognoscente quapiam virtute, res appetenda illi proponatur, & velut appetenda appareat. Hoc autem vel sensu fit, vel intellectu: sensu tum in homine, tum in bestijs quoque: intellectu, in homine solo. Iuxta hanc exponendi rationem phantasia laxe accipitur, vt idem sit appetitiuum mouere, at non sine phantasia: id est, sine cognitione, & intellectione late sumpta. Nam si phantasia proprie intelligatur, vt ab intellectus cognitione distinguitur, falsum est, appetitum non mouere sine phantasia, cum persæpe, homo rationem sequutus solam, operetur. Hanc interpretationem Themistius insinuat.

Alteram, Simplicius, secundum quam Phantasia proprie sumi potest hoc sensu: Appetitus non mouet sine phantasia, quia etsi intellectū sequatur, hic tamen ipse indiget phantasia, sine qua intelligere nō valet, præsertim intellectus actiuus qui ad motū confert. Hic n. inquit Simplicius circa particularia semper versatur: particularemq; propositionem cum vniuersali complicans adiutrice semper indiget phantasia ad particularium ipsorum cognitionem. Est autem duplex phantasia, aut rationalis, aut sentiens, hoc est, aut rationi conformis, qua ad verum & honestum bonum mouetur: aut sensui, qua ad iucundum, & apparens incitatur. Illa solius est hominis: hæc tum belluarum, tum hominis vbi rationi præualet concupiscentia.

Verum, secundum hanc expositionem, non magis necessaria esset cognitio, quam phantasia proprie dicta, seu, phantasmatum speculatio. Quam neque naturaliter semper requiri in contemplatione diuinorum, ex multorum etiam Philosophorum sententia suo loco ostendimus: neque, si supernaturali Deus concursu potentiam subleuet, esse necessariam in confesso est.

## QVINTA DISQVISITIO. An Mysticorum omnium constans sit sententia. Amorem, in voluntatis, seu affectus apice concitari, vel conseruari posse, suspenso ab omni operatione intellectu?

RESP. Negatiue. Recentiores enim Mystices tractatores ab ea recedunt. Ioannes à IESV MARIA. Inter Canones Theologiæ Mysticæ,

fticæ, hoc & recenset XVIII^u. *Sine quouis intellectus actu comite, vel prauio, Theologiam Mysticam prout presse arcana Dei perceptio est, posse contingere, multorum Auctorum assertio est.*

19. Tria sunt in hac Theologia difficilia. Primum. An contingat Deum ab homine amplius amari, quam intelligi? Secundum. An sine vllo intellectus actu voluntas Deum percipere valeat. Tertium. *An contingat, intellectum & voluntatem sine actibus elicitis pati diuina. Primum profitemur cum S. Thoma: reliqua duo minime probamus.* Similia habet in tractatu de Theolog. Mystica lingua vulgari edito: & in opusculo peculiari eiusdem tituli. S.Tho.1.2. q.27.art. 11.ad 2.

Ex eodem laudatissimo ordine Discalceatorum Thomas à IESV, libr.5. de contemplatione diuina, agnoscit quidem Mysticorum multorum fuisse sententiam: non solum in mystica animæ cum Deo vnione, voluntatem absque vlla intellectus operatione præuia à Spiritu Sancto immediate tangi, ac cum eo per amorem vniri: verum etiam in motibus anagogicis, vel aspirationibus vnitiuis, (quibus mens mirabiliter disponitur ad vnionem illam felicissimam) omni cognitione, meditatione, vel alio intellectus actu præmisso cum Deo vniri. Verum ait errasse hos Mysticos & errandi occasionem fuisse: quod in illa vnione beatissima, ac suauissima, quæ omnem superat sensum, ac intellectum, voluntas in Deum felicissime transformetur, & ab omnibus sensibus alienata ab illo immenso diuinitatis oceano absorbeatur, ac supra omnem cognitionem in ipsum feratur. Nihil enim ibi imaginabile, nihilue intelligibile in particulari, à sensu, aut ab intellectu percipitur. Ideo ausi sunt adfirmare, nullam ibi intellectus operationem interuenire. Li.5.ca.13.

Quæ sententia (inquit Thomas) & Philosophiæ & rectæ rationi grauissimorumque Patrum auctoritati contradicit: qui omnes, vno consensu, nihil esse volitum, quin prius fuerit ab intellectu cognitũ, tenent. Stabiliendum igitur est in hac mystica, ac supereminentissima animæ cum Deo vnione, inueniri simul Dei altissimam cognitionem, siue contemplationem: quæ licet non ab omnibus, qui diuina patiuntur sentiatur, tum propter vehementem & amorem, & delectationem, quæ illam supereminentem animæ cum Deo vnionem, & amplexum comitantur, quibus ita animæ intentio absorbetur, ac ab alijs abstrahitur operationibus, vt nulla ratione supra seipsam, vel supra eius potẽtiarum actus valeat reflecti: tum etiam, quia cum illa contemplatio, ex cognitione Dei per remotionem oriatur, ac omnino fiat in illa diuina caligine, in qua Deus sub ratione incomprehensibili-

ſibilitatis attingitur, non mirum, ſi etiam ab expertis non percipiatur.

Confirmari hoc poſſe putat idem reuelatione quadam facta B. Matri Thereſiæ, quam ipſa refert libr. ſuæ vitæ 19. De vnione. Cum enim illa ſcire deſideraret, quid in myſtica vnione intellectus operaretur, reſpondit ei Dominus, vt ipſa refert dict. ca. *Como no puede comprehender lo que entiende, es no entender entendiendo.* quaſi dicat: Cum intellectus non poſſit Dei immenſam illam claritatem, & incomprehenſibilem plenitudinem comprehendere, hoc ipſum eſt illam conſpicere, ac intelligere, intelligere ſe non poſſe intellectu cognoſcere. Quod quidem nihil aliud eſt, quam Deum ſub ratione incomprehenſibilitatis videre ac cognoſcere.

Quod Io. Taulerus lib. inſtitut. cap. 12. ſententiola illa miræ obſcuritatis indicauit: *Pro cognitione ibi fit abſque cognitione, & præ amore abſque amore.* Nempe, præ altiſſima, ac ſupereminentiſſima Dei incomprehenſibilitatis cognitione videtur ſibi potius Deum ignorare, quam cognoſcere.

Quomodo etiam intelligendum, quod habet Bloſius Inſtitut. Moral. cap. 12. *Hinc præcognitione facta, ſine cognitione in ſolo amabili, nudo, ſimplici, & ignoto* DEO *quieſcit. Lux quippe diuina propter nimiam ſui claritatem inacceſſibilis eſt, vnde & caligo appellatur.*

Neque his refragantur plane antiquiores Myſtici, ſi quæ varijs in locis diſſerunt, diligenter perpendantur. Fauet plurimum Dionyſius Carthuſianus opuſculo de contemplatione, & opuſc. de vita ſolitar. art. 36. & 37. Commentario quoque in Areopagitam articul. 9. Gerſon quoq; alicubi ita diſputat ac ſi eius eſſet ſententiæ. Et eo ipſo loco, in quo volũtatis actum abſolutum ab operatione intellectus videtur cõcedere, ſuperiore exercitat. indicato ſtatuit hanc propoſitionem: *Stare nequit, vt Theologia Myſtica ſit in hominis mente ſine qualicumque Dei cognitione.* Verum hoc exponi poſſe abſque operatione intellectus ibidem §. *octauum*, declarauimus. Magis fauet quod habet tractatu ſuper Magnificat quinto Notula I[a]. *Elicimus ex præmiſſis, quod omnis notitia propriiſſime intuitiua, ac proinde notitia, quæ habetur per deuotionem, ac vnionem mentis ad* DEVM *nequaquam fit, aut fieri poteſt ſine cognitione præuia vel comite, ſecundum Auicennam, aut ex perceptione tali conſurgit.* Rationem adiungit, quia alioquin in plantis, & in animatis poneretur delectatio. Quare loqui videtur de potentia Dei abſoluta, quod etiam Franciſcus Suarez ſentit.

EXER-

# EXERCITATIO XXVI.

## DE AMORE ECSTATICO ABSQVE operatione intellectus, Scholastice.

### PRIMA DISQVISITIO. An possit voluntas quidpiam velle, cuius non sit in intellectu cognitio?

RESPOND. Negatiue. Id secundùm ordinem naturæ plane certum est, & rationibus conuincitur. PRIMA. Voluntas est potentia indeterminata. Ergo non potest exire in actum nisi determinetur. Sed nō determinatur nisi per operationem intellectus. Ergo sine hac non potest exire in actum. SECVNDA. Cum voluntas non sit cognoscitiua, nisi intellectus illi repræsentet obiectum non potest illud velle. TERTIA, Si non esset necessaria cognitio, non esset ratio cur potius vnum vellet, quam aliud.

DICES Voluntas est libera. Ergo ex libertate sua potest hoc potius velle, quam istud.

RESP. Id non sufficere. Nam libertas oritur ex indifferentia rationis, quæ multa potest proponere voluntati. Itaque absque ratione proponente non erit voluntatis libertas. Confirmatur. Si id posset voluntas propter suam libertatem, etiam in motibus primo primis, in amentibus, ac dormientibus, alijsque similibus esset libertas, quoniam in ijs manet voluntas cum tota sua perfectione, & solum impeditur cognitio, à qua voluntas in operatione dicitur non dependere.

### SECVNDA DISQVISITIO. An non tantum sit necessaria cognitio, vt eliciatur actus voluntatis, sed etiam vt continuetur?

RESPOND. Esse etiam necessariam vt continuetur. RATIO. Est necessaria cognitio, vt obiectum fiat præsens voluntati, ipsaque determinetur. Quare cessante cognitione obiectum non erit præsens, nec voluntas determinata, Potentia autem operari non potest,

 nisi

proprium obiectum. Sed cognitio pertinet ad formale voluntatis obiectum. Ergo non potest moueri nisi circa cognitionem. Sed minorem non solum vt dubiam, verum & omnino falsam plurimi censent, quod cognitio non pertineat ad obiectum voluntatis. Quare aliqui dicunt esse conditionem, verum adeo intimam & vitalem vt sine illa intelligi non possit quomodo obiectum alliciat potentiam affectiuam. Alij asserunt esse conditionem, quæ constituat obiectum dando illi esse necessarium admouendum affectum.

Non nemo sic argumentatur. Voluntas natiua virtute non potest ferri in incognitum. Ergo nec diuina virtute antecedens ponitur vt certum. Consequentia probatur, quia potentia vitalis non potest habere actum, nisi procedat à virtute natiua illius, quia totum quod est in tali actu non potest esse à solo Deo, sed aliquid pendet essentialiter à potentia vitali tanquam à propria causa quod maxime verum est in amore.

Atenim, hanc rationem eodem iure formari posse contra actus omnes supernaturales, ad quos potentia eleuatur per gratiam, cum ad illos non habeat virtutem naturalem obseruat Suarez. Vel, quemadmodum ad illos dici potest esse in homine virtutem naturalem, id est, actiuitatem aliquam natiuam non distinctam ab entitate substantiæ & potentiarum, quamuis non possit exire in actum sine adiutorio gratiæ; ita absurdum non esset concedere, si aliud non obstaret, voluntatem habere virtutem natiuam ad amandum Deum non cognitum.

*Tom. 11. de rel. Suarez li. 11. de orat. cap. 15.*

Argumentum multorum est. Omnis actus voluntatis est voluntarius. At repugnat voluntarium esse absque cognitione. Ergo & actum omnem voluntatis.

Huius argumenti minorem distingueret contrariæ opinionis Assertor. Repugnat esse sine cognitione, secundum ordinem communem naturæ, concedo: repugnat per diuinam potentiam: nego. Sunt enim non contemnendi Philosophi, qui existimant, qualitatem amoris, quatenus distincta est ab actione esse voluntariam, voluntario peculiari ab actione distincto, eamque produci posse sine actuali voluntatis influxu. Quocirca si amor in sola qualitate consisteret, concedunt posse fieri vt quis amet actu, & habeat voluntarium actu sine cognitione. Quod tuetur Hurtado, qui alio argumento vtitur ad sententiæ communis confirmationem hunc in modum. Amor formaliter includit actionem. At amoris actio per nullam potentiam esse potest absque cognitione. Ergo nec amor, nec vllus alius affectus voluntatis. Minorem probat: quia actio natura sua pendet à co-

gnitione cum sit voluntaria: voluntas autem nullum habet amorem non pendentem ex natura rei à cognitione. Sed actio semel existens cum dependentia à cognitione, non potest existere, quin ab ea pendeat. Ergo amor non potest existere sine cognitione.

Verum probatio ista multa sumit, quæ ab alijs non admittuntur: vt, cognitionem influere in amorem; eandem esse principium amoris: amorem non posse esse absque actione. Multi enim cognitionem tantum conditionem esse volunt, nec influere in amorem, sed tantum afficere obiectum, quod deinde mouet affectum, seu voluntatem. Quod etiam si concedatur non poterit tamen voluntas amare absq; cognitione, vt superius est demonstratum.

---

## EXERCITATIO XXVII.

### *SATISFIT ARGVMENTIS OPINIOnis oppositæ.*

OBijcitur. I. Potest voluntas, quia potentia dominatrix, imperare intellectui, vt nihil cogitet. quare si intellectus obtemperet, erit actus voluntatis absq; actu intellectus.

Habet hoc argumentum Scotus, vt difficile, & laborat in solutione: quæ expedita est, si dicatur. Dum voluntas præcipit intellectui vt nihil cogitet, tunc intellectus de hoc ipso cogitat, quod est nihil cogitare. Et quamdiu perseuerat voluntas non cogitandi, intellectus intelligit non cogitare: quod si deinde cesset cognitio, cessat actus voluntatis.

Obijcitur. II. Possumus velle scire incognita. Ergo potest voluntas velle incognitum.

RESP. S. Augustinus lib. 10. de Trinit. ca. 1. Qui amat scire, quæ nescit, non amat incognita, sed rei incognitæ scientiam: quæ illi est cognita saltem in confuso, quomodo etiam dici potest cognoscere ea quæ cupit scire.

Obijcitur III. Voluntas potest imperare intellectui, vt incipiat cogitare. Ergo poterit operari ante omnem actum intellectus.

RESP. Non posse voluntatem imperare intellectui primam intellectionem: sed hãc esse vel ab auctore naturæ vt existimat S. Thomas I. P. q. 82. art. 4. vel à casu fortuito, vel causa aliqua extrinseca, obiectorumque occursu, quo fit, vt intellectui quidpiam obuersetur,

circa quod agat. Quando autem intellectus applicatur ad operandum à voluntate, semper præcedit aliqua cognitio rei, vel cuiuspiam circumstantiæ ad rem pertinentis saltem in confuso.

Obijcitur IV. Voluntas est potentia re distincta ab intellectu. Ergo potest actum suum exercere independenter ab operatione intellectus.

Resp. Negando cons. Ratio: quia essentialiter dependet ab operatione intellectus, quia dependet ab appetibili, tanquam mouente voluntatem: appetibile autem respectu voluntatis non est nisi cognitum. Conf. Quia multa sunt re distincta, quæ tamen ob dependẽtiam intrinsecam separatim esse aut fieri nequeunt. Sic actus vitales, non possunt produci nisi influxu vitali potentiarum, quamuis re à potentijs distinguantur.

Obijcitur V. Caussalitas cognitionis respectu voluntatis est effectiua: nam bonum cognitum mouet effectiue voluntatem. Omnis autem caussalitas effectiua suppleri potest à Deo.

Resp. I. Neg. minor. quia causalitas potentiæ vitalis cum essentialiter effectus ab illa pẽdeat nulla potentia impleri potest. II. Obiectũ cognitum mouere debet voluntatem metaphorica motione, & per modum finis, hæc autem intrinseca est, ac vitalis, ideoque cognitionem intrinsece postulat.

Obijcitur VI. Deus est intime præsens voluntati, imo intimior, quam cognitio. Ergo per se immediate potest mouere voluntatem.

Resp. Esse maxime intimum communibus modis essentię, pręsentiæ, potentiæ: sed hoc non sufficere, vt censeatur esse præsens tanquam obiectum diligibile, nisi cognoscatur, cognitionis autem ista caussalitas suppleri nequaquam potest.

Hæ sunt objectiones, quæ Scholasticam speculationem continẽt, Mysticam habent, quas exerc. 24. posuimus, & minoris sunt difficultatis.

Ad Primam Resp. Non esse verum quod in ascensu Mystico anima prius attingat id, quod est quasi vltimum in Deo. Non enim prius amatur Spiritus Sanctus quam Filius: nec hic prius cognoscitur, quam Pater: nec prius Trinitas, quam Deus vt vnus. Denique modus attingendi Deum per amorem essentialiter est subordinatus modo attingendi per cognitionem. Ergo hic non potest illam subsequi.

Ad Secundam. Seraphinorum nomen duci ab ardore, quod caritate emineant & luce ignea. Ex quo nõ sequitur, quod vel ipsi prius

 amens,

ament, quam intelligant, vel alij id facere possint. Ac proinde nulla inde coniectura idonea pro Mysticorum opinione ducitur. Illi melius fortasse ratiocinantur, qui inde probant amorem patriæ perfectiorem esse visione. quod tamen negant alij, & nominis impositionem factam putant, quod in viatoribus amor & caritas ceteris donis sit maior.

Ad Tertiam Resp. I. Intellectum non esse potentiam Deo minus propinquam, quam voluntatem, siue naturam spectes, siue gratiam. II. Etiamsi magis propinqua esset voluntas, non tamen idcirco prius à Deo moueretur, propter subordinationem essentialem in operatione ab intellectu.

Ad Quartum Resp. Hominem maxime appropinquare Deô per intensissimum amorem, sed hunc haberi non posse nisi per proportionatam cognitionem. Sic enim disponitur magis mens, vt se Deo vniat perfectius. In qua vnione dum est, non tam cognitioni augendæ, quam adfectui indulgendo, & amori perficiendo vacat. quod ipsum tamen nisi comite intellectione non potest consequi propter subordinationem, & dependentiam toties indicatam.

---

## EXERCITATIO XXVIII.

### *SATISFIT MYSTICORVM VARIIS quæsitis circa amorem ecstaticum absque cognitione præuia, vel comite, elicitum, aut conseruatum.*

Prima Disqvisitio. An perfectior esset futurus amor, si voluntas diuinitus adiuta illam produceret absque omni cognitione? Ita nonnulli è Mysticis existimant.

Resp. Negatiue. Ratio. Illud quod & connaturaliter, & essentialiter requiritur ad aliquem effectum non potest impedire, vel minuere perfectionem illius effectus. Sed cognitio, vt est probatum, requiritur & connaturaliter, & essentialiter ad amorem, etiam ecstaticum. Ergo nihil potest tollere de illius perfectione. Confirmatur.

tur. 1. In beatis nihil perfectionis detrahit eorum caritati visio beatifica: imo, iuuat illam. In Christo etiam non fuisset amor perfectior, si caruisset proportionata ad illum producendum cognitione: ac proinde nec deficit cognitio, quamuis diuersa à visione: nempe, scientia infusa. Idem iudicium est de amore B. Virginis Mariæ, S. Ioannis Baptistæ, aliorumque in Mystica Theologiæ culmine constitutis. Fuisse enim in iis amorem absque cognitione intellectiua Dei, aut cogitatione de Deo nemo dixerit: multo minus hoc potuisse pertinere ad maiorem amoris in Diua Matre, perfectionem.

Confirmatur 2. Non potest vel confingi vlla perfectio quam impediat, aut minuat intellectus operatio. Non minuit libertatem quæ est in illo actu, imo potius promouet. Nam si infunderetur à Deo actus amoris sine cognitione, ille careret libertate, ideoque non esset meritorius, sicut non est amor in patria. Neq; est existimandum cognitionem ita constringere Deū vt non possit voluntas ferri in ipsum sicut est à parte rei. Quemadmodum enim intellectus concipit Deum vt bonum, sapientem, misericordem, ita concipere potest vt summe amabilem habentem in se rationes omnes infinite perfectas & excedentes, ob quas quidpiam amari dignum est.

Dices. Pluribus intento minor est ad singula sensus. Distrahitur animus diuersarum potentiarum operatione. Itaque magis erit collectus, si sola in Deum feratur voluntas suspenso ab omni operatione Intellectu.

Resp. Quamuis diuersitas operationum, disparatarum intentionem mentis naturaliter diminuat: tamen supernaturali Dei auxilio subleuatam mentem posse æque intense diuersis vacare. Quod si sermo sit de operationibus subordinatis, quarum vna essentialiter pendet ab altera quales sunt intellectio & volitio, tantum abest, vt vna alteri impedimento sit, vt potius mirifice conducat qualibet ad alterius perfectionem.

## Secunda Disquisitio. An ex SS^{ris} colligatur amor ecstaticus sine omni operatione intellectus.

Ita Ioannes Gerson adfirmat, dicens, fere totam scripturam duci posse ad illum sensum: nempe, quod intima cum Deo vnio, & Theologia mystica consistat in solitario illo amore excluso omni actu intellectus.

Re-

RESPON. Negatiue. quia nunquam SS^ra dum agit de arcano cum Deo nexu, seu de contemplatione altissima, & anagogicis affectibus excludit cogitationem de Deo: imo nec insinuat, illam cessare debere. Contrarium potius vbique innuit, vtendo vocibus quæ ad intellectum spectant, qualia sunt, illuminatio, reuelatio, visio, ostensio. His enim ac similibus declaratur, quomodo Moses, Elias, Paulus alijque ad summum contemplationis mysticæ culmen peruenerint, in eoque constiterint.

## TERTIA DISQVISITIO. An experientia constet Mysticos habere amorem ecstaticum absque omni cognitione præuia, & comite?

AD experientiam fere prouocant Mystici. Amorem ecstaticum, non nisi ab expertis cognosci: in expertos latere. Haud mirum, Scholasticos speculationis aridis deditos huius amoris impugnatores esse, aut videri quippe experientia destitutos.

To. 11. Rel. li. 11. ca. 13. § Probatur RESPOND. Negatiue. Probat id Suarez. Quia nulla adest actualis cognitio. Ergo nulla tunc est experientia: quia experientia dicit cognitionem.

At respondere posset Mysticus. Experientiam dicere quidem notitiam aliquam, non tamen, quæ sit solius intellectus, sed, quæ laxiori significato ad potentiam etiam affectiuam spectat. Hæc doctrina est Mysticorum, quam declarat S. Bonauentura Itinerario 6. dist. 1. *Experientia*, inquit, *idem est, quod notitia. Vnde experientia videtur esse obiecti cuiuslibet potētia præsentialis actus ac notitia. Actus enim vitales attingunt sua obiecta actiue, vel passiue, vel vtroque modo, secundum quosdam: alias potentia non fieret in actu. Vnde, si omnes homines mihi dicant hoc esse dulce, per hoc non habeo notitiam experimentalem de illo, etiam quantumcumque probēt per rationes, sed opinionem, vel fidem, vel scientiam possem habere. Sed si gustus meus attingat gustabile vel attingatur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. Similiter est de gustu interiori, & aliis sensibus spiritualibus. Vnde si ego lego, vel audio ab aliquo, quod dulcis sit Dominus, propter hoc non habeo notitiam experimentalem de hoc nisi gustus spiritualis attingatur à dulcedine diuina, vt dicat cum sponsa: Fructus eius est dulcis gutturi meo. Vbi loquitur de gustu spirituali, & experimentali, vt patet in glossa. Et ista notitia experimentalis perfectissimorum est. Vnde dicit Bernardus. Quicquid de tuis occultis scimus ô Domine Iesu, aut scriptura docente, aut te reuelante, aut certe quod perfectissimorum est gustando didicimus: idest, experientia.*

Itaque

Itaque amorem ipsum, quo Deum experimentaliter se percipere dicunt, notitiam vocant. quod non est alienum à modo loquendi S. Gregorij homil. 7. in Euang. & S. Augustini lib. 7. Confess. cap. 10. vbi ait: *Qui nouit veritatem, nouit eam: & qui nouit eam, nouit æternitatem. Caritas nouit eam.* Idem apud Richardum capit. 111. de grad. caritat. *Amor vehemens non potest non videre, quem amat, quia amor oculus est, & amare videre est:* hoc est, percipere, ac gustare rem amatam. Cui non refragatur S. Thomas 2^da^ 2^dæ^ quæst. 172. articul. 4. ad 2. Quare experientiam definiunt Mystici; Perceptionem rei simplicem, caussatam immediate ab objecti motione. Quocirca admittunt experientiam, etiam quando nulla est intellectus notitia. Et pari modo concederent memoriam rei non cognitæ per intellectum, sed perceptæ à voluntate.

Neq; adhoc necessarium est confugere ad id quod habet Gerson alphabeto 66. consider. 6. litt. X. esse cum amore mystico cognitionem aliquam, nempe ipsius amoris, in quem directe terminetur, oblique autem in ipsum DEVM. Experitur igitur mens se amare quidpiam, sed non aliud, quam DEVM. Quæ cognitio consequitur, eius iudicio ex amore. Hoc enim nec alij Mystici admittunt, nec satis conuenit Mysticæ Theologiæ puritati.

RESPONDEO igitur. Quamuis posset esse experientia alicuius actus, qui fit in potentia voluntatis, suspenso intellectu ab omni operatione, ex doctrina illa Mysticorum: tamen, si non possit effici talis actus, vt probant Scholastici, certe illius non datur experientia. Nec puto inueniri Mysticum, qui fidenter adfirmare audeat, se illius habere experientiam. Quod si quis id assereret; probare id sane non posset: & errore aliquo duci, aut decipi crederetur: at cum in illo amoris æstu absorptus fuisset, nec operationum diuersitatem attendisset, quid mirum postea memoria hallucinari?

## QVARTA DISQVISITIO. An Dionysii Areopagitæ sensu certum sit, dandum amorem mysticum sine cognitione?

RESPONDEO Negatiue. Quod enim habet initio Theologiæ mysticæ verbis recitatis Exercit. 24. ne quidem apparenter excludit operationem intellectus, vt ex commentariis Ambrosii Florentini, Carthusiani, aliorumque liquet, & suo loco producemus. Hortatur enim Timotheum suum vt abstrahat mentem ab omnibus sensibili-

bus,& intelligibilibus, quo puriſſimum habeat Dei conceptum illique arctiſſime coniungatur: interim tamen ſpectaculis myſticis intendat,quod ſine operatione intellectus aliqua non contingit.

Dum autem idem Dionyſius Theologiam Myſticam appellat ἄλογον, καὶ ἄνουν, καὶ μωρὰν σοφίαν, *rationis ac mentis expertem, ſtultamque ſapientiam*,non excludit mentis ac rationis operationes. Sumit enim illum loquendi modum Areopagita à Paulo Apoſtolo, qui 1. ad Corinth. 1. non ſemel ſimili ſenſu ſtultitiam nominat. Verſu 18. verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt: id eſt ſapientia Chriſtianorum ſtulta videtur & irrationabilis ijs,qui illius guſtum non habent. Vnde verſu 23. ait Chriſtum prædicatum eſſe gentibus ſtultitiam: hoc eſt prædicationem fidei, videri Græcis, quos Iudæis opponit eſſe ſcientiam ſtultitiæ plenam,& à recta ratione ac iudicio alienam. An ſic fortaſſe Dionyſius ſapientiam myſticam appellat ſtultam, irrationabilem,amentem illorum exiſtimatione, qui nunquam delitias illas deguſtarunt,& ignorant,quomodo Deus in hac vita cognoſcendus ſit?

An potius, quemadmodum Dionyſius dicit DEVM non videre per myſticum intuitum, eſſe ipſum maxime videre:ita nominat ſapientiam myſticam,amentem ac ſtultam,non priuatiue,ſed negatiue:& quidem non negatione excellentiſſimæ perfectionis, ſed negatione perfectionis alicuius inferioris? Inſinuat hoc S. Thomas ib. lect. 2. Sic enim ſcribit: *Diuina ſapientia laudatur excellenter, ſicut irrationabilis in quantum excedit rationem, & ſicut amens,in quantum excedit mentem; & ſicut ſtulta, in quantum excedit habitum mentis, ſcilicet, ſapientiam humanam.*

Eodem vero loco ſummus Theologus Dionyſius ſtultum Dei interpretatur,id,quod, cum minime humana ratione comprehendi queat,ab imperitis hominibus, aut mundana ſapientia tumidis ſtultum atque abſurdum iudicatur. Verba Dionyſii ſunt recogitatu digna. Non ſolum DEVS præter modum plenus eſt ſapientiæ,& intelligentiæ eius non eſt numerus, verum etiam omnem actionem intelligentiam,ac ſapientiam ſuperat. Quod cum eximie intellexiſſet diuinus vere vir communis noſter ac præceptoris Sol. Quod ſtultum eſt,inquit,Dei ſapientius eſt hominibus,non ſolum, quod omnis humana cogitatio error eſt quidam ſi cum diuinarum, abſolutiſſimarumque intelligentiarum firmitate ſtabilitateque comparetur: ſed etiam,quod eſt in hoc more poſitum Theologis,vt in Deo quæ ſunt, priuationis, contrario ſenſu dicant. Sic & non aſpectabile dicunt ſcripta diuina lumen ſplendidiſſimum, & eum, qui multis laudibus ornandus eſt, multaque nomina habet, inexplicabilem, carentemque

que nomine. Et, qui omnibus præsens est, atque ab omnibus inuenitur, vt ita dicam, incomprehensibilem, & inuestigabilem. Hoc igitur modo etiam nunc diuinus Apostolus stultitiam Dei laudare dicitur, dum id, quod in ea rationi contrarium, & absurdum videtur, ad veritatem, quæ exprimi verbis non potest, omnique ratione est antiquior refert.

## QVINTA DISQVISITIO. An Patrum aliorum sensu probetur mysticorum sententia de amore sine cognitione præuia, aut comitante?

RESPOND. Negatiue. Nam Patres, etiam illi, qui posterioribus temporibus de rebus asceticis scripserunt, dum videntur concedere contemplationis quoddam genus absque præuio intellectu, intelligi optime possunt de discursu, & ratiocinatione, quæ etsi non comitetur illud orationis genus tamen non est idcirco absque simplici apprehẽsione. Vnus est in magno spiritualium Magistrorum numero B. Laurentius Iustinianus qui maxime fauere videtur in hoc negocio Mysticis, commode tamen absque illo rigore exponitur. Verba illius sunt libello de disciplina monastica cap. 8.

In isto secundo aduentu, quis sermo, quæ facundia, quodue humanum ingenium capere valet, quanta exuberent dilectionis solatia? Ibi intellectus excluditur, sopitur cogitatio, & solus amor mutuarum delitiarum testis efficitur. Amor loquitur, amor discurrit, amor castissimo contubernio in vno ambos copulat vinculo caritatis, & arcana dilectionis proferuntur verba, quæ non licet homini loqui, eo dulciora, quo affectus est vehementior & amor purior. Tota in hac spirituali, & singulari vnione resoluitur anima dilectione, tota inebriatur, & deficit in se, transiens in dilectum. Nihil est, in quo exterius delectetur, quum intus immensis pascatur bonis. Hoc solo afficitur desiderio vt magis, magisque accendatur amore. Et quamuis tota ardeat caritate, tamen omne, quod sentit parum putat, præ concupiscentia dilectionis. Nempe sic inflammata quendam diuinum, infinitum, æternum induit laudis, & caritatis affectum. Et licet corpore teneatur in terris, desiderio tamen commoratur in cœlis. Semper cupit, si liceat, sic esse, quia, quem quæsiuit, inuenit, quem diligit. dulciter amplectitur, illique copulata est corde quem totis visceribus concupiuit.

Dicit quidem B. Iustinianus intellectum excludi dum anima

in vnione æſtuat, ſed dum verba interuenire concedit, dum loquutionem nominat, dum laudis affectum prædicat non omnem rationis actum negat, & de ſolo intellectu ratiocinante ac diſcurrente illum loqui eſt veriſimile. Nec difficilius eſt aliorum Patrum dicta huc flectere, imo facilius multo, cum non tam aperte Myſticis faueant.

---

# EXERCITATIO XXIX.

## *QVAM PROBABILITER PRO AMORE vnitiuo excluſa cognitione recentiores quidam diſputent.*

EGimus hactenus auctoritate multorum & rationibus quibus probari videtur actum voluntatis, operationem intellectus aut præuiam, aut comitantem requirere. Sed ijs non ita mouentur quidam ex recentioribus Myſticorum patroni, vt à præconcepta opinione recedant, &

PRIMO quidem dicunt, ſicut viris ſpiritualibus non licet Scholaſticos Doctores deſpicere; ita nec licere Doctoribus Scholaſticis viros contemplationis dono cumulatos in hac parte contemnere, ſed patienter audire, & eorum dicta non ſtatim animo obdurato damnare.

SECVNDO aſſerunt, viros ſpirituales conſtanter adfirmare ſe interdum ſine præuia cognitione amorem habere, & voluntatem ſuam immediate à Deo ſine vllo actu intellectus ad amandum excitari, & hoc ſe per experientiam didiciſſe. An tutum eſt, Scholaſticis ob rationes Philoſophicas ſanctarum animarum experientias videre, & eas in hoc deceptas affirmare?

TERTIO, experientiam Myſticorum veneratione digniſſimam ex duobus confirmant. Alterum eſt, quod multi horum, qui ſe experiri amorem ſine cognitione adfirmant, ſint viri ſapientiſſimi, & in Scholaſtica etiam doctrina peritiſſimi, quales ſunt Bonauentura, Gerſon. & alij, qui & rationes Philoſophicas viderunt, & tamen præ ſuo experimento eas nihili reputarunt.

Nec ſatis eſt dicere Doctores iſtos per experientiam non loqui, ſed quæ ab alijs bonis viris & indoctis audierant, in medium protuliſſe, nam ſi hoc dicatur, reſponderi poterit, non omnes fuiſſe indoctos nec

nec deesse in doctrina eximios, qui se amorem sine cognitione expertos aiunt.

Ego, inquit, Iacobus Aluarez Pazius lib. 4. de oratione, capit. 8. noui aliquem in rebus philosophicis bene versatum, & donis diuinis ac vitæ puritate nimis excultum, qui amorem sæpe sibi inesse absq; vlla cognitione, non minus euidens, quam lucem meridianam putabat. Addit, hos eximiæ notæ Mysticos, discrimen inter cogitationẽ, & intellectionem, inter appetitionem, ac volitionem, clarissime cognoscere, adeo, vt quendam eorum audirem dicentem, se non minus euidenter differentiam intellectionis & cogitationis aduertere, quã manus, & pedis, & per species infusas, vel per commixtionem adquisitarum, vel, vt Deus scit, se absque vlla cogitatione & vsu phantasmatum purissimæ Dei contemplationi vacare. Tanta hi assequuntur experimento de natura, & qualitate interiorum actuum, quanta nullus Philosophus, tametsi in Scholis nimis exercitatus adipiscitur. Et ea in se vident fieri admiranda, & quasi manibus contrectant, quæ inexperti delitamenta putant, quoniam aliquid habent eorum, de quibus scriptum est: Quæcumq; quidem ignorant, blasphemant. Quos tamen si quidem in alijs non sequuntur, neque in hoc incredulitatis vitio deberent imitari.

Illi ergo spirituales viri, vt loquitur idem Aluarez, tam indagatores, seu inspectores actuum interiorum, absque vlla trepidatione asserunt, se per experientiam scire, quia DEVM interdum diligunt absque vlla cognitione quæ amorem præcedat, aut comitetur, Deo voluntatis apicem immediate tangente, & sibi per amorem ardentissimum copulante. Quemadmodum enim, dum quis corpore amicum complectitur, quo arctius illum brachijs adstringit, eo illum minus videt: ita hic suauissimus amoris amplexus, quo anima in brachia Domini incidit, & ipsum tenet, tam arctus, & intimus esse solet, vt visum quoque interiorem impediat, & functionem intellectus excludat.

Aliquando etiam homine negocijs distracto, DEVS eius voluntatem suauissime trahit, & secum vnit, & intellectum distractum relinquit: postea vero paullatim, quasi intellectum vocat, & à rebus creatis auulsum sui contemplatione cibat.

Obijciunt Scholastici. Qui dicunt se habere illam experientiam, nihil agnoscunt. Experientia autem non est absque memoria & cognitione.

RESPONDENT Mystici, opus se tenere, modum nescire: multa autem in nobis præter modum consuetum fieri, quæ videntur repu-

*Gregor. ho. 26. in Euã.* gnare. Vnde rebus mirabilibus, vt Gregorius ait, fidem præbeant facta mirabiliora. Nos aliquando de absentia Domini supra modum tristamur, & simul de illo ipso dolore impense gaudemus, adeo, vt non sit lætitia maior, nec dolor acerbior. Nos mori desideramus, & esse cum Christo, & simul mortem horremus, & coram illo apparere pertimescimus. Nos musto S. Spiritus pleni oppositos effectus vno & eodem momento sentimus, & quomodo illa fiant prorsus ignoramus. Ita amor sine cognitione nobis patet, modus fugit.

Adiungit in gratiam Mysticorum Aluarez. Dicat Philosophus: Quomodo experiatur se non videre, cum non videt. Respondebit, se communi sensu, aut certe ipso intellectu, qui çarentiam illam visionis aduertit experientiam illam habere.

Dicat iterum Philosophus, quomodo intelligat se non intelligere, cum non intelligit? Et, quomodo huius quod est non intellexisse se aliquid, experientiam habeat, quandoquidem experientia non est sine memoria & cognitione. Respondebit, ipso intellectu, qui cum sit spiritualis vis in seipsum reflectitur, & quodam actu animaduertit se cognitione caruisse. Eodem prorsus modo Mystici, cum amant, & non cognoscunt, elapso iam tempore illius suspensionis, voluntatem amasse, & intellectum non cognouisse animaduertunt.

Annon post somnum vnusquisque se quieuisse, & obdormiuisse, & nihil agnouisse cognoscit? Ita anima postquam mystico somno sopotata est, & in sinu Domini conquieuit, quasi expergefacta, & sibi reddita, se quieuisse, & ardentissime dilexisse, nihil autem cognouisse animaduertit.

Instat Philosophus. Quid amabus, si nihil amabile intelligebas? Respondet Mysticus, illud summum, & æternum bonum amabam, quod multo tempore meditatione quæsiueram; quod contemplatione perspexeram, quod paullo ante spiritualem illum summum agnoscebam. Et quemadmodum, qui gemmam aliquam preciosam videre & possidere cupiebat cum sit, donatur, principio quidem oculis gaudenter aspicit, postea vero oculis parcit, & in sinu non videndam, sed possidendam abscondit. Ita anima illum pulchrum, & bonum Dominum; quem suspirauerat, prius contemplatione aspicit, postea vero, quasi oculos mentis claudit, & brachiis dilectionis adstringit.

At difficultatem parit, quod Augustino auctore, impossibile sit, voluntatem ferri in incognitum. *Aug. lib. 8. de Trin. c. 4 & li 10. cap. 1.*

Respondet pro Mysticis Aluarez. Quamuis hoc concedatur, tamen non esse impossibile, quod amore feratur in proxime cogni-

tum,

tum, satisque perspectum. DEVS autem ab his, qui hoc donum accipiunt, per donum sapientiæ cognoscitur, sed exardescente amore, & adhuc durante, actus ille sapientiæ consopitur.

Explicatur hoc simili, quod in doctrina Scholastica ab omnibus pene recipitur. Cum de Sacramentorum efficientia agitur, docetur, caussas efficientes non existentes agere, si immediate præcesserint. Sic itaq; bonum cognitum allicere potest ad amandum voluntatem, licet cum amore non sit cognitio, modo proxime amorem præcedat. Nam, non est maior dependentia amoris, à bono actualiter cognito, quam efficientiæ alicuius effectus à caussa existente, vt productionis gratia in Baptisma à prolatione verborum. Si a. hæc à verbis, quę iã non sunt, physice, ac efficiẽter procedit, quia sufficit verba proxime præcessisse: poterit etiam amor prodire à cognitione, quæ proxime amorem antecedit.

DICES: Caussam efficientem in sacramentis agere statim in momento, seu instanti immediate sequenti: amorem autem durare longo tempore post cognitionem, sine cognitione, vt Mystici asserunt.

Respondetur pro Mysticis. Amorem illum Dei esse etiam in instanti proximo cognitionis simul totum secundum durationem propriam, quæ est indiuisibilis, quamuis coexistat nostro tempori, sicque videatur habere successionem. Adde, quod non existit, siue non existat post annum, siue immediate postquam extitit æque esse inefficax ad operandum.

Fatentur quidem Mystici diuerso modo concurrere caussam efficientem ad effectum, & bonum cognitum ad amorem: sed non putant hoc impedire, quo minus dicatur vt est possibile causam efficere quidpiam dum non est ita cognitionem boni, quæ transiit, sufficere ad voluntatis amorem. Itaque

QVARTO asserunt: Esse quidem naturale voluntati, amore ferri in bonum actu cognitum: posse tamen supra naturam sine cognitione in amore persistere.

QVINTO. Non esse in potestate hominis, quoties voluerit, in incognitum amore ferri: quoniam hoc non est naturale. Sic etiam non possumus absq; vlla cogitatione peccare.

SEXTO. Posse Mysticum, amando DEVM non actualiter cognitum, mereri: quia hic amor libere cæpit, & saltem in causa liber est, quod sufficit, vt qui illum habuerit mereatur.

Sed vrgent Scholastici. Amor ille absq; cognitione non potest perti-

pertinere ad illius perfectionem, aut intensionem, ideoq; non est in Beatis: nec fuit in Christo aut B. Virgine.

Respondent Mysticorum patroni. Quod amor aliquando contingat absque cognitione, id non tam prouenire ex perfectione amoris, quam imbecillitate, ac imperfectione naturæ humanæ. Sicut enim in contemplatione lux intellectus adeo solet augeri à Domino, vt homo ecstasim patiatur, & sopiatur sensus: ita in eadem ad illum gradum solet venire amor, vt sopiatur intellectus. Amor ergo magnus est, qui de Deo cognitionem abijcit: sed non ob eam causam solam, quia magnus, eam abijcit, sed quia imbecillitas animæ cum illo nimio amore cognitionem non sustinet. Quocirca in anima magis exercitata dabitur idem amor, aut etiam ardentior, qui cognitionem non excludat. Sicut ergo lux contemplationis maxima in Christo, & Deipara, nunquam extasim, aut raptum fecit, ob maximam capacitatem illarum animarum supernaturalem; quo fiebat, vt possent Deũ sublimissime contemplari, & simul rebus humanis, causa nostræ salutis intendere: & tamen in immensum minor lux in aliquo homine sancto extasim facit, ac raptum, quia illius minor capacitas illam lucem, & vsum sensuum non admittit: Ita eximius & ardentissimus quidam amor in quibusdam animabus ad maiora dona præparatis cognitionem intellectus, imo & vsum sensuum admittet: in aliis vero capacitatis minoris, nec vsum sensuum, nec functionem intellectus sustinebit.

At enim, multos mouet auctoritas Doctorum, qui in mysticis contemplationibus non minus, quam Scholasticis subtilitatibus eximij, impossibile esse asseruerunt, voluntatis esse amorem absque cognitione intellectus. Nominatim S. Thomas P. S. quæst. 9. art. 1. Post acrem autem disputationem hæret ambiguus Dionysius Carthusianus, Doctor vere exstaticus, libr. 111. de contemp. art. 15.

Respondent Mystici, Se non negare, potuisse hos, & alios sapientissimos viros excellere multis partibus eos, qui hunc amorem sine cognitione experientia probare se adfirmant, tamen caruisse hoc dono, quod est plane gratuitum: sicque naturalem sequutos rationem adfirmasse, id esse impossibile. Et quidem, S. Thomam videri loquutum de communi ac naturali modo amandi. Denique

Septimo adfirmant: Bifariam posse hunc amorem contingere. Primo, vt à Dei cognitione, saltem simplicissima inchoetur, & postea feruore crescente, actus intellectus omnino abijciatur, ac penitus consopiatur, sicq; anima solo amore Dei occupetur. Qui modus minorem habet difficultatem.

Secun-

Secundo, vt affectus ipse quasi repente, & improuise à Deo, & in Deo valde ac mirabiliter incalescat, ferueat, æstuet, ita vt nulla cognitio, nec Dei apprehensio præcessisse sentiatur, cum hoc interdum fiat mente distracta.

Sed fortasse, vt monet Aluarez, cum hac inflammatione affectus, est pariter aliqua quamuis subtilissima irradiatio intellectus, quæ ob amoris vehementiam non percipiatur. Vel, si hæc non intercedit, fortasse minor est dependentia voluntatis à cognitione intellectus in amando, quam Scholastici Doctores existiment: potestque Deus extrinsecam boni propositionem ab intellectu prouenientem supplere. Quod si fiat, ideo Deo indulgente contingit, vt tota fidelis anima pro illo tempore solo amore absorbeatur & omnis eius conatus in solo amore collocetur, vt per hanc insipientem sapientiam, qua solum amare nouit maiorem adhuc intellectus sapientiam, & sublimius lumen adquirat, vt propter amatum omnibus renunciet, non solum externis occupationibus, sed etiam internis functionibus, & quasi virgula odoris suauissimi solo igne amoris resoluta conscendat.

---

# EXERCITATIO XXX.

## *SOMNVS MYSTICVS.*

SOMNVS duplex est, proprius & metaphoricus: corporalis, & spiritualis. de proprio aut corporali hic non agitur: neque omnis spiritualis est ille Mysticorum, quem illi in Vnione accidere volunt, & contemplationis gradum faciunt. Est itaque

### PRIMA DISQVISITIO. An somnus mysticus distinguatur ab amore vnitiuo excludente intellectu operationem?

RESPONDEO. Mysticos, qui amorem istiusmodi propugnant ab illo non distinguere perfectum somnum mysticum: vt definiri possit amor tam vehemens ac efficax, vt anima tota absorpta soli dilectioni vacet, operatione omni intellectus exclusa. Ita Somnum mysticum accepisse videtur Richardus, qui de hoc ipso differens: *Cogita,* Rich. Ps. 4.

 inquit,

inquit, *quid faciat somnus exterior circa hominem exteriorem, hoc facit somnus istiusmodi circa hominem interiorem. Somnus corporeus exuperat sensum corporeum; aufert enim officium oculorum, officium aurium, ceterorumque sensuum, atque membrorum. Sicut autem per somnum exteriorem sopiuntur omnes sensus corporis: sic per hunc, de quo loquimur, interioris hominis somnum exuperantur omnes sensus mentis. Simul enim absorbet cogitationem, imaginationem, rationē, memoriam, intelligentiam, vt constet, quod Apostolus scribit,* Quod exuperat omnem sensum. *Huiusmodi somnum anima inter veri sponsi amplexus capit, cum in eius sinu requiescit.*

Est igitur secundum Richardum, Somnus mysticus. Quies animæ, quæ in complexu sponsi amando capitur rationis, & intelligentiæ actum excludens.

DICES. Quid si non admittatur hæc amoris puritas absq; cognitione?

RESPONDEO: Tunc somnum dici debere illum amoris gradum, qui præ feruore, ac vehementia sua intellectus operationem adeo reddit subtilem, ac simplicem, vt contemplatiua anima illam non aduertat.

QVÆRES. Quomodo distinguatur Somnus hic à Silentio Mystico?

RESPONDEO: Discrimen adsignari, quod silentium pertineat ad intellectum, quiescentem in simplici intellectus intuitione, vel aspectu, reliqua autem intelligibilia, quantumuis excellentia repudiantem somnus autem spectet ad adfectum intelligentiam sopientem, vt amor magis dominetur.

## SECVNDA DISQVISITIO. An præter hunc somnum, quem perfectum diximus, sit alius in Schola Mystica minus perfectus.

Processu 7. cap. 14. RESPONDEO, Adfirmate. Eius vim, proprietatesque explicat S. Bonauentura opusculo, de processu Religionis capit. 14. quod est de speciebus orationis. *Virtutis*, inquit, *adfectus, & sapientiæ gustus, & diuinæ suauitatis fructus dulcis, & venerabilis conscientiam lætificat, assecurat, & magnificat. Sed tamen, si sponsi amplexibus omnino deuota inhianter inhæret, incipit inter eius brachia aliquo modo consopiri, sicut potatus nobili vino in soporem resoluitur, vt non solum delectabiliter, sed & tenaciter Deo inhæreat, & quasi vino quodam abstrahatur ab omni visibilium sensu & memoria: Sic tamen temperate, vt nec plene sui met oblita, nec tamen vere compos sit sui, iuxta illud*

*illud Psalmi:* Si dormiatis inter medios cleros: *id est, inter medios terminos mundi & cæli: item illud Canticorum:* Ego dormio, & cor meum vigilat. Psal. 68. Cant. 5.

*Est enim talis iste Somnus, sicut illorum, qui incipiunt dormitare, & tamen videtur sibi, ea quæ circa se fiunt aliquo modo sentire, & intelligere, sed præ sopore non aduertunt, nisi velint vim sibi facere, vt ad se plenius reuertantur. Amor enim Dei cum pura intelligentia cognitus inebriat mentem, & ab exterioribus abstractam suauitate Deo conglutinat, & coniungit. Et quanto amor vehementior, & intelligentia lucidior, tanto validius in se mentem rapit, quousque tandem omnium, quæ sub Deo sunt plane oblita in solo diuinæ contemplationis radio libere figatur, licet breuiter, quasi in quodam corusco luminis cælitus emicantis, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sensus enim hominis per se pauca potest, & vix tenuiter cogitare: subleuatus autem adflatu superni luminis, tanto plura inde intuetur, quanto supra se sublimius eleuatur.*

His verbis docet Bonauentura, somnum esse, medium quid inter soporem perfectum, ac vigiliam quod experiuntur, qui, vt ille aiebat,

*Soporinas imagines*
*Affantur, dum vmbrantur somno pupulæ.*

Et hic Somnus est initium aliquod ecstasis, qua anima dum contemplatione diuina suspenditur, ita hominem afficit, vt sensuum officiis destitui videatur, eo modo quo semisopiti solent.

## TERTIA DISQVISITIO. Quæ sit somni mystici causa?

RESPOND. Esse ebrietatem spiritualem. Ita S. Bonauentura verbis recitatis. Contemplans enim sicut potatus nobili vino in soporem resoluitur. Inebriatur anima in caligine contemplationi vacans ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis potatur à Deo. Tract 34. in Ioan. Quale autem vinum est, exclamat Augustinus, vnde inebriari laudabile est? Quale vinum est, quod non turbat, sed dirigit mẽtem? Quale vinum est quod facit perpetuo sanum, non inebriando facit insanum. Hoc vino largiter potata anima somnum capit, quo suauiter mundo ac sensualitati dormit, licet vigilantissime Deo diuinisque vacet.

Somni huius mystici frequens est in diuinis litteris mentio, maxime, vbi de sponsæ delitijs agitur. De hoc Somno gloriatam fuisse reor dilectam Canticorum 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Vbi, Cant 5. 2.

vt notat Nyssenus ebrietatem somnus excipit. Quod animæ contemplatricі Iustus Canticorum Interpres accommodat, & hanc simul vocem: Ego à temporalibus delectationibus, consopitis quodammodo sensibus, conquiesco, sed futura desidero, æternaque conquiro. Sic dormio, sic vigilo.

Rup. li. 5. Rupertus eadem non male Mariæ Virgini accommodat, quam post ascensionem Christi in cælum auidissime complexam scribit studium contemplationis, iussam à filio redire ad curam mulierum, quæ conuertebantur. Multas quidem animas in contemplatione mystica dormiuisse, & vigilasse, sed Deiparam huius dormitionis obtinuisse totum magisterium, & vigiliarum cordis totum tenuisse principatum.

Addit, ad hunc somnum vigilantem, & vigilem soporem hortari Psalmographum illo carmine: Vacate, & videte, quoniam ego sum DEVS. Hoc fecisse Iacob Patriarcham cum dormiuit in Luza, & in somnis vidit scalam, cui Deus innitebatur. Prædictum quoque id à Iohele de multis: Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Optabat hanc contemplationis auidissimus Rex, vel certo prędicebat sibi non denegandam. *In pace in idipsum dormiam & requiescam:* quod de quieta rerum temporalium obliuione, & diuinarum contemplatione Græci æq; ac Latini Patres intelligunt. Facit autem aliquid ad somnum mysticum illustrandum duplex verbum, quo Propheta vtitur, dormiam, & requiescam. Græce, κοιμηθήσομαι καὶ ὑπνώσω: prius illud vocabulum ex Didymi interpretatione, significat reclinationem postquam somnus aduenit: Hebræum quoq; verbum שכב sciachau, idem valet, quod jacere, & cubare. Vt autem perfectissimus somnus designetur, vtrumque coniungitur: dormire enim quis potest, sed perturbate, ac inquiete; somnus mysticus est quietissimus. Exprimit hoc idem Caietanus alia versione, quæ illi cum felice communis est: *Iacebo, & dormiam*, notatque: *iacere*, absque dormitione inquietudinis esse, *dormire* absque cubitu, solicitudinis. Vtrumque abest à somno mystico, cui quies adiuncta & secura tranquillitas.

(Marginal references: Ps. 45. 11. — Gen. 28. 11. — Iohel. 11. 28)

Pressus erat huiusmodi somno primus parens, de quo Genesis 11. 21. *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius.* Quod Interpres Latinus vertit *soporem*, Hebraice est תרדמה, & significat grauem, ac profundum somnum. Symmachus καρὸν interpretatur, LXX[ta] ἔκστασιν. Fuisse somnum mysticum non dubitat S. Augustinus lib 9. de Genes. ad litter. capit. vlt. vbi: *Illa* inquit, Ecstasis *quam* DEVS *immisit Adam, vt soporatus obdormiret, recte intelligitur*

*gitur ad hoc immissa, vt ipsius mens per Ecstasim particeps fieret, tanquam Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium* DEI, *intelligeret nouissima.* Ab Augustino non dissentit S. Thomas, qui quæstione 18. de verit. articul. 2. docet Adamum conformatum fuisse Angelo in cognitione contemplationis per gratiam: Gregorius quoque libr. 4. Dialogor. capit. 1. Adamum dicit beatorum Angelorum spiritibus cordis munditia, & celsitudine visionis interfuisse: Quorum auctoritate ducti in primo volumine Theologico libr. III. Comment. II. Exercit. II. docuimus Adamum soporatum, fuisse in supremo contemplationis gradu, qui somnum mysticum requirit.

Quo verisimile est DEVM recreasse carissimum sibi Iacobum Patriarcham, quem narrat sacer Scriptor venisse ad quendam locũ, & cum vellet in eo requiescere post Solis occubitum, tulisse de lapidibus, qui iacebant, quibus capiti suppositis dormiuisse in eodem loco: tunc autem vidisse in somnis scalam stantem super terram cuius cacumen cælos tangebat: angelos quoq; Dei ascendentes, & descendentes per eam. Quæ omnia egregie ad somnum mysticum accommodat Aluarez: vt velle quiescere sit ad mentem redire, & sanctitatis viam velle sectari: capiti vero ad quiescendum lapidem supponere, sit in pugna cum vitiis, & in adeptione virtutum Christi subniti. Post hęc sequitur dormitio, aut somnus, in quo obliuiscitur contemplator omnium visibilium, & proponitur illi cognoscenda scala virtutum, quæ à terra incipit: à despicientia nimirum propriæ voluntatis ac vilitatis, & in cælum desinit in amorem caritatis. *Aspicit Angelos instinctuum diuinorum, quosdam quidem ascendentes, & docentes illum ad* DEVM *per omnem sanctitatis viam ascendere, alios vero descendentes, ac docentes illum per compassionem ad fratres descendere. Videt denique Dominum innixum scalæ, vt sciat, à quo debeat auxilium ad ascendendum, & descendendum expectare.*

Gen. 28 11.

Tom. III. li. 5. cap. 7.

Porro, vniuerse licet somnum metaphoricum quadruplicem facere, vt Primus sit culpæ. Quisquis enim in peccatum incidit, dormit: soporatur, qui consuetudinem contrahit: exurgit, quem pænitet. Somno peccati correptus, sensuum interiorum vsum amittit, multa somniat: vanitatem somniorum suorum excitatus deprehẽdit. Dormierunt somnum suum inquit Psaltes, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. & vacua est anima eorum. Qui peccati somno detinetur, maxime si consuetudinis lethargus accedat, nec clamoribus concionatorum, nec punctionibus flagellorum excitatur; sed est sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator

*Quadruplex somnus.*

Ps. 75. 6. Isa. 29. 8.

Prou. 23. 34. 35. amisso clauo, Prouerbiorum 23. & dicere vere potest : *Verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me, & ego non sensi.*

Secundus somnus fit socordiæ, natus ex tædio rerum cælestium, ac spiritualium. Hic autem impedit mentem ne diuina contempletur: ne quæ amanda ad salutem, diligat: ne in via consiliorum diuinorum sanctarumque exercitationum procurrat, & efferuescat. Hoc somno etiam boni aliquando corripiuntur: audi Dauidem: *Dormitauit anima mea præ tædio, cōfirma me in verbis tuis.* Quib. petit Rex optimus somnum repelli, & excuti tædium, quod obrepere solet spiritualibus rebus vacanti, ob molestiam laboremque, quæ est in contemplationis continuatione. Somnus homini infestus, qui animam dormitare facit. Sed tantum valet pigritia. Nam, *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.*

Ps. 118. 28.

Prou. 19. 25

Præclare Bernardus: Sunt, qui in studijs spiritualibus fatigati, & versi in torporem, atque in defectu quodam Spiritus positi, ambulant tristes vias Domini corde tædente, & arente accedunt, ad quæque iniuncta frequenter murmurant, longos dies, longas conqueruntur & noctes loquentes cum S^to Iob, *Si dormiero, dicam, quando cōsurgam, & rursus expectabo vesperam.* Ergo vbi contingit tale aliquid pati, si misertus Dominus appropiet nobis in via, qua ambulamus, & incipiat loqui de cœlo, qui de cœlo est, nec non fauorabile quidpiam cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de ciuitate Dei, de pace ciuitatis, de æternitate pacis, de statu æternitatis, dico vobis, erit pro vehiculo animæ dormitanti & pigritanti læta narratio, ita, vt pellat omne fastidium ab animo audientis, & à corpore fatigationem. An tibi aliud vel pati, vel petere, ille videtur, qui ait: Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis: & nonne cum obtinuerit, clamabit. Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est. Nimirum, vt recte monet Anastasius, Spiritus tristitiæ, & tædij, qui ad dormitationem prouocat, attenta consideratione diuinorum expellitur.

Ber. serm. 21. in Cāt.

Iob. 7. 4.

Tract. de Pass. ca. 9. Legendus de hoc Somno Auctor tractatus de Passione Domini apud Bernardum, qui docet eo Religiosos maxime vexati: eoque fieri, vt absque vlla alacritate officia contemplantium peragant, & torpor incutiatur eorum animo: exercitia autem spiritualia omnia quasi insipida videantur, & in graue tædium conuertantur: adeo, vt nec orare, nec legere, nec meditari, nec aliud Opus bonum libeat exercere: agitque de eodem Cassianus libr. 10. Institut. monast. capit. 4.

Ter-

Tertius somnus fit gratiæ, qui dicitur Mysticus, de quo actum. *Act 5.39.*

Quartus gloriæ, quo obdormit iustus in Domino. D. Gregorius lib. 5. Moral. capit. 22. triplicem somnum ex SS^ra elicit. Aliquando enim somnus mors carnis, aliquando torpor negligentiæ, aliquando vero exprimitur, calcatis terrenis desideriis, quies vitæ. Somni namque vel dormitionis nomine carnis mors intimatur, sicut Paulus ait, Nolo vos ignorare, fratres de dormientib. & paullo post: Ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. *1. Thes. 4.*

Somno rursum torpor negligentiæ designatur, sicut ab eodem Paulo dicitur. Hora est iam nos de somno surgere. Et rursum: Euigilate iusti, & nolite peccare. *Rom. 13.* *1. Cor. 15.*

Somno quoque calcatis carnis desideriis vitæ quies figuratur, sicut sponsæ voce in Canticis Canticorum dicitur. Ego dormio, & cor meum vigilat: quia videlicet, sancta mens, quo se à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit, & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietitudine occultat.

Quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit, & obdormiuit: à terra scalam cœlo inhærentem, innixum scalæ Deum, ascendentes quoque & descendentes Angelos vidit. In itinere quippe dormire est, in hoc præsentis vitæ transitu à rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire, est, in dierum labentium cursu ab appetitu visibilium mentis oculos claudere, quos primus seductor hominibus aperuit, qui dixit, scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Vnde & paulo post subditur: Tulit de fructu illius, & comedit, & aperti sunt oculi amborum. Culpa quippe oculos concupiscentiæ aperuit, quos innocentiæ clausos tenebat. Angelos vero ascendentes, & descendentes cernere, est ciues supernæ patriæ contemplari, vel quanto amore auctori suo semetipsos transcendendo inhæreant, vel quanta compassione caritatis nostræ infirmitatibus condescendant. *Gen. 3.*

Et notandum est valde, quod ille dormiens Angelos conspicit, qui in lapide caput ponit: quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans interna penetrat, qui intenta mente, quæ principale est hominis imitationem sui Redemptoris obseruat: caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhærere. Qui enim à præsentis vitæ actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt: Sed videre Angelos nequaquam possunt, qui caput in lapide

tene-

tenere contemnunt. Sunt namque nonnulli, qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum torpore, non studio dormiunt, & idcirco interna non conspiciunt, quia caput non in lapide sed in terra posuerunt. Quibus plerumque contingit, vt quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundæ in se cogitationis strepitum per ocium congerant.

Thren.III. Vnde & sub Iudææ specie per Prophetam torpens ocio anima defletur, cum dicitur: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha eius. Præcepto enim legis ab exteriori opere in sabbatho cessatur. Hostes ergo sabbata videntes irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis ocia ad cogitationes illicitas pertrahunt, vt vnaquæque reproba anima, quo remota ab externis actionibus seruire Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. Sancti autem viri, qui à mundi operibus non torpore, sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt, quam vigilare potuerunt, quia in eo, quod actiones huius seculi deserentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne subiecta ocio ad desideria immunda frigescat, ne ipsis bonis desideriis plus iusto inferueat, ne sub dicretionis specie sibimet parcendo à perfectione languescat. Hæc de triplici somno Gregorius: qui non minus accurate disputat de vigilia cordis lib. 22. Moral. cap. 21. Quibus adde ex recentioribus Benedictum Pererium apud quem variam de somno tropologiam reperies secundum multiplicem illius in SS. acceptionem. Perer. ca. 13 ad Rom.

## QVARTA DISQVISITIO. Cur & à quibus vetatur excitari à somno mystico anima contemplatrix?

RESPONSVM ad hoc quæsitum sumatur ex Canticor. II. vbi adiurat sponsus Filias Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitent, neque euigilare faciant dilectam, quoadusque ipsa velit. Nimirum, iacebat sponsa victa sopore inter Dilecti brachia: eam sponsus reclinat in lectulum, vt commentatur Honorius, & comitibus ac pedissequis silentium imperat, aptissima adiurans illas obtestatione, per dilectissimas capreas, ceruosque. Hæc si ad Ecclesiam generatim referas, dices illam dulcedine contemplationis absorptam, ceterarum rerum curam omnem abiecisse, suique immemorem aliquando in solo viuere sponso. Quod hinc dum probatur

tur admodum, adolescentulas, hoc est fideles singulos, præsertim illos qui nondum ad virile robur sunt durati, adurat per capreas, ceruosque camporum: nempe Patriarchas, Prophetas, & Apostolos, quorum ista animalia sunt animatæ imagines ob acumen visus, aliasque proprietates. Nam Patriarchæ acute viderunt nasciturum spōsum: ad quem natum accurrerunt Apostoli tanquam ad fontem aquæ viuæ: omnes autem venatorum mundi expositi fuerunt insidiis, & infidelitatem, deterrimaq; crimina, tāquam venenatos serpentes ex aliorum pectoribus halitu, & aspiratione traxerunt, quod ceruorum est. *Aug in Ps. 41. Greg. li. 30. mor. c. 36. Honor. & Ruper. Cant. 2.*

Sed animæ contemplatiuæ proprias hic delitias expendit Gregorius, cuius hæc est insignis interpretatio. Sancta anima spōsa Christi à cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit, & in sinu sponsi sopitis terrenis cupiditatib. dormire sancto ocio concupiscit: ita vt etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, soliusque sponsi colloquutione, quanto quietius, tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem carnales, qui sunt in Ecclesia nonnunquam importune excitant, negocijs mundi eam implicare desiderant, quia eius vitam inutilem existimant, dum ab eorum curis eam se abstinentem considerant. Hi tales satis congrue non filij, sed filiæ nominantur, quia dum effæminatos mores nutriunt virili dignitate amissa, quales interius habentur, exterius nomine fæmineo designantur. Hi Dilectam suscitare sub adiurationis pondere prohibentur, ne videlicet mentem, quæ ad vacandum Deo se accingit, & solis spiritualibus studijs inhærere concupiscit importurnis solicitationibus inquietent, & tenebris terrenarum curarum oculum cordis eius obnubilent. Et tamen non omnis ei cura proximi interdicitur, sed quando suscitari debeat, eius voluntati relinquitur, quia profecto, omni perfectæ animæ discernendum est, & quando cœlesti contemplationi studeat, & quando proximorum vtilitatibus inseruiat.

Itaque excitationem à somno mystico referendam putat Gregorius in voluntatem contemplantis: sicque exponit illud, *Donec ipsa velit*. At quando tandem vellet? nonne optaret perpetua frui pace & suauissima tranquillitate? an vnquam velit pacem amittere, quæ studet esse pacifica, etiam cum odientibus pacem? Sed velle tamen aliquando censebitur, quę stimulo caritatis se punget, ac cōferet ad occupationes Marthæ. Sensus planissimus est: *donec ipsa velit*: id est, donec somno mystico recreata, qui non dudum soporatam detinere solet, ipsa euigilet.

Notat peculiariter Bernardus adiurationis energiam. Non enim *Serm. 12. in Cant.*

nim simpliciter, inquit, neque leui, vt assolet commotione prohibitæ sunt, sed omnino noua, & insueta contestatione per capreas scilicet ceruosque camporum. Quo quidem genere ferarum videntur mihi satis congruenter expressæ sanctæ animæ exutæ corporibus, simul & qui cum Deo sunt Angeli, nimirum propter acumen visus, & saltus celeritatem. Vtrumque hoc siquidem, vtrisque spiritibus conuenire cognoscimus, nam facile & petunt summa, & intima penetrant. Quorum quoque in campis designata conuersatio euidenter liberos, atque expeditos signat in contemplatione discursus. Quid sibi vult ergo adiuratio facta per istos? Profectò, ne inquietæ adolescentulæ audeant leui ex caussa euocare Dilectam à tam reuerendo collegio, cui absque dubio toties admiscetur, quoties contemplando excedit. Pulcre itaque horum auctoritate terrentur, à quorum societate constat auelli illam ipsarum importunitate.

Accommodat hęc egregie Gulielmus Canticorum Interpres Deiparæ in supremo contemplationis gradu placidissime quiescenti. Eam enim dicit dormiuisse inter medios cleros, id est, fortes: quarum altera dextra fuerit, nimirum, Incarnatio verbi: sinistra alia, nempe, Passio eiusdem. Toto autem tempore, inquit, quod erat inter duos cleros, Incarnationem, & Passionem dormiebat pia Mater dulcissimo somno contemplationis somnians iugiter dilectum, & quidem circa humanitatem eius materna solicitudine pro tempore satagebat. Attamen in diuinitatem eius iugiter intenta contemplatiuæ quietis dulcedine fouebatur, & ita in se circa filium perfecte atque excellenter implebat negocium Marthæ simul & ocium Mariæ. Negociosa erat circa humanitatem filij, ad diuinitatem eius ociosa, sic dormiuit à dextero clero vsque ad sinistrum. Nempe vbi ventum est ad sinistrum clerum, Passionem vnici Filij sequestrata paululum quietē contemplationis pijs se doloribus totam impēdit, & totam se cum eis expendit: impletaque est illa præsagi Simeonis Prophetia. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Verum illi dormienti obstrepebant quædam improbæ animæ, & inquietare conabantur suauiter quiescentem. Has increpat sponsus & adiurat, ne à dulcissimo somno contemplationis excitent Mariam: fore enim aliquando tempus surgendi à suauitate somni, & in commiserationis officia se effundendi. Hunc enim esse contestationis illius sensum. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas camposque ceruorum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis, quodadusque velit.

COM-

# COMMENTATIO.
# ECSTASIS MYSTICA.

## EXERCITATIO I.
## *NOMINIS RATIO.*

### PRIMA DISQVISITIO. Quid nomine Ecstasis apud Sacros profanosq; Auctores significetur?

RESPOND. ECSTASIS, Hebraice תרדמה tardemah, חפז chaphor, העטף hehateph. Latine, stupor, seu mentis emotio, quæ fieri solet ex re aliqua repente oblata, sumitur, pro repentino mentis excessu, siue alienatione à sensibus eorumque vsu. Dicitur ἀπὸ τοῦ ἐξίστασθαι, quod qui hanc patitur, extra seipsum quodammodo constitutus sit. Hinc Ἐκστατικοὶ, Ecstatici, qui Ecstasi correpti sunt: mente commotos diceret Plinius. Dionysius Areopagita, ita vocat abstractionem mẽtis à corpore ad contemplanda diuina, quæ quibusdam ἀναγωγὴ vocatur. Sed plus aliquid in Ecstasi latet.

Ex Galeno in Definitionibus medicis exprimunt Ecstasin per ὀλιγοχρόνιον μανίαν, insaniam non diu perseuerantem. Aliquando idẽ valet, quod abscessus, vel discessus. Sic Plutarchus opusculo de primo frigido, Αἱ τῶν θερμῶν καταψύξεις οὐδεμιᾶς παρουσίᾳ γίνονται δυνάμεως ἀλλ' ἐκστάσει θερμότητος. Calidorum feruor nullius rei accessu, sed caloris recessu refrigescit.

### SECVNDA DISQVISITIO. Quotupliciter accipiatur in Sacra Scriptura Ecstasis?

RESPONDET Philo Hebræus opusc. de legit. diuinar. rerum hered. quadrupliciter, Vnde quadruplex dici potest esse species Ec-

 stasis,

stasis, seu mentis excessus. *Prima*, est insania mentis, vel delirium; quæ oriri potest, vel ex nimio senio, vel ex atrabile, vel alio morbo. Hanc comminans Deus ponit in maledictionum albo, Deuteronomij cap. 28.28. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis.*

*Secundam* generat magnus aliquis, ac inopinatus, & repentinus pauor: qualem expertus scribitur Isaac allata venatione Esau, postquam illi adfuisset Iacob Genes. 27.33. Quod enim habet Latinus Interpres. *Expauit Isaac stupore vehementi:* Græce est, Ἐξέστη Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην: *Raptus est Isaac in ecstasin magnam vehementer.* Dum enim pauet, ac admiratur rapitur in ecstasin, vt exponit S. Augustinus quæst. LXXX^{ma} videtque in ecstasi & raptu, quæ DEVS circa Iacobum, ac Esau decreuerat. Simili formula exprimitur admirabundi Iacobi commotio, dum audiret Iosephum filium viuere in Ægypto, Genesis 45.26. Ἐξέστη τῇ διανοίᾳ, raptus, attonitus, stupens, ecstasi correptus: quod interpres noster similitudine exposuit: *Quasi de graui somno euigilans*: qui enim subito euigilant commota fere sunt mente. Hebraice est: *Cor eius elanguit*: id est, præ lætitia cordis pene deliquium, vt in ecstasi contingit, est passus.

*Tertia* Ecstasis species fit in serena animi bene compositi tranquillitate, cum is feriatus à sensibus in placida ac dulci contemplatione versatur. In hac acceptione sumitur Gen. 11.21 quando DEVS immisit in Adam soporem, ἔκστασιν. Et Actuum 22.17. vbi Paulus de se enunciat, *Factum est reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo fieri me in stupore mentis:* ἐν ἐκστάσει. Hanc experiuntur sæpe diuina versare soliti attentius. Quemadmodum enim somnus mentis est vigilia sensuum, ita & vigilia mentis, est sensuum vacatio, ac ocium.

*Quatra* accidit, cum mens diuino adflatu, ac spiritu corripitur, impleturque. hæc est Prophetici generis: quæ accidit Abrahamo, cui titulus Prophetæ conuenit ex Genesis 27. Vt enim scribitur Genesis 15.12. *Cum Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.* Græce est ἔκστασις. Nimirum, cum totius diei labore fatigatus in somnum incidisset Abram, pauor vehemens horrorq; eum inuasit, quem ecstasis comitata est, aut consequuta.

## TERTIA DISQVISITIO. An Ecstasis idem sit, quod excessus?

RESPOND. Quod Græce est, ἔκστασις, Latine nonnunquam exprimi voce Excessus. Celebris est locus Psalmo 115.2. *Ego dixi in excessu*

*cessu meo.* Quod Hieronymus legit, *In stupore meo:* vetus Psalterium, Augustinus, Prosper retenta voce Græca, *in ecstasi mea: ἐν τῇ ἐκστάσει μου.* Eadem fuit Psalmo 30. 23. vbi tamen addit Latinus Interpres, *mentis meæ. Ego dixi in excessu mentis meæ.* Vtrobique verbum est Hebraicum cum præpositione, & pro nomine paragogico בחפזי *bechopzi:* quod nunquam se legisse asserit Lorinus pro mentis alienatione, aut excessu diuino, qui voce Ecstasis exprimitur: ideoque litterali sensu in neutro loco talem ecstasin significari, sed fugam, cum Absolon instaret: quocirca vertunt alij infestinatione, in præcipitatione, in præcipiti fuga mea: in trepidatione, & pauore meo.

Patres tamen & nominatim Augustinus referunt illum excessum, ad contemplantis Dauidis abstractionem à sensibus: quamuis in Psalm. 15. pauorem interpretetur, quem comminantibus aduersarijs vrgentibusque persequutionibus humana infirmitas patitur. Gregorius autem etiam per Excessum intelligit mentis in Deum eleuationem, & à sensibus alienationem. Quam interpretationem secundum sensum mysticum admitti posse concedunt accurati huius temporis Interpretes. *Aug. in ps. 37. & Tit. psalmi 30.* *Li. 18. mor. ca. 10. li. 23. ca 13. ho. 5. in Ezech.*

Apud Lucam vero cap. 9. 31. Excessus de quo loquutum Euangelista Christum dicit in trãsfiguratione, dicitur græce ἔξοδος, exitus, seu discessio ex hac vita, non significat amoris excellentiam, licet illo tunc maxime Christus flagrauerit.

Non omittendum, quod ex dictis etiam colligitur, nomen ἔκστασις, præter vsitatam significationem habere satis frequentem pro timore, pauoreque maximo, qui vulgo excessiuus dici solet, & tantus est, vt possit hominem extra seipsum excedere facere. Constat id ex Marci 5. 42. & 16. 8. Luc. 5. 26. & Actuum 111. 10. Et quidem ille τρόμος coniungit tremorem, alter θάμβος, stuporem. Notat etiam Suidas, ἔκστασιν nonnunquam idem esse, quod θάμβον, & θαμβασμόν.

Reprehenditur Tertullianus, qui lib. de anima cap. 21. de Adamo disputans, eius ἔκστασιν vocat *Amentiam*, quod mitigat capit. 45. dicens, *quasi amentiam:* An propter visiones imaginum, quæ somno coniunctæ sunt? certe fere semper vanæ rerum imagines ac amẽtes somniantibus se offerunt, ac interdum, pene ad delirium cogunt. Non tamen idcirco LXX[ta] primi parentis soporem, ἔκστασιν nominarunt: sed, vt insinuaretur, sopori illius coniunctam fuisse, mentis supra se eleuationem, prophetico illustratam lumine, quod monet Epiphanius hæresi 85. Ita vt Adamus soporatus quidem fuerit: mens tamen illius à corporis sensuumque functionibus soluta, & diuinitus illustrata, viderit costam sibi eximi, & corpus suppleri, atq; ex costa mulierem

lierem formari, intelligeretque magnum eo facto mysterium contineri.

## QVARTA DISQVISITIO. An & in bonam, & in malam partem accipiatur Ecstasis.

RESPOND. Adfirmate. Liquet ex dictis. & obseruatum est à Tertulliano, qui lib. de anima, *hoc*, inquit, *operatur de suo proprio, vt sic nobis sapientiæ imagines inserat, quemadmodum & erroris*. Quare non erat,
Tom. III. quod auctorem libri de spiritu & anima, qui est apud Augustinum, coargueret Petrus Oliuerius lib. de Prophetis cap. de lemmate, quasi perperam scripserit Ioannem scripsisse apocalypsim in ecstasi.

---

# EXERCITATIO II.

## *DE MVLTIPLICI ECSTASIS ratione.*

S Thomas quæst. 13. de veritate art. 2. videtur ecstasin facere duplicem, Perfectam, & Imperfectam. Imperfectã voco, quæ est secundũ intentionem duntaxat: quando nimirum quis exterioribus sensib. & rebus vtitur quidem, sed tota eius intentio diuinis inspiciendis, & diligendis vacat. Atque de hac interpretantur, quod habet Dionysius capit. 4. de nomin. diuinis: *Diuinus amor ecstasin facit*. Perfecta est, *cum aliquis etiam actu ab vsu sensuum, & sensibilium rerum abstrahitur, ad aliqua supernaturaliter videnda: idque vel per abstractionem à sensibus externis ad imaginariam visionem: vel ab imaginatione quoque ad intellectualem: & hoc iterum, aut per intelligibiles immissiones, aut secundum quod intellectus videt* DEVM *per essentiam*. Iuxta hæc distinguit Ecstases, raptusque Pauli, Petri, & Ioannis: ita vt Pauli fuerit perfectissimus, vsque ad essentiæ diuinæ claram visionem. Quod, quam vere dicatur fuse disputamus volumine primo Theologico. Petrum autem, de quo scribitur Actuum. 10. 10. *Cecidit super eum mentis excessus*, ecstasin passum, quæ est cum abstractione à sensibus externis, sed cum imaginaria visione. Idemq; censet de Ioanne.

Iam v. variæ sunt Ecstasis descriptiones, quarum singulæ aliquid
Prælud. 8. complectuntur, quod in naturæ illius notitiam ducit. Antonius Ferdinan-

dinandius opere de visionibus veteris Testam. definitionem sic format: *Ecstasis est dormitio quadam vigilans, seu vigilia dormiens*: qua videlicet anima à sensibus abstracta, diuinaque sentiens, & dormire videatur mundo, & vigilare Deo, rapta nimirum ad amandũ, vel ad auscultandum. Sumitur ex Canticorum 5. 2. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Vbi describi ecstasin amoris existimat Legionensis, in qua mens ita dulciter quiescit, vt dormire: ita certe, ac prudenter diuina agitat, vt plane vigilare videatur. Quo fit, vt sensus in amoris excessu noctem quietissimam, & mens diem agat serenissimam. Insinuat idem S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 22. docens sanctos viros, qui non corpore, sed virtute sopiuntur laboriosius dormire, quam vigilare: quoniam ab huius mundi inquieta concupiscentia penitus subtrahuntur, ac dũ terrenarum actionum strepitum deserunt per quietis studium, eorum mens virtutibus intenta vigilans dormit. Sed hac descriptione Ecstasis à somno mystico non discernitur.

S. Bonauentura tract. de contemplationis gradibus: *Ecstasis est,* inquit, *deserto exteriori homine sui ipsius supra se voluptuosa quadam eleuatio, ad superintellectualem diuini amoris fontem.*

D. Augustinus quæstionibus ad Simplician. quæstion. 1. ita definit: *Ecstasis est alienatio à sensibus corporis, vt spiritus hominis, diuino spiritu assumptus capiendis, atque intuendis imaginibus vacet.*

Ex S. Thoma loco indicato hæc colligitur descriptio. Ecstasis est, quando quis actu ab vsu sensuum & sensibilium abstrahitur ad aliqua supernaturaliter videnda. Hæc competit solum Ecstasi supernaturali ac diuinæ.

S. Chrys. Actuum 10. ad vers. 10. *Irruit super eum mentis excessus.* Quid est, inquit, ecstasis? Spiritualis nimirum contemplatio facta est in illo, quasi diceret quis: anima excessit è corpore. Itaque, *Ecstasis est, excessus animæ è corpore,* quod quomodo intelligendum sit, ex ijs, quæ disputabimus, clarescet. Tandem

Philosophice simul ac Theologice Franciscus Suarez Tom. 11. de Relig. Ecstasin tunc proprie esse docet, quando derelinquuntur sensus externi, non solum actualiter, sed & aptitudinaliter: quia nimirum, sensus externi non solum non operantur, sed etiam ita sunt impediti, vt operari non possint, nec per externa obiecta, quantumuis vehementia excitari. Li. 11. ca. 15.

Ex his omnibus ad Mysticorum sensum accommodate Iacobus Aluarez sic illam exponit. *Ecstasis est eleuatio mentis in* DEVM *cum abstractione à sensibus exterioribus ex magnitudine ipsius eleuationis procedens.* Cum enim anima sit virtutis limitatæ, quanto intensius, efficacius, Tom. III. lib. 5 cap. 8.

cius,ac vehementius vni functioni attendit, tanto minus aliis intendit. Vnde poteſt, Deo illam agente, ac illuminante tanta intenſione diuinis rebus inſpiciendis, ac diligendis incumbere, vt nec præſentia videat, nec verba prope loquentium audiat, neque etiam ferrum aut ignem corpori admotum percipiat: deniq; , vt omnem ſenſuum vſum derelinquat. Quod dum contingit Myſtico dicitur non ſolum ſomno myſtico conſopiri, verum in altiori adhuc contemplationis gradu conſtitutus exſtaſin pati.

# EXERCITATIO III.

## *VNDE ORIATVR ECSTASIS Myſtica.*

AGit hac de re fuſe ac præclare Richardus de S. Victore libro 5. de contemp. à capit. 5. vſque ad 14. & tres fontes deſignat, vnde dimanat Ecſtaſis. Sunt autem iſti, magnitudo deuotionis, magnitudo admirationis, magnitudo exultationis. Horum primum ſcribit ornare affectum, ſecundum ornare intellectum, tertium vtrumq; conſequi.

Ex magnitudine deuotionis ſeu amoris vehementia tunc prouenit Ecſtaſis, quando anima tanto deſiderij cœleſtis & diuini amoris igne ſuccenditur, vt ceræ inſtar liquefiat, & à proprio quodammodo ſtatu dimota, ac inſtar fumi attenuata ſuperiora petat. Volunt autem Myſtici, vel ſolum hunc deuotionis affectum, vel cum illo inſolitam lucis irradiationem alienationem cauſſare.

Ex admirationis vehementia oritur, quando anima diuinis illuſtrata ſplendoribus, & pulchritudinis ſummi Dei, ac perfectionum diuinarum contemplatione ſuſpenſa, tam ingenti ſtupore concutitur, vt in ſimilitudinem fulguris coruſcantis tranſcenſis ſenſibus ad ſumma enitatur, ibique hæreat.

Porro hæc admiratio, vel admirabunda cognitio aliquando ſubito animæ aduenit: aliquando dum affectui in ſe excitando, & meditationi inuigilat: aliquando à lumine incipiens in ardentiſſimũ feruorem deſinit. Eo autem tempore alienatur homo à ſenſibus exterioribus, vel vtitur interioribus, imaginatione intellectui cooperante: vel ceſſante imaginationis officio intellectus abſque phantaſmatum incurſu contemplatur: Sicq; voluntas incredibiliter in amorem diuinum exardeſcit.

Tan-

Tandem, Exultatio vel Iubilus ecstasin parit, quando anima contemplatrix æternæ suauitatis abundantia immersa & absorpta, quid sit, & vbi nam agat, plane obliuiscitur, & in alienationis excessum lętitiæ nimietate transfertur. Supponit autem hæc spiritualis, ac superabundans iucunditas, eximiam quandam, diuinarum perfectionum notitiam, indeque ortam admirationem, quam ineffabilis lætitiæ copia comitatur, aut subsequitur.

S. Bernardus sermone 49. in Cantica duo nominat Ecstasis principia lucem, & amorem, lucem pro intellectu, amorem pro affectu. Exponẽs enim illud Canticorum secundo introduxit me Rex in cellam vinariam. *Cum*, inquit, *duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu vnus, & alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore: vnus in agnitione, alter in deuotione: pius sane affectus, & pectus amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, etiam & vehementi spiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam è cella vinaria reportantur: & cuicumque cum horum copia surgere oratione donatur, potest in veritate loqui: Quia introduxit me Rex in cellam vinariam.*

Ceterum amori nominatim, & præcipue adscribitur, quod faciat ecstasin. Potest autem id trib. fere modis exponi. Primo, vt dicatur amor ecstasin caussare, vel alienationem à sensibus, quia efficit, vt tota intentio feratur in Deum licet sensibus tum internis, tum externis vtatur, eorumque obiecta percipiat, qui amore diuino inflammatur. Hæc est ecstasis secundum intentionem. Quo pacto Dionysij effatum accipere videtur S. Thomas quæst. 13. de verit. articu. 11. ad 9. Porro secundum hanc interpretationem, virtutis perfectæ studiosus, & spiritualibus rebus addictus, ecstasin patitur, non solum quando vel meditatur, vel in altissimo est contemplationis gradu: verum etiam dum aliis officiis ex caritate vacat. Semper enim castissima intentione in Deum fertur, illique se quam arctissime coniungere satagit. Quod amoris, præsertim feruentioris est proprium, quæ facit, vt anima magis sit, vbi amat, quam vbi animat.

Secundo, ecstasim facit amor, quoniam vsum actualem sensuum impedit, abstrahendo ab omni eo, quod à perfectissima cognitione intellectus mentem dimouere potest. Hæc ecstasis maxime contingit, dum fit contemplatio absque vsu phantasmatum. Insinuat hunc modum præ ceteris S. Gregorius verbis alio loco recitatis. Satis clare lib. 5. Moral. cap. 22. *Ad contemplanda interna*, inquit, *nemo perducitur, nisi ab his, quæ exterius implicant, studiose subtrahatur.* Et cap. 20. *Occultatur vt audiat, & audit, vt occultetur, quia & subtracta à visibilibus, inuisibilia conspicit, & repleta inuisibilibus visibilia perfecte contemnit.*

Tertio, Ecstasis, quam caussat amor, est perfecta illa à sensibus, ac sensibilibus abstractio, qua manēte ne quidem est potestas vtendi sensibus. Quando nimirum amor ita mentem eleuat, vt illam emigrare quodammodo faciat, adeo vt nihil obiectorum sensibilium tunc valeat percipere. Et hæc proprie est ecstasis à mysticis celebrata.

---

# EXERCITATIO IV.

## *QVÆSTIONES DE ECSTASI Miscellæ.*

### PRIMA DISQVISITIO. An ex contemplatione mystica perfectissimi gradus sequatur connaturaliter ecstasis, quo ad suspensionem functionum externorum sensuum.

RESPON. Adfirmate. Sumitur ex S. Thoma SSdæ quæst. 175. artic. 2. vbi id obseruat Caietanus. idemque docet Molina I. P. quæst. 12. articul. 11. & ante hunc, Abulensis Gen. 13. quæst. 400. & Paradoxo III. quæst. 46. Nec dissentit Suarez Tom. 11. de Religione libr. 11. cap. 15. vbi illud recte monet. Quamuis suspensio illa, siue ecstasis sit gratia quædam gratis data, quoniam ex efficacia gratiæ dimanat, tamen connaturaliter sequi ex priori gratia, ac proinde, non esse duas gratias ita distinctas, vt non sint connexæ inter se, sed vna ab alia naturaliter profluat. RATIO. Quoniam vis omnis humana finita est, atq; idcirco facile exhauritur ac deficit. Quare si circa vnam quampiam rem tota occupetur, aliis non potest intendere. Itaque, si mens penitus sit absorpta in rebus diuinis, & interioribus, naturaliter cohibet attentionem circa exteriora: imo non potest vacare externis: atque hinc est à sensibus alienatio.

SECVN-

## SECVNDA DISQVISITIO. An possit sequi ecstasis ex contemplatione naturali, intellectu efficacissime speculante, quamuis nulla sit vehementia adfectus.

S Thomas SSdæ quæst. 175. artic. 2. docet Ecstasin pertinere ad vim appetitiuam, quatenus efficacia affectus facit, vt homo extra se quodammodo rapiatur, & ab omnibus exterioribus alienetur, vnde & amor maxime caussat ecstasin: adeo, vt Dionysius dicat, DEVM ipsum, qui est omnium caussa, per abundantiam amatoriæ bonitatis extra seipsum ferri per prouidentiam ad omnia existentia. Addit tamen S. Thomas ad IIdum affectuum concitationem ac vehementiã ecstasim facere, quatenus caussat excessum cognitionis, quo mens ad intelligibilia intensissime rapitur, sicque à sensibus alienatur. Itaque Cap. 4. de nom. diui.

RESPONDEO, Adfirmate, solam speculationem naturalem caussam posse esse ecstasis. Cui non repugnat S. Thomas, consentit Caietanus, adprobat Suarez, & ex professo docet Marsilius Ficinus lib. 13. de immortalitate animæ cap. 14. E Mysticis Doctoribus idem confirmat Ioan. Gerson opusculo de monte contemplationis cap. 31. vbi docet vt quis eleuetur supra sensum ac sensibilia, & vt ecstasin patiatur, necesse esse, mentem vni contemplationi intentam esse debere, vnum cogitare, & voluere, sicque non difficulter animus alienationem hanc assequitur. *Et hoc fieri posse*, inquit, *experientia quotidiana in minoribus manifestat: adfirmatque idem Aristoteles dicens: Accidit interdum aliquem, super re aliqua tam fortiter meditari, vt nec apertis oculis intueatur, id, quod coram habet, vel quod ipsum præterit. Sæpeque in societate cum qua sociabitur, plura dicentur, & coram ipso exercebuntur, seu fient, de quibus nec aliquid sciet, sed in sua forti meditatione perseuerabit, ac si dormiret. Vnde quãdoq; de tali prouerbium istud commune solet adduci, & dici: Iste ad suos meditatur amores.*

Pergit Gerson. *Talem similiter modum raptus percipiunt sæpe studentes ipsi aliquid subtilitatis compilare molientes. Pictores suo modo facere consueuerunt, sicut ego teneo, aliique opifices subtilium, positi in imaginationibus fortibus.* Adducit deinde exemplum Archimedis summi Mathematici, qui captis Siracusis, cũ animo, ac oculis in terra defixis formas Geometricas in glarea describeret, aliorum omnium incuriosus à milite interfectus fuit. Nominat quoque Neadem, quem ferunt mensæ accum-

cumbentem, esculentorum poculentorumq; oblitum hæsisse, adeo, vt necessarium fuerit, ne fame interiret, adiungeret illi quempiam, qui cibum in os ingereret. De hoc spargebatur, Neadem anima solum viuere, corpus illi vt vestimentum videri circumdatum.

Annon meliori iure nominetur Thomas Aquinas qui absque sensu, sensibus vtebatur, mensæ assidens ac tantum non vorans, cum interim speculationibus intentus Manichæis oppugnandis totus vacaret. quod exclamatione deinde patefecit, alta voce illud ingeminans, quasi è graui somno excitus, *conclusum est contra Manichæos.*

Sed admirationem maiorem habet, & rem nostram magis confirmat, quod narrat Augustinus lib. 14. de Ciuit. Dei capit. 24. de Restituto presbytero in parœcia Calamensis Ecclesiæ, *qui quando ei placebat, rogabatur autem, vt hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coram scire cupiebant, ad imitatus quasi lamentantis, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solum vellicantes, atque pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne vreretur admoto sine vllo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere. Non autem obnitendo sed non sentiendo, non mouere corpus eo probatur, quod tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus: hominum tamen voces si clarius loquerentur tanquam de longinquo se audiuisse, postea referebat.*

Potest igitur intellectus contemplatio esse tam vehemens, vt vires internæ omnes occupentur, & sensuum exteriorum impediatur omnis functio, alio deriuata omni mentis attentione. Quod contigisse antiquissimis sapientibus, Trismegisto, Socrati, Platoni, cum diuinis rebus contemplandis totos se darent, suspensosq; hæsisse, & in ecstasi nonnulli referunt. Sed hinc oritur

## TERTIA DISQVISITIO. An anima virtute naturali sola, possit ita applicare intentionem attentionemque omnem internam vt sequatur ecstasis.

RESPOND. I. Falsum esse, communi lege, quemlibet, quamuis intensissimæ speculationis hominem, posse, quotiescumque collibuerit naturali sua vi, & arbitrio voluntatis, caussare in se ecstasin. Contrarium videtur tradere Cardanus. male: est enim experientia in contrarium. Nec ita in potestate sua habet internas facultates quamuis exercitatissimus contemplator, vt illas totaliter vni alicui obiecto alligare possit prolibito. Quod si quis ab hac lege eximatur,

inter

inter naturæ portenta censeri debet. *Nam & hominum quorundam naturas,* vt Augustinus differit, *nouimus multum ceteris dispares, & ipsa raritate mirabiles, nonnulla, vt volunt, de corpore suo facientium, quæ alij nullo modo possunt, & audita vix credunt. Sunt enim, qui & aures moueant, vel singulas, vel ambas simul. Sunt, qui totam cæsariem capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocantque cum volunt. Sunt, qui eorum, quæ vorauerunt incredibiliter plurima, & varia, paullulum præcordijs contrectatis, tanquam de sacculo, quod placuerit, integerrimum proferunt. Quidam voces auium, pecorumque, & aliorum, quorumlibet hominum, sic imitantur, atque exprimunt, vt nisi videantur, discerni omnino non possint. Nonnulli ab imo, sine pudore vllo, ita numerosos pro arbitrio sonitus edunt, vt ex illa etiam parte cantare videantur. Ipse sum expertus sudare hominem solere, cum vellet. Notum est, quosdam flere cum volunt, atque vbertim lacrymas fundere.* Verum his omnib. multo rarius & incredibilius existimat Augustinus, quod de Restituto narratur potuisse illum prolibitu alienationem à sensibus procurare. Lib. 14. de Ciu. ca. 24

RESP. II. Non videri esse plane contra naturalem, aut supra naturalem hominis constitutionem, ita adfectum esse, vt auocare possit mentem ab omnibus aliis, sequaturq; ecstasis. Constat exemplis paullo ante allatis, & ex ijs, quæ deinceps disputabimus. Prudenter de hoc ipso ita enunciat Fran. Suarez lib. 11. de orat. capit. 19. Stando in vi rationis non video repugnantiam, cur hæc tanta applicatio non possit naturaliter fieri ad attentionem contentam intra naturæ ordinem, vt V. C. ad speculanda mathematica attentissime. Aliunde vero consulendo experientiam, non video hoc esse in potestate mea, nec eorũ cũ quib. conuersatus sum, etiamsi his speculationib. sint satis assueti. Vnde etiam in hoc genere attentionis verisimilius credo non esse in potestate voluntatis nostræ directe, & vt ita dicam, in actis signato applicare animam, vt tam vehementer interius attendat, quod se abstrahat omnino ab externis sensibus.

## QVARTA DISQVISITIO. An ecstasin in hominibus efficere possint mali genij?

RESPON. Hoc non superare facultatem naturalem Angelorum siue bonorum, siue malorum. Ita Suarez. Tom. 11. de Religione libr. 11. capit. 15. & Delrio libr. 11. disquisit. Magicar. quæst. 25. Caussare autem possunt ecstasin vel ligando, vel soluendo exteriores sensus. Quod fit bifariam. Primo, si obstruantur canales, per quos à cerebro

ſpiritus ſenſitiui ad exteriores ſenſus deferuntur: quemadmodum accidit dormientibus, & ſomniantibus. Secundo, ſi ſpiritus ſenſitiui ab exterioribus ſenſibus ad interni ſenſus organa attrahantur, ibiq; detineantur, ne per externorum ſenſuum organa poſſint diffundi. Sic namque impediuntur officia ſenſuum exteriorum, & relinquitur corpus viuum inſtar cadaueris ſine ſenſu ac motu. Ecſtaſis ita procurata à dœmone dicitur Magica & eſt naturalis, qua ſæpe rapiuntur Magi, & Sagæ, quæ dum vno loco ſunt abſque ſenſu omni fuiſſe ſe alibi, miraq; vidiſſe, ac feciſſe exiſtimant.

Li. III. Regni ſept. ca. 18. Refert Olaus de Magis Lappiis: *Si quis peregrinus cupiat de ſuorum conditione certi quid cognoſcere, præſtare eos, vt intra viginti quatuor horarũ ſpacium reſciſcat, quid cum illis agatur, vel ſi trecentis milliaribus abſit hoc modo. Incantator poſtquam vſitatis ceremoniis Deos ſuos compellauit, ſubito collabitur, & exanimatur, quaſi, exſtincto illo reuera excedat à corpore anima. Neque enim aut ſpiritus in eo reliquus eſſe, aut reſtare cum vita ſenſus aliquis, aut motus videtur: ſed, vt adſint ſemper aliqui, oportet, qui proiectum & exanime corpus cuſtodiant, quod, cum non ſit, dæmones id abripiunt. Horis viginti quatuor elapſis, reuertente ſpiritu ceu è profundo ſomno cum gemitu expergiſcitur exanime corpus, quaſi reuocetur in vitam ex morte, qui conciderat. Poſtea, ſic reſtitutus ad interrogata reſpondet, & vt fidem faciat percontatori, recenſet aliquid, quod agnoſcat ille, & certo ſciat in ædibus ſuis, aut cognatorum fuiſſe.*

Similia multa habent, qui de Strygum præſtigiis ſcripſerunt. Hoc pacto impoſuerunt mundo, multæ ſanctitatis opinione apud quoſdam nobiles, Anno MDLXXXV. Virgo Cæſarauguſtana pſeudoſtigmata Chriſti oſtentans quæ frequentiſſime rapiebatur: nimirum pactum inierat cum dœmone oues paſcens: & Magdalena Crucia Cordubenſis, illuſtris ſaga.

## QVINTA DISQVISITIO. An in ecſtaſi ſeu myſtica & ſupernaturali, ſeu magica & diabolica anima è corpore ſubſtantialiter egrediatur.

ITa opinatur Bodinus lib. II. Dœmonia. cap. 5. fuitque error Cabaliſtarum, & perſuaſio quorundam Platonicorum, cui anſam fortaſſe dedit Plato incertis & ad fabulas accedentibus narrationibus. lib. 10. de Republica refert, *Eren Armenium genere Pamphylium cum inter cadauera cæſorum in prælio decem diebus jacuiſſet mortuus, domum relatum ſecundo poſt die cum eſſet imponendus rogo, reuixiſſe, ac prodigioſa quædam narraſſe, quæ illo tempore apud inferos vidiſſet.* Gemina eſt narratio de Claromenio

menio apud Origenem lib. III. contra Celsum, & de Aristæa Proconnesio apud Plinium, & Plutarchum ex Herodoto, narrantes multoties defunctum reuixisse, animamque quoties voluit, resumpsisse: assistentes vero animam illius cerui effigie ex ore euolantem vidisse. Quis hic non animaduertit ecstasin magicam, & dœmonis ludibriũ? Quod agnosces etiam in narratione Helinandi de milite dormiente, ex cuius ore egrediebatur, & ingrediebatur mustela alba, & pergladium riuulo impositum iterato commeabat.

*Plin. lib. 7. ca 52.*
*Plutar. vi. Roman.*
*Helinan. lib. 13. Chron.*
*Paradin in Symbo.*

RESPONDEO. In Ecstasi animam reuera corpus non deserere, seu, secundum substantiam alio migrare. Probatur: Homo per ecstasin non moritur. Ergo in ecstasi reapse non migrat anima. Consequẽtia est euidens: quia si migret anima, corpus sine anima, quæ illius est substantialis vita relinquitur, quod est mori. Antecedens etiam ab aduersarijs conceditur, si mortem proprie accipias: nec enim ecstaticum admittunt esse mortuum. Cõfirmatur. Si migraret anima, nulla potentia creata, ad idem corpus redire posset, alioquin daretur naturalis mortuorum resurrectio. Ergo post ecstasim maneret mortuus, homo ecstasin passus, aut diuina virtute per miraculum resuscitaretur, quod nemo magis sagisue indulgendum dixerit.

Nec Bodini argumenta vllam probabilitatem faciunt: nihilq; adfertur ab aduersariis siue è Patribus, siue historia, vel ratione vlla, quæ huic sententiæ suffragetur. Contrarium autem docet Auctor breuium quæstionum apud Athanasium qu. 33. Augustinus lib. 18. de Ciuitate: Epistola ad Euodium, & Auctor apud eundem libri de spiritu, & anima. Augustinus vero lib. 83. qq. nihil magnopere ad opinionis falsæ patrocinium adfert.

Scio narrari à Saluatore Irados Tom. 1. factorum, & dictorum illustrium Ordinis D. Francisci fol. 205. quæsitum fuisse à B. Ægidio: An aliquando in hac vita corpus suũ per ecstasin, vel contemplationem anima deserat? respondisse autem adfirmatiue, & hominem cognouisse, cui id acciderit. De veritate historiæ non disputo: fidem habeat, quam meretur. Sensus viri Sti esse potuit: Animam, quo ad functionum vitalium orbitatem corpus deseruisse. Aut diuina id factum potestate. Quis enim dubitat Deum posse ad se euocare hominis viuentis animam, conseruatam corpore deserto dispositionibus ad informationem iteram disponentibus. Quod an contigerit D. Paulo in admirando illo raptu II. Corinth. 12. dubitatur merito, cum ipse eius rei ignorantiam sit fassus: licet B. Hildegardis in quæstionibus suis fidenter affirmet, corpus tunc ab anima fuisse separatum.

## SEXTA DISQVISITIO. Cum in ecstasi anima corpus non deserat: quare passim ecstasis, mysticorum phrasi, Mors vocatur?

NON probo mortis genus nouum, quod induxit Caluinus, ac illum sequuti Musculus & Marbachius, qui in Genesin dum scribunt, fingere non verentur, Henoch, quem tulisse dicitur DEVS, haud mortuum separatione à corpore violenta: sed alio insolenti modo: nempe, exuta tantum corruptibili natura, & absolutum à miserijs huius seculi placida quadam ex hoc mundo migratione. Hoc modo mortem esse ecstasin forrasse quis existimet secundum Mysticos, Sed non ita desipiunt Mystici. Itaque

RESPONDEO. Illos loqui arcano modo: hoc est, mysticè, ac figuratè. Quomodo autem, & qualis Mors sit Ecstasis præclare docet S. Bernardus sermone 52. in Cantica, vbi duo Ecstasis symbola depingit, soporem, & mortem. *Magis*, inquit, *istiusmodi vitalis vigilque sopor sensum interiorem illuminat, & morte propulsata vitam tribuit sempiternam. Reuera enim dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat. Est & MORS, quod non dubius dixerim, quonam Apostolus quosdam in carne adhuc viuentes commendando, sic loquitur.* Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Proinde & ego non absurde sponsæ ecstasin, vocauerim mortem, quæ tamen non vita, sed vitæ eripiat laqueis, vt possit dicere: Anima nostra sicut passer erepta est, de laqueo venantium. Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui vtique toties non timentur, quoties sancta aliqua & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur; si tamen* Prou. 1. 17. *eousque mente secedat, & auolet, vt & hunc communem transcendat vsum, & consuetudinem cogitandi: etenim frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Quid enim formidetur luxuria vbi nec vita sentitur? Excedente enim anima, etsi non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur.* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam. *Vtinam hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis.*

Eodem sensu interpreteris quod habet S. Ioannes Chrysostomus ad illa Actuum 10. 10. *Irruit super eum mentis excessus*: quod exponit, anima excessit è corpore. quomodo? addit idem, per contemplationem spiritualem. Est itaque Ecstasis, Mors figurata, & metaphorica.

SEPTI-

## Septima Disqvisitio. Quæ causa efficiens ecstasis mysticæ?

SCripsit de transitu hominis in Deum M. Antonius Mocenicus: idemque librum edidit de anima, diuinoque eius ad Deum raptu: quem Antonius Posseuinus in apparatu sacro, eundem putat cum superiore, de transitu. In illo autem enumerat, examinatque multorum auctorum sententias, sed gentilium præsertim Philosophorum, & Arabum Astrologorum de natura ecstasis, seu Raptus. De quo ille quidem ita disputat cap. 45. vt velit totam Raptus, quam cum Ecstasi confundit, efficientiam adscribendam soli intellectui agenti: hunc enim adiutum concursu Dei communi ac generali solummodo, posse intellectui possibili repræsentare speciem Dei propriam, seu ideã, quę Deum exhibeat. Quocirca, quod erat solum intelligibile potentia, vi intellectus agentis fit intelligibile actu.

Respondeo I. Ecstasis mysticæ ac supernaturalis caussam efficientem principalem esse Deum. Ratio: Quoniam omnium effectuum supernaturaliũ, inter quos numeratur talis ecstasis est Deus. Ille in Mystico intellectum nouo quodam illuminat, intelligentiam sublevat, voluntatem inflammat, mentem ad se rapit, & arcano quodam nexu, ita deuincit sibi, vt rerum inferiorum immemor sensibilibus non intendat, sensuum officia deserens.

Neque hoc negare potest Mocenicus, imo fatetur & cum eo Delrius, qui recte illud adiungit: *Sicut Sol sine Sole non cernitur, sicut oculus sine lumine lumen non videt, sicut auris nisi aëre plena ictum aërem non audit: ita nec Deus sine Deo cognosci potest: Sed Deo plenus demum animus tantum in Deum erigitur. Quantum diuino collustratus lumine, eum cognoscit, tantum efferuescit, & exilit in superiora, quantum calore diuino succensus in Deum fertur.* Neque ad id quod superius est, & infinitum quisquam attollitur, nisi virtute superioris ac infiniti attrahatur ac eleuetur, iuxta veram Platonicorum sententiam, quam Mocenicus capit. 9. pertractat.

Respond. II. Præter singularem influxum, & gratiam ad contemplationem perfectam, non requiri alium peculiarem ac supernaturalem ad ecstasin mysticam. Sequitur ex Disquisit. I. Quoniam ecstasis sequitur connaturaliter contemplationem mysticam perfectissimi gradus. Igitur illa constituta, sufficit concursus Dei generalis ad suspensionem vsus sensuum.

Respond. III. Deum, vel se solo posse efficere in homine

ecſtaſin, vel per inſtrumentum. Hoc autem conuenientiſſime eſt intellectus agens, quo vtitur ad rerum diuinarum formas fabricandas. Quod non negaret S. Thomas, qui P. Parte quæſt. 12. articulo 9. ad 2. talem ſpecierum fabricationem agnoſcit in D. Paulo.

RESPOND. IV. Ad ecſtaſin naturalem & Magicam, ſatis eſſe cõcurſum Dei generalem operationeſque naturales ligandi ſenſus, ſiue obſtruendo tramites viaſque ſpirituum animalium, ſiue ſpiritus omnes in phantaſia continendo. His enim modis Dæmon niſi à vi ſuperiore impediatur ecſtaſin in ſibi addictis operatur, vt ſuperius eſt demonſtratum.

## OCTAVA DISQVISITIO. An ſit voluntaria & in poteſtate hominis ecſtaſis eiuſque duratio? adfirmat Mocenicus.

RESPON. Negatiue. Quod exemplo confirmat Delrius qui ſcribit nouiſſe ſe ac multos alios Virginem quandam Deo deuotam, ex ijs quas Beatas illic vocãt, quę Burgis in Caſtella An. M CCC LXXXV. ſuperſtes erat, & ſtatim percepta Euchariſtia vix ea in os ſumpta in diuturnum raptum eleuabatur, adeo, vt nec admotas, & adactas in pedes aciculas ſentiret. Quæ, vt erat humanæ gloriæ auerſatrix, & ſancta eſſe, quam dici, malebat, aut videri, ardentiſſime ſolebat Deũ precari, ne quid illi huiuſmodi coram alijs accideret, & ad ſe reuerſa erubeſcentia plena, atq; pudoris, quam poterat celerrime domum ſe in conclaue proripiebat.

## NONA DISQVISITIO. An contemplatio intuitiua Dei, ſeu viſio diuinæ eſſentiæ in corpore mortali cauſſet neceſſario ecſtaſin in ſenſibus exterioribus.

EGimus de hoc in primo volumine de Theologia varia li. III. commentat. XXIX. Exercit. V. vbi reſpondimus negatiue. Quæ eſt etiam ſententia Ludouici Molinæ I. P. quæſt. 12. art. 11. Gabriel Vaſquez Diſput. 55. cap. 1. Ioannis Salas I. S[æ] tract. 11. diſp. 10. ſect. 4. Franciſci Suarez tom. 11. de religione lib. 11. cap. 16.

DECI-

## DECIMA DISQVISITIO. An ex contemplatione mystica sequi possit Ecstasis in actibus omnium sensuum internorum : ita vt nullus sit vsus phantasiæ , nec alterius cuiuslibet sensus interni.

HVic Disquisitioni satisfactum est Pa Parte Theologiæ Mysticæ in commentatione de contemplatione pura, quæ, si detur, concedenda est in ea ecstasis à sensibus internis. Vti concedunt Abulensis Genes. 13. quæst. CD. & Paradoxo III. cap. 46. ac insinuat S. Thomas I Id IIdæ quæst. 175. artic. III. ad 1. vbi docet, mentem humanam tripliciter [illegible]euari ad contemplanda diuina, primo per species imaginarias vt fuit in Petro Actuum 10. Secundo per intelligibiles effectus, vt in Dauide cum dixit Psalmo III. *Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.* Tertio, per claram visionem. Quæ si diligenter perpendas anim aduertes , Doctorem sanctum agnoscere in primo modo, ecstasim à sensibus externis tantum : in secundo , etiam ab internis, dum sit contemplatio per pura intelligibilia. Et quæst. 13. de veritate artic. III. ad 10. scribit, tantam esse posse in actu speculationis vehementiam, vt omnino à sensibili operatione abstrahatur.

## VNDECIMA DISQVISITIO. An in contemplatione mystica, seu pura , fiat ecstasis ab omni operatione appetitus sensitiui. Seu, an ecstasis mystica hanc abstractionem habeat?

RESP. I. Naturaliter non ita se rem habere: imo contrarium potius contingere. Ratio: quia in Mystica contemplatione altissimi gradus voluntas siue appetitus rationalis maxime efferuescit , ac in Deum rapitur: gaudet, amat, inflammatur. Est autem connaturale, vt appetitum inferiorem rapiat superior, vt docet S. Thomas I IIdæ q. 175. artic. 2. ad 2. Igitur consequuntur appetitus sensitiui motus, eas motiones, quæ sunt in appetitu rationali, seu superiore. Quocirca recte in hoc genere Dauid cor & carnem coniungit. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum meum.* Quo loco nomine cordis animam intelligi, aut partem superiorem , seu rationalem ; carnis vero partem sensitiuam docti Interpretes obseruant. Inter quos Lorinus signate Psal. 83. 3.

 notat

notat, redundare ex parte rationali in sensitiuam, atq; in carnem ipsam, etiam per externa signa honestam, diuinamque lętitiam quando magna est, & pars illa superior spiritu Dei acta, subijcit sibi alioqui repugnantem sensum ac carnem. Sic fit, vt caro, spiritui desiderijs consentiat, eumque exultante in Deo exultet. Testimonio fuere multi Mystici, qui superioris partis jubilum, externo quoque corporis aliquando declararunt. An hæc caussa, cur Romualdus vir & sanctissimus & vitæ maxime longæuæ, vultu semper fuerit sereno, læto, hilari: nempe, gaudium internum, exterius quoque gaudium prouocabat.

I. Reg. 11. 2.

Hanc facultatum in eodem homine sympathiam non amor solum, sed & dolor testatur. Est enim recepta in scholis doctrina, quam habet S. Thomas: ex interno pœnitentis dolore, pœnalem in sensu & in carne oriri dolorem, quam ipse pœnitentię passionem appellat: simulque actum virtutis, quatenus subest electioni voluntatis, vt recte monet Paludanus. Quis magis contemplationibus mysticis occupabatur, quam Christus Dominus? Huius tamen etiam carnem exultasse in Deum viuum, non per actum carnis ascendentem in ipsum: sed per redundantiam à corde in carnem in quantum appetitus sensitiuus sequitur motũ appetitus rationalis, egregie docet Doctor Angelicus. Imo, virum spiritualem non esse perfectum, nisi hoc illi contingat, & non solum anima eius, sed & cor & caro in DEVM feratur, obseruat Mystices peritissimus idiota cuius opusculum est in Biblioth. Patrum.

III. p. q. 85. art. 1. in 4. 164. qu. 11. art. 1. Et d. 17. q. 1. ar. 1

In 4. dist. 4 q 11. art. 2.

III. p. q. 21 art 11. ad 1

Quocirca frequentissime Rex Dauid animam & carnem iungit, quando de internis illis affectibus agit. Quodam loco de matutinis suis afflatibus disserens, sic Deum affatur: Deus Deus meus ad te de luce vigilo. *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Quo ostendit desiderium intensissimum animę ad corpus etiam redundare, quasi & hoc desideret: nimirum trahente partem sensitiuam, superiore rationali.

Psal. 62. 2.

Quapropter bene notat Suarez deuotionem illam, quæ in appetitu sentiẽte habetur non esse contemnendam viris spiritualibus: solet enim sequi ex altissima contemplatione. Potest tamen contingere, vt non sequatur ex corporis dispositione: tunc tamen etiam appetitus sensitiuus consentiendo saltem voluntati cooperatur. Ex his

Tom. II. de relig. lib. II cap 18.

RESPONDETVR II. Contemplationem mysticam etiam illam, quæ est absque vsu phantasmatum nunquam impedire operationem appetitus sensitiui nisi per accidens: quia, quamdiu non est

phan-

phantasiæ operatio, tam diu non est obiectum, quod appetitum illum moueat: si tamen sit obiectum, potest appetitus sensitiuus moueri.

Dices, S. Thomas SS[dæ] qu. 175. artic. 11. ad 2. aperte docet, per contemplationem, & amorem Dei causari ecstasim secundum appetitum.

Respond. Sensum eius esse, tunc appetitum quia rapitur ad cælestia ac diuina, quasi extra se constitui quod est pati ecstasin: non quod operatione omni destituatur.

## Duodecima Disquisitio. Vtrum in ecstasi fiat abstractio ab omni motione virtutis mouentis?

Respond. I. Durante operatione phantasiæ non tolli virtutis mouentis officium. Ratio, quia vt illa facultas operationem suā exerceat, satis est phantasiam non impediri à sua functione, & appetitum sensitiuum operari.

Resp. II. Sæpe in ecstasi impedita operatione phantasiæ cessare quoq; virtutis motricis operationem. hæc enim absq; illis operationem suam non exercet.

## Tertia-Decima Disquisitio. An in ecstasi cessent functiones partis vegetatiuæ, nutritio, & similes?

Adfirmat Abulensis. Quoniam cum tales operationes sint vitales, ac pendeant ex actuali influxu animæ, potest esse tanta attentio ad actiones superiores, vt ab infimis penitus suspendatur vis omnis vegetatiua.

Resp. I. Quatenus facultatis vegetatiuæ opera pendent ab instrumentis corporeis ac materialibus, eatenus non exigere attentionem animi. Itaq; vt sic non suspenduntur in Ecstasi. Est S. Thomæ q. 13. de veritate art. 4. vbi obseruat discrimen esse in hac re inter appetitum sensitiuum, & potentiam vegetantem, quod huius operationes longius distent ab operatione intellectus & phantasiæ: imo etiam, quam operationes sensuum externorum. Actiones etiam potentiæ vegetatiuæ magis esse naturales, sicq; minus impediri.

Resp. II. Facultatem vegetantem iuuari per operationes

ſpirituum, & vitales operationes animæ attrahendi, expellendi, diſtribuendi, ſic autem impediri poſſunt nimia attentione, quæ in contemplatione adhibetur. Quid mirum? cum illud quoque contingat in ijs, qui litterarum ſtudijs, attentius intenſiuſque incumbunt. Nutritionem digeſtionemque impeditam in multis nimia ſtudendi lucubrandique aſſiduitate ac vehementia obſeruauimus: conſtatque plurimorum exemplo ecſtaſin cum dierum multorum inedia imbibeſiaque fuiſſe coniunctam.

## QVARTA-DECIMA DISQVISITIO. Quos effectus fructuſque relinquat in bono Myſtico Ecſtaſis?

*Hugo li. 5. de cõtempl. à cap 5.* RIchardus Victorinus, poſtquam tres cauſſas (de quibus ſuperius actum) alienationis à ſenſibus expoſuit: quid ſentire ſoleat Myſticus poſt ecſtaſim ſic declarat. Diſcedit ſponſus, & anima ad ſe redit, & immenſa ſuauitate ſe repletam, & genas corporis lacrymarum fluuio rigatas reperit. *Bernar. in Scala.* Sed ô Domine, inquit Bernardus, quomodo comperimus quando hæc facis? & quod ſignum aduentus tui? Numquid huius conſolationis, & lætitiæ teſtes, & nuncij ſunt ſuſpiria, & lacrymæ. Si ita eſt, noua eſt antiphraſis iſta, & ſignificatio inuſitata. Quæ enim conuentio conſolationis ad ſuſpiria, lætitiæ ad lacrymas? Si tamen iſtæ dicendæ ſunt lacrymę & non potius roris interioris deſuper infuſi ſupereffluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium, exterioris hominis purgamentum. Vt ſicut in baptiſmo puerorum per exteriorem ablutionem ſignificatur, & figuratur interior animæ ablutio: ita hic è contra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O felices lacrymæ, per quas maculæ interiores purgantur, per quas peccatorum incendia extinguũtur! Beati, qui ſic lugetis, quia ridebitis. In his lacrymis agnoſce, ô anima, ſponſum tuum, amplectere deſideratum. Nunc torrente voluptatis te inebria ab vbere conſolationis eius lac & mel.

Hæc ſunt miranda munuſcula, & ſolatia, quæ dedit tibi ſponſus tuus, gemitus ſcilicet, & lacryma. Adducit tibi potum in his lacrymis in menſura. Hæ lacrymæ ſunt tibi panes die ac nocte: panes vtique confirmantes cor hominis, & dulciores ſuper mel & fauum. O Domine Ieſu! ſi adeo ſunt dulces iſtæ lacrymæ, quæ ex memoria, & deſiderio tui excitantur, quam dulce erit gaudium, quod ex manife-

nifesta tui visione capietur? Si adeo est dulce flere pro te quam dulce erit gaudere de te?

Verum fructus auocationis à sensibus non est tantum lacrymarum profusio, sed sensibilium, & terrenorum contemptus, supernorum desiderium, ac artissima cum Deo vnio.

# COMMENTATIO. RAPTVS MYSTICVS.

Hic adeò nexus est ecstasi, vt auelli à se mutuo vix videantur posse, & vnum pro altero sæpe accipiatur. Est tamen inter illa discrimen siue Mysticos, siue Scholasticos consulamus.

## PRIMA DISQVISITIO. Quotuplex sit Raptus ratione subiecti?

RESPONDEO esse duplicem nimirum: Corporis, & mentis. De priori non pauca sunt exempla.

Genesis 5.24. de Henoch. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quo loco, verbum, quo vtuntur LXX[ta] Et S. Paulus Hebręor. 11.5. *μετατίθεικεν*, & Hebręum לקח *Laqach* reddi potest, *rapuit:* nempe, corpore, & anima, viuentem, quo? declarat Siracides Ecclesiast. 44.16. *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum.* Ad eundem modum

Lib. 4. Regum 11. xi. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Vbi cœlum pro aëris regione poni existimant Interpretes: vt sit sensus. De terra sublatum in aera: & per aerem in paradisum. Vt explicat S. Gregorius Homil. 29. in Euangel. Quo pacto Enoch Ambrosius dicit raptum in cœlum. *Lib. de paradiso ca. 3*

Actuum 8.39. *Spiritus Domini rapuit Philippum.* Quod fecisse Angelum in Spiritu S. inquit Hieronymus. Sic *Isa. 63.*

Danielis 14.35. Habacuk fuit translatus in Babylonem.

Ezechiel quoque c. 4.3. memorat se raptum in cincinno capitis ad inspiciendas visiones magnas. Quem Prophetę raptum fuisse corporalem putat Chrysostomus: Hieronymus tamen & Theodoretus, aliiq; existimant in spiritu solum translatum.

Chri-

Li. de Spir. S. Amb. in symbol. circa fin. Christus etiam Matthæi 4. ab Angelo raptus fuit, cui tribuitur nomen spiritus, vt obseruat Didymus, & docet Ambrosius.

1. Thessalon. 4. 16. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra.* Raptum mentis celebrat etiam scriptura. Sic raptus putatur Ezechiel qui de se scribit: Spiritus leuauit me, & assumpsit me. Ezech. 111. 14. Et, facta est super me manus Domini, & adduxit me illud. Ezech. 40. 1. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel, aliique multi Prophetæ, raptus fuit Paulus ad tertium cœlum, rapiuntur è Mysticis plurimi, qui dicere possunt cum Ioanne Fui in spiritu in dominica die. Apocal. 1. 10.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quomodo conueniant raptus corporis & mentis.

RESP. Quod vterque sit translatio seu motus vnus, proprius: alter metaphoricus. Quemadmodum raptus corporeus transfert personam de loco in locum: ita spiritualis transfert animam: non quidem à corpore: sed operationib. corporeis, ac sensibilibus, & eleuat ad diuina contemplanda.

## TERTIA DISQVISITIO. Quomodo raptus distinguatur ab ecstasi?

IOann. Gerson opusc. de Theologia Mystica considerat. 36. postquam docuit, amorem rapere ad amatum, & extasim facere: Raptum sic definit. Est eleuatio potentiæ alicuius supra inferiores potentias, & ex actuatione eius in sua operatione cessantibus, vel debilitatis actibus inferiorum potentiarum. Item: Raptus est fortis actuatio, & vehemens in superiori potentia, vnde cessant operationes inferioris potentiæ, vel ita debilitantur, & ligantur, vt superiorem in sua operatione nequaquam impediant.

Putat autem Gerson, speciem raptus esse ecstasin, quod hæc fiat in superiore portione animæ rationalis, quæ spiritus, mens, aut intelligentia nominatur: dum mens ita in suo actu suspensa est, vt potentiæ inferiores cessent à suis actibus: adeo, vt nec ratio, nec imaginatio, nec sensus exteriores: imo, quandoque nec potentiæ naturales, nutritiuæ, & augmentatiuæ, & motiuæ possint exire in suas proprias operationes.

Itaque distinguit raptum & ecstasin: quod raptus sit minoris effi-

efficaciæ in suspendendo, vel impediẽdo actum inferiorem: & quod esse possit in omni potentia superiore respectu inferiorum. Ecstasis autem in sola mente fiat: & actus inferiorum potentiarum, non solum debilitet, sed tollat funditus, quam diu durauerit.

Talem raptum vult fuisse Pauli: quasi per tertium cælum significetur potentia, quæ rapta fuerit: nimirum, in anima, si vim cognitiuam spectes, tertium cœlum est mens, aut intelligentia: si affectiuã, apex mentis, aut eius scintilla, vt lib. I. est explicatum. Deinde, indicatur cessatio ab actibus omnium potentiarum inferiorum: alioqui enim, quomodo nesciisset in corpore ne, an extra corpus fuisset? Definiri ergo potest ecstasis: Est raptus mentis cum cessatione operationum omnium in potentiis inferioribus.

Diuersum in hoc est iudicium Scholasticorum, qui D. Thomã sequuti, raptum tanquam speciem constituunt, ecstasim vero genus, vt raptus addat quidpiam supra ecstasim. Nam S. Doctor sic disputat SS^dæ quæst. 175. artic. II. Raptus violentiam quandam innuit. Violentum autem dicitur, cuius principium est extra, nil conferente eo, quod vim patitur ex III. Ethicor. I. Quocirca, cum quilibet conferat ad id in quod tendit secundum inclinationem propriam siue naturalem, siue voluntariam: oportet, vt is qui rapitur ab aliquo exteriori, rapiatur ad quidpiam diuersum ab eo, in quod tendit eius inclinatio: diuersum dico, seu, quoad terminum, seu, quo ad modum tendẽdi. Cum igitur connaturale sit homini ad diuina conscendere per sensibilia: si eleuetur vi quadam superiore, cum violentia, & abstractione à sensibus, dicitur rapi. Quare glossa ad illud II. Corinth. 12. Scio hominem raptum vsq; ad tertium cœlum: exponit, raptum: id est, contra naturam eleuatum.

Est igitur Raptus mysticus contemplatiuorum excessus mentis, siue ecstasis, non qualiscumque nec qua mens suauiter ad secessum tendit, & intra se colligitur, abstrahiturque à sensuum officiis: sed qua per violentiam quandam à sensibilibus auellitur, & ad diuinorum inspectionem amoremque subleuatur, celerrime, ac potentissime. Quod supremum quid esse in orationis mentalis genere agnoscit Io. Climacus, qui sic scribit gradu 21. de oratione: *Orationis initiũ est luctus in animo aduenientes solo & tacito mẽtis imperio ex ipsis initiis fugare: medium vero cum in his, quæ dicuntur, vel cogitantur mens tota est: finis autem* RAPTVS *in* DEVM *Quid est mihi in cœlo? Nihil nisi semper in oratione absque vlla distractione adhærere?*

Explicat rationem Raptus Iacobus Aluarez exemplo populari; Si homo, qui per gradus scalæ ceperat in altissimam turrim con- *Aluarez to. III. li. 5. par. III. c. 9*

scendere, subito per aera raperetur, & celerius, quam si volaret, in summitate turris poneretur: ita se habet anima: quę modo suo [illegible]naturali, vel per auxilium gratiæ se conditioni naturali accommodantis in Deum ascendebat, subito rapitur, & citissimo quodam volatu in abysso quadam lucis, ac ardoris constituitur.

## QVARTA DISQVISITIO. Quomodo diuidatur Raptus Mysticus?

RESPOND. I. Cum ex ijsdem causis oriatur raptus è quibus Ecstasis: si diuisio ex caussis sumatur, dicetur esse raptus deuotionis, admirationis, exultationis, ex distributione Richardi Victorini, de qua supra. Sed quoniam, deuotio & exultatio pertinent ad affectum, admiratio ad intellectum; cômunis raptus partitio est in raptũ iutellectus, & raptum adfectus. Ille caussatur ex insueto lumine iste
Exer. III. ser. 49. in Cant. ex maximo amoris, & exultationis feruore. Quod confirmatur verbis Bernardi, quibus similem ecstasis diuisionem stabiliuimus.

Theol. myst consid. 36. Ioannes Gerson, raptum intellectus appellat raptum in spiritu: Raptum adfectus, vocat raptum extra spiritum: Nisi forte aliter, inquit, velimus distinguere hos raptus penes obiecta: vt raptus in spiritu, dicatur, respectu intelligibilium sub Deo: raptus supra spiritum, respectu diuinorum. Et forte vtramque acceptionem in Scripturis legimus permixtim. Inuenimus enim de Regina Saba, quod non habebat vltra spiritum quoniam admiratio vehemens suspenderat actus omnium potentiarum in ea respectu eorum, quæ de sapientia Salomonis fuerat contemplata. Et hoc potest dici *Stupor*: vel, *Spasmus*.

RESPOND. II. Mysticos diuidere raptum in imaginationis, rationis ac mentis. Raptus imaginationis, inquit Gerson, fit super vires sensitiuas inferiores per amoris affectionem. *Manifestum est, quod amoris, vel desiderij affectio, potest tanta fictione virtutem imaginatiuam trahere, vel rapere, quod potentiæ inferiores sensuum exteriorum obiecta propria sis opposita non attendunt. Hoc sumpsit Philosophus ab experientia. Hic est raptus primus in primo animæ cælo: quem principaliter efficit feruidum desideriũ rei per imaginationem præsentatæ: neque enim sola imaginatio profundam fictionem facere sufficeret. Videmus hunc raptum in philocaptis, alijsque plurimis, quos melancholicos, atque phantasticos vocamus: & quibusdam repente timentibus, & iratis, aut vehementer Zelantibus.*

*Raptus rationis in actu suo super potentias inferiores fit per voluntatis amo-*

*amorem. Fecerunt hoc perspicuum studiosi perscrutatores regularum generalium, in variis artibus, qui abstrahentes à motu & materia, vel spiritualia meditantes, quærunt deducere, & ratiocinari ex notis incognita: quos aliquando voluntarius huiusmodi appetitus, cessare fecit ab operationibus, non solum sensuum exteriorum, vt nescirent, quid ab extra fieret: sed etiam, vt virtuti phantastica, & imaginatiua sua actio denegaretur: ita, vt corporeum phantasma nullum irrueret, aut irrumpere volens superiori rationis voluntatisq́; virtute premeretur.*

*Raptus mentis supra potentias se inferiores fit per scintillam menti cognitam, vel appropriatam, quæ amor ecstaticus, vel excessus mentis nominatur. Manuducimur ex prioribus raptibus, qui sicut crebriores, & faciliores sunt, sic intelligibiliores inueniuntur, qualiter mens in suis actibus, taliter efferri potest, & figi, vt nulla inferiorum potentiarum illam interturbet: imo per vim suam affectiuam, ita seipsam actuet, vt vis intellectiua, neque se, neque alia recogitet.*

Addit Gerson: *Sicut imaginatio, vel alia vires superiores super sensus exteriores efferuntur, & rapiuntur: sic è contra, constat animam, quandoque sic detineri circa sensationem exterioris obiecti per tactum, gustum, aspectumque, quod operationes potentiarum superiorum cessant, aut impediuntur. Hoc autem propriè non dicitur* RAPTVS, *sed* TRACTVS, *aut* DIMERSIO: *dum per potentiam inferiorem superior deorsum rapitur, & ab actu suo compellitur cessare. Quod fit in nobis ex corruptela peccati heu nimis faciliter ac frequenter.*

## QVINTA DISQVISITIO. An raptus mysticus, pertineat magis ad vim cognoscitiuam, quam appetitiuam?

IOan. Gerson consideratione 36. de Theol. Mystica, ex instituto probat, affectionem magis, quam cognitionem raptum caussare? Dicit enim Dionysius, quod probant ceteri Theologi: Amor ecstasin facit. Amor autem spectat ad vim affectiuam: & est pondus: vt non male dixerit sapientum quidam: Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror. Oportet igitur, quod amor sit trahens & rapiens. Feruntur sane grauia ad locum stabilitatis, & quietis suæ tractu quodam potius, quam ex cognitione huius centri siue ponderis, tendentis ad centrum mundi. Hoc palam est in grauibus cognoscentibus, quæ cessante omni sua cognitione, nihilominus deorsum non impedita feruntur. Et licet amor, maxime talis, qualis est

Mysticus magis accedat fortasse ad leuitatis similitudinem, cuius est superferri: tamen hæc ipsa leuitas pondus quoddam dici potest, sensu eius, qui dixit, amor meus, pondus meum.

Rursus, experimur inferro; quod dum affectum est per magnetem, rapitur ad ipsum prorsus sine cognitione. Sed & virtus nutritiua nutrimentum graue sursum trahit non operante virtute cognitiua.

2. 2. q. 175. art. 2. At S. Thomas distinguens raptum ab ecstasi, concedit ecstasin posse ad vim appetitiuam pertinere: nempe, quando alicuius appetitus tendit in ea, quæ extra ipsum sunt. Nam ecstasis importat simpliciter excessum à seipso. Quia tamen raptus supra ecstasin, addit quandam violentiam, negat illum esse partis appetitiuæ. Siquidem raptus, est præter inclinationem eius, qui rapitur. Sed motus appetitiuæ virtutis est quædam inclinatio ad bonum appetibile. Ergo ex eo quod appetit, proprie non rapitur, sed per se mouetur.

Respondeo I. Raptum mysticum caussaliter spectare posse ad vim appetitiuam. Constat: quoniam ex eo, quod appetitus vehementer ad aliquid afficitur, contingere potest, vt homo ab omnibus alijs cum violentia quadam alienetur. Sic dicimus raptus causam esse feruorem: nempe, æstum amoris, eiusque vehementiam. Amor quippe, si excellens sit, animam extra se ponit: id est, extra modum ordinarium, & communem naturæ cursum.

Respondeo II. Raptum mysticum interdum spectare ad vim cognoscitiuam. Patet: quia reuelationis vehementia mens sæpe extra se rapitur: & tunc raptus dicitur effici à luce: quando nimirum fulgor lucis diuinæ cœlitus emissus ita animam illustrat, ac irradiat vt sensuum functiones deserat, quo magis diuinorum contemplationi, aut intuitioni vacet. Quocirca, ad illud Psalmi CXV. *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax:* Glossa, ex Augustino scribit; Dicitur hic Ecstasis, cum mens non pauore alienatur, sed aliqua inspiratione reuelationis sursum adsumitur. Reuelatio autem pertinet ad vim intellectiuam. Ergo & ecstasis, seu raptus.

Respondeo III. Raptum mysticum secundum effectum esse in potentia appetitiua. Hoc autem tunc contingit, sensu S. Thomæ, cum quis delectatur in his, ad quæ rapitur. Quamobrem Apostolus scribit se raptum, non solum ad tertium cœlum, quod pertinet ad contemplationem intellectus: sed etiam ad paradisum, quod pertinet ad affectum.

Respondeo IV. Raptum mysticum, tum formaliter, tum quoad effectum esse maxime in virtute cognoscitiua. Liquet: quia raptus mysticus est gradus quidam contemplationis: hæc autem for-

mali.

formaliter est actus intellectus. Vnde dicitur raptus rationis & mentis.

RESPONDEO V. Bifariam, hominem secundùm appetitum, posse ferri extra se. Vno modo: quando appetitus rationalis totaliter in diuina tendit, prętermissis his in quæ inclinat appetitus sensitiuus. Atque ita S. Dionysius capit. 4. de diuinis nom. scribit, quod Paulus ex virtute diuini amoris ecstasin facientis dicat: Viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Christus. Alio modo, cum prætermisso appetitu superiore, homo totaliter fertur in ea, quæ pertinent ad appetitum inferiorem. Atque ita vt docet S. Gregorius lib. 11. Dialog. cap. 11. qui porcos pauit, vagatione mentis, & immunditie sub semetipso cecidit.

Notat autem S. Thomas hunc excessum siue ecstasin magis accedere ad rationem raptus, quam priorem, quia appetitus superior est magis homini proprius. Vnde quando homo ex violentia appetitus inferioris, abstrahitur à motu appetitus superioris, magis abstrahitur ab eo, quod est ipsi proprium. Quia tamen non est ibi violentia: eo quod voluntas possit resistere passioni, deficit à vera ratione raptus: nisi forte tam vehemens sit passio, vt vsum rationis totaliter tollat: sicut contingit in his, qui propter vehementiam iræ vel amoris insaniunt. Q. 175. art. 11. ad 2.

RESPONDEO VI. Vtrumque excessum secundum appetitum, posse caussare excessum cognoscitiuæ virtutis, vel quia mens ad quædam intelligibilia rapiatur alienata à sensibus: vel quia rapiatur ad aliquam imaginariam visionem seu phantasticam apparitionem. Ita S. Thomas.

## SEXTA DISQVISITIO. An in Raptu sit perfectus vsus rationis, quoad intellectum.

RESPON. I. Quando est raptus mentis cum abstractione ab vsu phantasmatum, tunc interuenire perfectam cognitionem intellectus, seu vsum rationis. Prob. Quia tunc est perfectissimum genus contemplationis quod sine perfecta intellectione esse non potest. Confirmatur exemplis, Christi, B. Virginis, & Adami: qui illo genere contemplationis excelluerunt. Vt Tom. 1. Theologico est demonstratum.

RESP. II. Specierum infusionem, quibus in raptu tunc vtitur intellectus non esse liberam. Patet, quia Deus illas imprimit vim non

non conferente passo: illoque non agente, sed solum recipiente. Id constat in speciebus scientiæ infusæ. Et quia gratis Deus, ac fere sine dispositione recipientis illas infundit.

Resp. III. Vsum illarum specierum posse esse liberum etiam in raptu. Prob. Quando non necessitatur intellectus ad operationem, est libertas quoad vsum sed potest Deus non necessitare intellectum. Ergo manebit liber quoad exercitium. Id Christo, B. Virgini, aliisque Theologia infusa claris euenisse dixerim, de quibus actum tom. 1. Theolog. variæ.

Respond. IV In raptu primam apprehensionem rerum quæ repræsentantur, sæpe esse sine vsu libero contemplantis, Deo ad vitalem illam, & intellectualem operationem gratiose concurrente. Consentiunt in hoc Scholastici cum Mysticis. Sic Dionysius Carthusianus opusculo de laudib. vitæ solit. artic. 36. scribit, intellectum hominis ita interdum eleuari ad ecstasin, vel raptum, vt ipse non possit reniti: quod libertas arbitrij ad horam quasi sit suspensa & sopita. Ac D. Bonauentura in septimo processu religionis cap. 18. ob eam caussam dicit visionem non esse meritoriam. Ratio responsi est: Quia antequam Deus ita mirabiliter operetur in anima contemplãtis, non est in homine principium internum quo se ad illam apprehensionem applicet. Deinde, non est præuium aliquod iudicium sine quo non est vsus liberi arbitrij.

Resp. V. Quoniam apprehensionem sequitur iudicium, quod est cognitio ab apprehensione diuersa: quando istiusmodi cognitio vel reuelatio est euidens, ac scientifica: qualis est, quæ haberi potest radio scientifico, Theologiæ infusæ, vel prophetiæ: tunc iudicium non est liberum. Non quidem, quoad exercitium: quia cum intellectus motione diuina sit applicatus ad apprehensionem absque libertate: non potest deinde suspendere iudicium, quia est potentia tunc naturaliter agens. Non etiam quoad specificationem, quia hãc libertatem tollit euidentia.

Quando autem reuelatio est obscura, sicut fuit in Angelo agente in via, & Adamo soporato, iudicium est liberum. Nulla enim tunc est caussa necessitans ad assentiendum: estq; assensus ille fidei, qui liber est, vt constat ex SS^dæ Tit. Fides.

Respond. VI. Quando est in raptu contemplatio per conuersionem ad phantasmata, posse esse liberum vsum rationis, tum quoad apprehensionem actualemque repræsentationem rerum, tũ quoad iudicium de veritate rerum, quæ in contemplationem venit. Ratio. Quia neq; conuersio ad phantasmata; neque raptus istiusmodi

modi poteſt impedire perfectum vſum rationis. Qui etiam in ſomnis eſſe poteſt, ſi in eo mens diuinitus illuſtretur, & ad contemplationē diuinarum rerum euehatur. Quare habuiſſe hanc libertatem in myſterioſo ſuo ſomno Salomonem aſſerunt Dionyſius Carthuſ. & Hugo Cardinal. III. Reg. III. Quo etiam loco idem indicant Gloſſa interlin. & ordin. ac Lyran. Ex Scholaſticis autem Alexand. Alenſ. 4. p. quæſt. c I. Memb. III. art. III. § II. ad I. Bonauentura in II. diſtinct. 25. parte ſecunda diſtinct. quæſt. vlt. Richard quodl. I. q. 17. ad vlt. Et inſinuant illi PP. qui docent, Salomonem in ſomno vere oraſſe, ac per orationem impetraſſe ſapientiam, quod non fit abſque libertate. Sic Ambroſius Apolog. II. pro Dauid capit. 4. & in Pſal. 118. Octon. 18. Tertull. libr. 4. contra Marcion. capit. 15. Eucherius quæſt. II. in libro III. Reg.

RESPOND. VII. Contemplationem, quæ eſt in raptu non videri actum liberum, & meritorium proxime, licet remote à libero actu voluntatis originem ducat. Ita Franciſcus Suarez. Tom. II. de Relig. lib. II. de orat. cap. 19. Qui exiſtimat contemplationem illam contingere Deo per influxum extraordinarium mouente tam efficaciter intellectum, vt neceſſitatem illi inferat ad operandum, atq; attendēdum tali modo: nā non videtur voluntas poſſe ſua motione tā potenter applicare intellectum ad operandum. Neque eſt abſurdum, actum intellectus, cum perfecta cognitione, & iudicio antecedere omnem motionem voluntatis, eſſeque ſolum ex illuſtratione, ac motione diuina. Remote tamen poteſt ille actus eſſe liber, quatenus voluntas applicat intellectum ad conſiderationem ſeriam, ſicque paullatim Deo operante peruenit ad contemplationem perfectiſſimam vſq; ad ecſtaſim vel raptum.

Conſentit Iacobus Aluarez lib. 5. cap. II. qui duo ſtatuit. PRIMVM: Opus intellectus & imaginationis in ſomno, ecſtaſi, & raptu, ordinarie nullum habere meritum ob defectum libertatis: quoniam trahitur à Deo, nec ſinitur aliud cogitare. SECVNDVM. Fortaſſe poſſe Deum in raptu ita confortare intellectum & mouere, vt non tam trahi, quam duci dicendus eſſet, poſſetque tunc aliis quoque intendere, tunc autem eſſet in eo meritum. Et hoc contigiſſe Adamo & Salomoni exiſtimant aliqui.

Addit tamen, videri has notitias liberas in raptu eſſe contra naturam raptus, quæ hominem aptum ad alia cogitanda aut ceſſandū à cognitione non relinquit. Itaq; negat ſimpliciter eſſe meritorias, licet ſint initia quædam meritorum ſubſequentium.

SEPTI-

## SEPTIMA DISQVISITIO. An in raptu actus amoris sit liber, ac meritorius?

RESP. I. Quando in raptu est contemplatio pure intellectualis independens à phantasmatum concursu, tunc ex vi contemplationis non impeditur vsus libertatis in voluntate ad amandū. Constat exemplo Christi, qui liberrimos habuit actus voluntatis licet per scientiam infusam contemplationi altissimæ & purę vacaret. Ratio est. Quia tunc actus voluntatis est liber, quando in intellectu est iudicium perfectum circa rem contemplationi subiectam: & cognitio libera. Vtrumque autem potest esse, quando in raptu est contemplatio istiusmodi intellectualis.

RESPON. II. Etiamsi in raptu intellectus notitia sit necessaria (quia à Deo rapitur cum tanta efficacia ad attendendum, vt caussetur ecstasis) tamen actum amoris, aliasque eiusdem potentiæ operationes posse esse liberas. Probatur exemplis eorum, qui in talibus contemplationibus libere operati fuerunt, vt Salomon: qui tunc libere elegit sapientiam: Adam, qui in sopore ecstatico actum liberum fidei exercuit: Petrus, qui Actuum 10. cum audisset, *macta & manduca:* respondit, *absit Domine:* quod eum dixisse ex affectu ad legis obseruantiam prono norant Chrysostomus, & Theophyl. atq; in eo meritum agnoscit Ambrosius. RATIO. Quia nihil est in tali raptu, quod libertatem voluntatis impediat. Non Deus rapiens: quur enim is tunc voluntatem necessitet? cum sic priuaret contemplantē merito, quod amando, aliasque operationes pias exercendo habere solet. Quis dicat Mysticum in raptu cum Deo perfectissime vnitur, nil mereri? Non Deus vt obiectum cognitum & amatum. Quia hoc modo non aufertur libertas voluntati, aut necessitatur, nisi per visionem, non autem per notitiam abstractiuam in via, licet perfectissimam. Non actus intellectus necessarius: quia necessitas in actu intellectus non adfert per se necessitatem in voluntate: quia hæc nihilominus manet actuum suarum domina, vt paret in Angelo, in quo, primo creationis instanti fuit actus necessarius in intellectu cum libertate voluntatis. Non abstractio à sensibus: quia hæc neque mentem turbat, neq; vim voluntati infert, imo magis attenrionem, & affectus voluntatis promouet. Vide Iacobum Aluarez lib. 5. cap. 11.

Chrys ho. 22. lib. 11. de Sp. S.

OCTA-

## OCTAVA DISQVISITIO. Quodnam ſit proprium ſubiectum raptus?

NOn eſt probandum, quod habet Antonius Mocenicus libr. de tranſitu hominis in Deum cap. 13. Subiectum raptus debere eſſe mediam ſubſtantiam inter mortalem & immortalem: qualem ſubſtantiam dicit eſſe animam rationalem. Quam fides docet totam quantam eſſe immortalem, ſicut eſt indiuiſibilis. Itaque

RESP. Subiectum raptus eſſe animam incorpoream, indiuiſibilem, immortalem. An ſecundum ſe totam. Si ſubtilius quid inquirere lubet, non ratione intellectus agentis, ſed poſſibilis, ad quem ſpectat contemplatio, quod non male probat Mocenicus cap. 30.

## NONA DISQVISITIO. An raptus omnis ſit ſucceſſiuus?

ADfirmat Mocenicus. qua perſuaſus argumenti efficacia ignoro. Quis enim neget, Deum momento animam ad ſe eleuare poſſe & in ecſtaſim rapere? Poſtea tamen fere continuari ſolet raptus & ſucceſſionem in duratione habere. Præparationes quoque, quibus ad raptum ſe diſponit Myſticus fere ſucceſſiuæ ſunt. Porro diſponi contemplatiuos ad raptum deſiderij vehementia, alijſque operationibus pijs bene docet Rodericus Doſma Deigradus li. 1. de Auctor. SSræ capit. 12. Quamuis nonnunquam aliqui, vt Dei gratuitum donum agnoſcatur, abſq; vlla præparatione rapiantur.

Putat autem Suarez in hoc præparationum genere, deſiderium voluntatis, quod hoc actu continetur: Volo cum tanta attentione mentis de Deo conſiderare, vt nihil aliud cogitare, vel ſentire valeã, quod perinde eſt, ac ſi diceretur: volo in ecſtaſin rapi eſſe non ſolum vanum & præſumptuoſum, ſed etiam naturaliter impoſſibile: nimirum, vt effectus ſequatur. Quia non ita ſubijcitur attentio animæ applicationi voluntatis, vt poſſit efficacitate ſua directa totam illam colligere ad vnum actum vnius facultatis, & à ceteris facultatibus ita illam abſtrahere, vt moueri non poſſit, etiamſi obiecta proponantur ſufficienter ad mouendam illam, ſicut in raptu ſiue ecſtaſi fit. *Tom. 1. de Rel. li. 11. de or. ca. 19.*

Quocirca monent ſpiritualium rerum magiſtri, nominatim Iacob. Aluarez lib. 5. cap. 10. deſiderium exceſſuum, raptuum, & reuelationum cohibendum eſſe Myſtico, imo, reijciendum? de quo com. ſequenti.

## DECIMA DISQVISITIO. Quæ caussa finalis raptus?

RESPONDEO. Vnio intima cum DEO. Dicit enim Mysticus vere

*Tu requies tranquilla piis, te cernere finis*
*Principium, Vector, Dux, Semita, Terminus idem.*

Ergo non idcirco rapitur homo & alienatur à sensibus, vt trunci instar operatione omni destituatur: aut corporaliter dormiat: sed vt liber ab omni alia occupatione, præterquam spirituali & vnitiua, in Dei amplexus suauissime feratur ibique conquiescat.

## VNDECIMA DISQVISITIO. Qui sint effectus raptus in anima?

RESP. Ad vnionem conducunt effectus eximij, quos in raptu anima experitur. Inter hos est singularis quædam lux, qua mirum in modum mens illustratur. de qua sic Richardus lib. 4. de contemplat. cap. 16. Bibunt quodammodo, qui ex diuinis reuelationibus summa cum facilitate, & iucunditate hauriunt, quod de intima veritatis suauitate ardenter concupiscunt. Cari ergo comedunt, sed carissimi bibunt, quia secundum mensuram dilectionis, dispensatur, & modus manifestationis. Ebrietas autem mentis alienationem efficit: & supernæ quidem reuelationis infusio eos duntaxat, qui carissimi sunt, in mentis excessum abducit.

Illustrationem comitatur amor de quo idem. Tertius amoris gradus est, quando mens hominis in illam rapitur diuini luminis abyssum; ita vt humanus animus in hoc statu exteriori omnium oblitus penitus nesciat se ipsum, totusque transeat in Deum suum, & faciat, quod scriptum est: Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum. In hoc itaque statu, dum mens à seipsa alienatur, dum in illud diuini arcani secretarium rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio vndique circumdatur, intime penetratur, vsque quaque inflammatur, seipsam penitus exuit, diuinum quendam affectum induit, & inspectæ pulchritudini configurata tota in aliam gloriam transit.

Vide, quid intersit inter ferrum & ferrum: inter ferrum frigidum, & feruidum: hoc est, inter animum, & animum: inter animum tepidum, & animum diuino incendio inflammatum. Cum enim ferrum in ignem proijcitur, tam frigidum, quam nigrum procul dubio vide-

videtur: sed dum in ignis incendio moram facit, paulatim incalescit, paullatim nigredinem deponit, sensimque incandescens paullatim in se ignis similitudinem trahit, donec tandem totum liquefiat, & à seipso plene deficiat, & in aliam penitus qualitatem transeat. Sic itaque, sic anima diuini ardoris rogo intimique amoris incendio absorpta, æternorumque desideriorum globis vndique circumsepta, primo incalescit, postea incandescit: tandem autem tota liquescit, & à priori statu penitus deficit.

Inter effectus mystici raptus numeratur humilitas, vt differit S. Bonauentura libr. de quinque visionibus sermone III. Quia quanto quis altius eleuatur, tanto fit humilior. Cerne Paulum, qui post raptum etiam ad cubile matrimonij determinandum descendebat per humilitatem. Vnde dicitur Iobi 39.30. *Numquid ad praeceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum? vbicumque fuerit cadauer statim adest.* Mira quædam dixerat de Aquila, & de altissimo eius volatu: sed mox de humilitate ac descensu ad cadauer subiungit. Idem accidit Mystico: qui quo magis exaltatur per raptum, eo magis se humiliat. Quod ni faceret, facile omnis contemplationis gratia euanesceret.

## DVODECIMA DISQVISITIO. Quos affectus habeat raptus in corpore?

VIdetur hos complexus Dionysius Carthusian. opusculo de Fonte Lucis Rap. art. 18. his verbis. Ex tanto contemplationis excessu, amorisque impetu, ardore, & ebullitione, generantur, per redundantiam quandam in parte sensitiua, ac corpore, languor, debilitas, mæror, ac macies: detestatio corporei alimenti, impotentia vsus, ac motus membrorum, ac sensuum, & totius corporis rigor. Nec in his actibus sanctis mens tempus aduertit, moras non percipit: imo, in his vehementissime admiratur, nec sufficit admirari anima sancta caritatem, pietatem, dignationem, & munificentiam Dei circa se, & in se: tam amarose & familiariter, tam gratiose, & munificenter se ei ostendit, communicat, applicat, & infundit. Amplius, quoniam amor ingreditur, vbi scientia permanet foris, dum mens contemplationi mysticæ est intenta, inflammato, & velut commoto, ac irritato amore incipit amor ipse quodammodo ebullire, ac superferuere, suaque sacra violentia totum corpus concutere. Quod autem feruet, quadam caloris, ac desiderij sui violentia extra seipsum proijcitur, & su-

pra se tollitur, quasi ibi esse dedignetur. Vnde tam vehementer se ja-ctat. Sic & mens transfixa amoris feruore, quasi extra corpus jactare se nititur, & vsque in summum volare molitur.]

Itaque multa in raptis fiunt, quæ speciem habent minus sobriorum: eleuatur corpus, deprimitur: in terra extenditur: immotum hęret, expallescit subito: rubore suffunditur, aliaque contingunt, quæ in arreptitiis, & ebriis videntur: sed ab alio proueniunt spiritu, quam in ijs, & alterius ebrietatis sunt effectus. Anima tamen supra omne illud, vbi perturbationes regnant eleuata, tranquillissime Deo fruitur.

## TERTIA-DECIMA DISQVISITIO. Quomodo differat ecstasis, aut raptus mysticus, ab erroneo & condemnato Montani hæresiarchæ.

NE Mysticis calumnia inferatur, quasi cum Montano conspirent: Aduerto, Montanum sensisse Prophetas ita fuisse raptos, vt non intelligerent quod videbant, vel loquebantur: sed loquutos, vt fanaticos, & amentes. Quem errorem sequutus est Tertullianus auctore Hieronymo opusc. de Scriptoribus Eccles. & Nicephoro lib. 4. Historiæ cap. 22. & 34. qui scribunt Tertullianum composuisse libros sex de ecstasi contra Ecclesiam: volebat autem, ecstasin esse operationem spiritus, quæ in amentiam rapit, ac insaniam vt doctiss. Pamelius ex varijs Tertulliani locis ad librum de Ecstasi deducit. Verum hanc opinationem veram esse insaniam bene probat Hieronymus ex D. Paulo 1. Corinth. 14. & declarat S. Thomas Sda Sdæ q. 173. art. 3. & 4.

Ecstasis autem mystica, & eiusdem denominationis raptus, nullo pacto dici potest dementia, vel insania, cum fiat cum notitia ac cognitione perfecta intellectus, vigeatque in Mystico rapto iudicium rationis: quamuis non sit siue quoad inceptionem, siue durationem voluntaria: quod amentiam non arguit.

Exempla raptuum mysticorum plurima sunt, sparsa per Sanctorum historias tum veteres, tum recentiores. Illustris est ille EZECHIELIS, de quo ipse. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter terram & cœlum, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei. Hunc enim raptum non fuisse corporeum, sed spiritualem, quo mens & intelligentia auulsa fuerint à corpore, & à sensuum officiis absolutæ plurimi censent. Inter quos S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 7. *Quid est*, inquit, *cincinnus*

*cinnus capitis, nisi collecta cogitationes mentis, vt non sparsa diffluant, sed per disciplinam constricta subsistant? Manus ergo desuper mittitur, & propheta per cincinnum capitis eleuatur: quia cum nostra mens sese per custodiam colligit, vis superna seorsum nos ab infimis trahit.*

Quibus declarat, animam dum rapitur in vnum coactas habere cogitationes omnes suas, à sensuum vero externorum officiis feriari. Notat autem S. Hieronymus, non capillum totum, sed capillorum partem comprehensam fuisse: *Pars*, inquit, *comprehenditur capillorum, quia totius comprehensionem capitis humana natura non sustinet.* Quo significare videtur, in qualibet contemplatione, quantumuis perfecta, & in qualibet ecstasi partem aliquam cogitationum rapi, & sopiri posse, omnes omnino non posse: eo quod mens, quantumuis ad altissimum rapta culmen pedissequas habeat phantasiæ operationes. Atque ita è recentioribus sentit Antonius Fernandius Præludio 8. in visiones: quod est de ecstasi prophetica. Sed posse esse contemplationem puram sine phantasmatum incursu suo loco demonstrauimus.

Nobilissimus deinde fuit raptus Pauli Apostoli de quo II. Cor. 12. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore siue extra corpus, nescio:* DEVS *scit*, RAPTVM *huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore: siue extra corpus, nescio, Deus scit quoniam* RAPTVS *est in paradisum.* De quo raptu multa quærunt ac disputant SS^tæ Interpretes, ac Scholastici. Bodinus ex eo probat in raptu animam migrare è corpore. At Paulum scisse animā non fuisse tunc extra corpus, siue se mortuum, alij asserunt: ita tamen loquutum Apostolum: quoniam, vt obseruat Thomas Aquinas, modum quo anima tunc existebat & ab omni sensuum functione abstracta contemplabatur cælestia, ignorabat. Certe, interpretum nullus, nullus Scholasticorum affirmat in eo raptu Pauli animam fuisse à corpore separatam.

Raptum D. Francisci sic memorat S. Bonauentura visus est nocte manibus ad modum crucis protensis toto corpore subleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, vt illustrationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus perlustratio testis esset. *Lib. 1. vitæ cap. 10.*

Similem contigisse S. Dominico non dubito, eo præsertim tempore cum in Missa corpus Christi purissimis manibus in altum eleuaret, cunctis, qui aderant spectantibus, ac stupentibus: ipse vero cubiti vnius altitudine è terra subleuatus hæreret. *Vita lib. 1. cap. 6.*

Quod pene genuinum est cum eo, quod Francisco Xauerio communionem distribuente contigit in India. *Tursel. lib. vita.*

Maffa.li.1. cap 7. Ignatij quoque Fundatoris nostri admirandus fuit ille raptus, quo à completorio sabbati ad proximi sabbati completorium, in altissimo quodam excessu perstitit.

§.64. Frequentissimos autem raptus habuit S. Mater Theresa: de qua ita vitæ Scriptor: Erat eius oratio non solum assidua, sed adeò feruēs, quod statim ac sese in orationem recipiebat, confestim extra se raperetur: sæpe etiam absque vlla præparatione spiritus efficacia percussa ab vsu sensuum abstrahebatur: aliquando etiam ex his raptibus cum summis exclamationibus & lacrymis reuertebatur, in quib. magnam noctis partem insumebat.



# COMMENTATIO. APPARITIO MYSTICA.

## EXERCITATIO I.

## *APPARITIO CORPOREA.*

Solent contemplationibus vehementer intenti, non interius solum illustrari à Deo, verum exterius quoque non raro rerum personarumque sacrarum, ac diuinarum imaginibus, ac obiectis recreari, apparente ijs corporea specie vel Christo vel Deipara, vel è cœlitum numero quopiam alio. Atque idcirco apparitionem corpoream hanc, quidam, vt gradum contemplationis constituunt. Circa illam vero est

### PRIMA DISQVISITIO. Quid sit Apparitio corporea?

RESPOND. Apparitionem corpoream, vel corporatam: vel etiam sensibilem, aut visibilem mysticam voco, quando Deus, Christus, Deipara vel Sanctorum aliquis, obiecto sensibus corporeis simulacro sui, se vidēdum, vel audiendum, vel contrectandum præbet. Cōtingere hanc apparitionem aliquando negari non potest. Asserunt id clarissime Augustinus libr. 5. de ciuit. capit. 23. Isidorus de summo bono

bono cap. 12. Bernardus ſermon. 5. in Cantica. Damaſcenus lib. 11. de fide cap. 4. Gregorius lib. 28. Moral. ca. 2. & ex recentioribus omni argumentorum genere Delrius lib. 11. Diſquiſ. Mag. q. 26.

## SECVNDA DISQVISITIO. Quorum miniſterio fiant apparitiones corporeæ?

RESP. I. Probabile eſt, omnes apparitiones corporatas, quibus Deus hominibus ſe videndum dedit, factas fuiſſe per Angelos, qui in corporibus aſſumptis perſonam Dei gerebãt: ideoque loquebantur, ac excipiebantur, tanquam ſi Deus ipſe fuiſſent: nempe, legati perſonam principes ſuſtinent, & eius verbis agunt. Ita cenſent S. Dionyſius cap. 4. cæleſt. hierar. S. Hier. in cap. 111. ad Gal. Auguſtinus lib. 111. de Trinit. cap. vlt. Gregorius in præfat. moral. cap. 1. Ex recentioribus plurimi. Itaque idem iam contingere ſi quando Deus viſibiliter ſe præſentem exhibeat dicere poſſumus.

Cyprianus tamen lib. 11. contra Iudæos cap. 5. & Hilarius lib. 4. de Trinitat. Et Nazianzen. tract. de fide exiſtimant, DEVM in adſumpto corpore viſibilem apparuiſſe Abrahæ, Moſi, ac Prophetis.

RESP. II. Non eſſe improbabile, angelos in adſumptis corporibus, tum Chriſtum Deum & hominem, tum DEIPARAM, & alios è Sanctorum numero contemplantibus repræſentare. Videtur enim minus conueniens dicere ſpiritus ipſos, ſeu animas demortuorum in talibus corporibus ſe exhibere. Non eſt tamen abſurdum exiſtimare Dei permiſſu, & ſingulari prouidentia aliquando animas aliquas vel in corporibus ab angelo formatis, vel etiam in propriis hominum obtutibus ſe obtuliſſe. Id de Moſe in monte Thabor apparente, nõnulli aſſerunt: quamuis alij in aereo, & ad id efformato corpore factum contendant, vt Strabus in cap. 9. Lucæ, & S. Thomas in cap. 17. Matth. ac 111ᵃ p. qu. 35. art. 3. Alterum tamen adfirmant Sotus in 4. diſt. 43. quæſt. 11. art. 1. Heſſelius in Matth. cap. 17. ibidemq; Maldonatus. Franciſcus Suarez 111. p. qu. 45. diſput. 32. ſect. 2. Theodorus Peltanus.

RESPOND. III. Sicut alios Angeli, ita ſe, non raro in corporibus adſumptis manifeſtant. Res certa eſt apud Scholaſticos: quimodum etiam adſirmendi docẽt accurate. Reſponſa hæc vna ſentẽtia complectitur S. Gregorius lib. 28. Moralium capit. 2. Aliquando imaginibus, & ante corporeos oculos ad tempus ex aere adſumptis per Angelos loquitur Deus, ſicut Abram non ſolum tres viros videre po-

re potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere: & non solum suscipere, sed eorum vsibus etiam cibos adhibere. Nisi enim angeli quædam nobis interna nunciantes ad tempus ex aere corpora sumerent exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent: nec cibos, cum Abram caperent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti elemento (nempe, aereo) gestarent.

RESP. IV. Apparitiones istiusmodi exteriores fieri sæpe per immutationem sensuum absque corporis assumptione. Potest enim angelus immutare oculum videntis, & similitudinem formamue inferre rei, quam vult videri. Probatur ad in Scholastica Theologia Tit. Angelus. & Tit. Eucharistia: vbi persuadetur: quando in Eucharistia videtur aliquando puerulus, nonnunquã frustillum carnis, vel quid simile, illud contingere immutatione organi.

## TERTIA DISQVISITIO. Ob causas Deus contemplatiuis aliisque suis amicis apparitiones corporatas fieri permittat?

RESP. Plurimas dari posse. Sit *Prima*, vt sic diuina animo magis imprimantur, & tenacius hæreant. Sensibus enim obiecta prius, non facile è mente excidunt *Secunda*: vt familiarius Deus & cœlites cum hominibus agant, ijsque amorem, ac beneuolentiam teneriorem demonstrent, colloquendo, arridendo, vocibus in aere formatis instruẽdo. *Tertia*: vt naturæ humanæ dignitas declaretur: ad quod valet, si spiritus beati in illius forma compareant & cum hominibus magis domestice versentur. *Quarta*: vt extet veluti pignus quoddam futuræ in patria iucundissimæ cum beatis mentibus familiaritatis. *Quinta*: vt ita excitetur mens humana ad suauiorem quendam erga DEVM, CHRISTVM, DEIPARAM, & Cœlites alios affectum; & venerationis cultum ijs corporaliter quoq; deferat. *Sexta*: vt det significationem etiam externis signis ac simulacris, quantopere delectetur virorum, vere spiritualium conuersatione *Septima*: vt homo, quãuis altissimæ contemplationis demisse sentiat de se suisque rebus, animaduertens tot sibi præsidijs opus esse, & adminiculis quoq; externis vt ad perfectionem perueniat, aut serio diuinis rebus sese applicet.

QVAR-

## QVARTA DISQVISITIO. Quanti æstimanda sit apparitio corporata?

RESP. I. Apparitionem corpoream non esse infallibile signum amicitiæ diuinæ. Siquidem & malis contingit. Exemplum habes in Pharaone, Balaam, Balthasare, Nabuchodonosore. II. Imo, posse esse signum cordis duri nimiumque sibi tribuentis, ac cui necessarius sit corporeus stimulus. Gregorius lib. 29. Moral. cap. 6. *Cum Dominus duras, atque insensibiles mentes respicit, modo eas minis, modo verberibus, modo reuelationibus terret, vt quæ pessima securitate durauerant, salubri timore mollescant.* III. Esse illusionibus dæmonum obnoxiam. Exempla veterum, ac recentium sunt innumera, quibus diabolus ita imposuit. IV. Posse oriri ex nimis vehementi apprehensione, ac melancholiæ abundantia. V. Posse in insaniam ducere. VI. Si vera sit, & bonorum Angelorum procurata ministerio, infirmam esse inter apparitiones, sicut sensus infimæ sunt potentiæ ad imaginationē, ac intellectum comparati. Ex quib. sequitur, non magni faciendam apparitionem corpoream.

## QVINTA DISQVISITIO. An optanda sit ac procurari possit vel debeat contemplationib. dedito?

RESPONDEO: Nequaquam: imo postulandum, vt non accidat suadent spiritualium Magistri. Certe, istiusmodi desiderium vanæ gloriæ tribuit S. Nilus, cuius est illa præclara sententia: *Cum mens pure & sine perturbatione orat, non amplius dæmones à sinistris oriuntur, sed à dextris: subijciunt enim illi splendorem Dei, & imaginem quandam eorum, quæ sunt amica sensui, vt videatur sibi finem ac propositum orationis perfectæ adeptus. Hoc autem quidam vir multa actione exercitatus exposuit à vana gloria proficisci simulque à dæmone locum cerebri attrectante.* Nil. de orat cap. 67.

Quomodo autem dæmon hoc desiderium inijciat ita porro Nilus describit *Existimo dæmonem, qui locum, quem dixi, attrectat, lumen menti circumfusum, vt ei libet, vertere: atque ita passionem vanæ gloriæ excitare: sic cogitatione mentem informando, vt ipsa mens coniecturam faciat diuinæ & substantialis cognitionis. Itaque cum iste carnalibus, & fœdis passionibus non agitetur: imo, pure in oratione adstet, non amplius putat aliquid in se ab aduersario fieri. Vnde suspicatur, quod sibi apparet, id esse diuinum: dum dæmon* N. l. c. ca. 68.

*vehementer vi ingenij sui vtitur, ac per cerebrum lumen coniunctum immutat, & mentem, vt ante diximus, informat.*

*Vincen. de vita spir. cap. 12.* Idem desiderium ad dæmonis tentationem reuocat B. Vincentius Ferrerius: & vt illusioni obsistatur, monet ab eo abstinendũ, ad alia vero optanda mentem conuertendam. Primum remedium, inquit, contra tentationes spirituales huius temporis, quas procurat diabolus in cordibus aliquorum, est quod illi, qui volunt se subdere Deo, non desiderent per orationem, vel contemplationem, vel per alia opera perfectionis, VISIONES, vel REVELATIONES, vel sentimenta, quæ sunt supra naturam, & supra omnem cursum eorum, qui diligunt Deum, & timent per verissimum amorem: quia prædictum desiderium, non potest esse desiderium sine radice, & fundamento superbiæ, & præsumptionis, vel intentionis alicuius vanæ curiositatis circa Deum, vel sine fragilitate fidei.

Et per hunc defectum iustitia Dei dimittit animam, quæ habet antedictum desiderium, & permittit venire in talem illusionem, & tentationem diaboli per falsas visiones, & reuelationes, & falsas seductiones: per quem modum seminat maiorem partem tentationum spiritualium huius temporis, & radicat eas in cordibus illorum, qui sunt nuncij Antichristi secundum quod poteris videre per subsequentia.

Debes enim scire, quod veræ reuelationes, & sentimenta spiritualia secretorum Dei non veniunt per antedictum desiderium, neque per aliquem conatum, seu studium, quod anima habeat in se: sed tantum veniunt pura bonitate Dei in animam, quæ est in magna humilitate, & timore Dei propter hoc, vt habeat visiones & reuelationes, & sentimenta supradicta, quia in idem delictum caderet, in quod per supradictum desiderium.

## SEXTA DISQVISITIO. Qua conformatione corporum appareant Mysticis Sancti, & quos adfectus excitent?

RESP. Dum est vere mystica apparitio, formam corporis, quam exhibent, qui apparent, esse perquam decẽtem: qua honestatis, & castimoniæ cultum promouent. Quod si contrarium eueniat, merito suspecta redditur apparitio. Hoc documentum pluribus persequitur S. Bonauentura in processu septimo religionis cap. 18. vbi sic scribit.

Non

Non est prætermittendum, quod quidam decepti à seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus, putāt sibi apparere in visione, vel ipsum Christum, vel eius gloriosam Genitricem, & non solum amplexibus, & osculis, sed etiam aliis indecentioribus gestibus, & actibus ab eis demulceri, vt sicut spiritus ipsorum interius ab ipsis cōsolatur spiritualiter: ita & caro exterius sibi congruo oblectationis sensu sensibiliter demulceatur, & carnaliter consoletur. Quod non solum esse falsum, & seductorium; sed etiam blasphemia grauis esse comprobatur. Spiritus S. visitatio sicut contra omnia vitia reprimenda, & detestanda infunditur, ita & singulariter contra carnis illecebras opponitur. Et vbi spiritus munditiæ suo jubare resplenduerit, continuo omnes prauæ voluptatis motus euanescere, & velut tenebras subueniente lumine disparere necesse est.

IDEM animaduertit è Mysticis Henr. Harphius lib. II. cap. 10. vbi in hac re inordinatum quorundam affectum notat. *Affectant*, inquit, *oculis exterioribus videre Angelos, æternam vitam, infantulum in Sacramento, & similia, vel cantantes Angelos audire, aut externam in Sacramento dulcedinem sentire, & similia in omnibus sensibus. Et idem optant intrinsecus in omni notitia, quæ recipi potest in visionibus, in imaginibus, informis, in similitudinibus, in spirituali intelligentia, & in supereminenti agnitione Dei. Isti autem in his suas affectiones, & oblectationes constituentes, multum gratis laborant: atque in periculoso sunt statu deceptionis. Nam frequenter inimicus, quando hoc notat, permittente Deo, ipsos decipit multiplici apparitione, tam exterius in sensibus, quam etiam interius aut etiam in somno. Ipsi vero, eum desiderio, & delectatione hac suscipiunt: cum proprietate possident, glorianturque in huiusmodi, & se exaltant: magna de seipsis sentiunt, sibi sapientes fiunt, in suo sensu obstinati efficiuntur, & dæmonis filij.*

*Idcirco, qui secure, & fructuose se exercitare vult omnia sua exercitia ordinare debet, ad valde in se excitandum amorem Dei, & non ad obtinendam altam notitiam, eorum, quæ sibi necessaria non sunt. Et si aliquam cognitionem à Deo acceperit, tamen non debet in ea requiescere, vel nimium credulus esse, nisi prius studuerit sapienter & humiliter super hoc consulere illos, qui discretionem omnium spirituum habent. In illo vero dumtaxat requiescere debet, quod propter amorem Dei se semper paratum inueniat ad standum in omni relictione.*

His adde, quæ habet S. Bonauentura loco indicato in fine, sic scribens: *De his, qui cum aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, continuo etiam carnalis delectationis pruritu fœdantur, nescio quid iudicem, nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos delicti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoque in huiusmodi spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur: ita etiam excusare nescio, qui tali*

*fluxu ex consensu condelectantur, qualiscumque eorum intentio videatur.*

Itaque mentem alio flectendam, quamprimum delectatio carnalis sensualitatem titillat, praescribit Richardus in Cantic. capit. 37. & addit aliqua ad hanc rem spectantia scitu digna. *Horum dulcis affectus siue gaudium, non est,* inquit, *perfectum, vel purum, quia de minus mundato corde procedit: cooperatur enim in eis, vel naturalis leuitas, vel prosperitas aliqua, vel tẽtatio peccati occulta. Tales per dulcem adfectum, interdum ad gaudium assuetum carnalitatis deuoluuntur. Ignis enim carnalis concupiscentiae per tentationem adhuc vehemens est in eis, vnde hilaritate accepta, quasi adhibitis lignis facile accenditur.*

*Horum affectus, cum in Deum dirigitur, contingit interdum, vt ex occasione locorum flatus, leuior factus, in carnalem mutetur, vt cum spiritu cœperint carne consumment. Vnde aliqui in tali statu carnis motum, vel etiam maiorem fragilitatem patiuntur. Iste dulcis affectus vertitur in peccatum. Vnde cũ carnis motũ sentiunt, statim se retrahere ab hac dulcedine, & ad aliquod bonũ conuertere deberent. Talibus magis expediunt amara, quam dulcia: dura, quam mollia: amaritudo scil. & dolor pœnitentiae, & labor pugna contra oblectamenta carnis, vel propriae voluntatis. Noxia enim delectatio suo contrario melius curatur, & suauia sicut sensualitatem delectant, ita & vires ei faciunt. Per dura itaque & labores falsa delectatio extinguitur, & requies mentis adquiritur: vt iuxta fluenta hac sedeatur, & superna aliquatenus contemplentur.*

## SEPTIMA DISQVISITIO. Ad quem vsum mystico sint admittendae apparitiones corporatae?

RESP. I. Vt Deo magis intime coniungatur. II. Vt humilitati impẽsius studeat, agnoscens se in illorum esse ordine, quibus infimis ad sanctitatem, id est, sensibilibus opus est auxilijs. III Vt vitae sanctimonia cœlestem vitam aemuletur ad cœlitum familiaritatem admissus. IV. Ad omnem virtutis cultum extimuletur.

## OCTAVA DISQVISITIO. Quid faciendum mystico, cum apparitiones corporeae contingunt?

RESPOND. I. Non facile illis esse fidem adhibendam. II. Examinandas esse secundum regulas discretionum spirituum diuer-

uersorum, de quibus multa Ascetæ. III. Inuestigandum, an cum fidei sacrosanctæ enunciatis conueniant: & ad sacræ scripturæ testimonia esse exigendas. Præclare Richardus in Beniamino minore ca. 61. Iam te existimas ascendisse ad cor altum, & apprehendisse montem illum excelsum, & magnum, si iam te credis Christum videre transfiguratum, quicquid in illo videas, quicquid ab illo audias, non ei facile credas, nisi occurrant ei Moses & Elias. Scimus, quia in ore duorum vel trium stat omne testimonium. Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat scripturarum auctoritas: nec Christum in sua clarificatione recipio, si non assistant ei Moses & Elias. Et in valle, & in montis ascensione Christum sæpe recipio sine teste, nunquam autem in montis vertice, vel in sua clarificatione. Si Christus docet me de rebus exterioribus, vel de intimis meis facile recipio: vtpote in his, quæ comprobare possum proprio experimento. Verum, vbi ad alta mens ducitur: quando de cœlestibus quæstio ventilatur, vbi de profundis rebus agitur in tanto sublimitatis vertice nō recipio Christum sine teste. nec rata esse poterit qualibet verisimilis reuelatio sine attestatione Mosis & Eliæ, sine Scripturarum auctoritate. Adhibeat igitur sibi Christus duo testimonia in transfiguratione sua, si vult, vt non sit mihi suspecta claritatis suæ lux illa tam magna, & tam insolita. IV. Animaduertendum diligenter, an ad humilitatem, & rerum humanarum contemptum: an vero potius ad curiositatem, vanitatemque apparitiones corporeæ alliciant. Hoc signum est apparitionis minus probæ, quam bonæ ac diuinæ. Notauit istud Ioannes Gerson opusc. de monte contemplationis capit. vltim. Quoties simetipsi quis placet, inquit, atque in se de seipso gaudet, certus sit à vera humilitate se esse alienum: nec consolationes suas, quibus iucundatur, à Deo habere sciat originem. Vera enim humilitas semper existens sociata visitationibus bonis, atque diuinis, dat cognoscere ad imum, & veraciter defectus suos, per quos sibi homo displicet, redditurque vilis, atque abominabilis in aspectu suo: nihilominus placentiam maximam habens, sed quæ in gratia, misericordia, bonitateque diuina consistit.

# EXERCITATIO II.

## APPARITIO IMAGINARIA.

### PRIMA DISQVISITIO. Quid illa sit, & quando fiat?

RESP. Apparitio imaginatia, quæ & spiritualis dicitur, contingit, quando imaginationi, aut phantasiæ, rerum spiritualium formæ, ac simulacra ita obijciuntur, ac si oculis viderētur, vel alio sensu perciperentur. Subtilior est, quam corporata, quia altioris sensus. Si Mystica sit, non fit contemplantis laboriosa fictione, sed subita quadam immissione, ac repræsentatione.

### SECVNDA DISQVISITIO. Quis efficiat apparitionem imaginariam?

RESPON. Quicumque proxime mouere potest imaginationem, aut in illo aliquid operari idoneus est auctor illius apparitionis. Efficit itaque illam aliquando DEVS per se: aliquando Angeli boni, quorum ministerio viuentium formis similia simulacra in imaginationis tabula pinguntur: aliquando dæmones quibus naturali vi sua potestas est operandi in imaginationem hominis: & tunc vocatur diabolica illusio. Animæ defunctorum id non possunt virtute naturali. Nec homines immediate, cum non nisi verbis, gestibus, aliisque signis per sensus externos perceptis, imaginationem moueant.

### TERTIA DISQVISITIO. Quibus instrumentis procuretur apparitio imaginaria?

RESPOND. Speciebus, phantasiæ proportionatis. Eæ autem sunt duplices. Nimirum, vel quæ præfuerunt in sensibus, acceptæ ab obiectis: hæ autem apte disponuntur, & copulantur, vt rem repræsentent ad captum contemplantis: vel quæ à Deo, aut Angelo immittuntur. Vtroque modo, aut lumen naturale, aut supernaturale adiumento est ad rerum manifestatarum perceptionem commodiorem. Legendus S. Thomas SS[dæ] qu. 173. art. 2. & q. 174. art. 2. & 3.

QVAR-

## QVARTA DISQVISITIO. Quid peculiare habeat apparitio imaginaria?

RESPON. In apparitione imaginaria non videri Deum intuitiue. Quia hoc solum contingit per visionem intellectualem. Apparet igitur ita Deus per formas figurasue humanas, vel aliorum corporum, vt luc.s, ignis maris. Exemplum est in visione Danielis 7.9. Apparet etiam Christus varie, secundum diuersorum mysteriorum configurationem: nunc vt puer, nunc vt vir, nunc alio schemate. *In Apoc.* quod videre est in apparitionibus Ioanni factis.

Vtitur autem Deus hoc genere apparitionis, tum, vt hominum imbecillitati se accommodet, nam sensibus, & imaginationibus plurimum ducuntur: tum vt beneuolentiam suam ijs demonstret: tum vt suauius ac facilius ad intellectualia manuducat.

Accidere solet in somno & vigilia: vtroque enim modo DEO non est difficile vel Angelo, phantasiæ quidpiam inferre, vel in illa imagines conformare. Si vigilet contemplator, contingit quandoque apparitio sine abstractione à sensibus: quandoq; in ecstasi constituto: nonnunquam etiam in raptu. Quomodo autem tunc libertas sit coniuncta actionibus humanis ex superius disputatis discernendum est. Plura de his Petrus Tyræus, qui succincte omnia digessit, quæ ad apparitiones spectant.

---

# EXERCITATIO III.

## APPARITIO INTELLECTVALIS.

TRiplicem apparitionem agnoscunt Theologi cum Isidoro lib. 7. orig. cap. 8. Corporatam, Imaginariam (de quibus hactenus) & intellectualem: quæ etiam dici solet visio. Contingit, quando intellectui personæ diuinæ, spiritus, aliaque istiusmodi singulari quodam modo, ac si oculis cernerentur, obijciuntur. De istiusmodi apparitione accipio illud.

Augustini lib. 9. Conf. capit. 10. Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ, & aquarum, & aeris, sileant & poli, & ipsa sibi anima sileat & transeat se non cogitando, sileant somnia & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne signum, & quicquid transeundo fit, si cui sileat omnino, quoniam si quis audiat, dicunt hæc

omnia

omnia: Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos, qui manet in æternum. His dictis, si iam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, & loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum, vt audiamus verbum eius: non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis, sed ipsum, quem in his amamus, ipsum sine his audiamus: sicut nūc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem: si continuetur hoc, & subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, & hæc vna rapiat, & absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum: vt talis sit æterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspirauimus.

Efficiens caussa principalis huius visionis suæ apparitionis est Deus, cuius virtute, non creaturæ vllius, intellectus, proxime rerum spiritualium formis potest adornari. Vtitur tamen Deus nonnunquam bonorum spirituum ministerio. *Veritas incommutabilis*, inquit alicubi Augustinus, *per seipsum ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mētibus: aut per mutabilem creaturam loquitur, siue spiritualibus imaginibus spiritui nostro, siue corporalibus vocibus corporis sensui.*

Lib 16. de ciuit. ca. 6.

Tempus apparitionis intellectualis est tam nocturnum quam diurnum. Potest enim contingere tum in vigilia tum in somno, si fiat per species infusas, & sine conuersione ad phantasmata, aut cum conuersione, sensibus interioribus lumine conuenienti confortatis. Ita Christus, & B. Virgo eius Mater in somno contemplationi vacabant, & delitiis cælestibus fruebantur vt alibi dictum.

Hoc apparitionis genere videtur Deus intellectualiter, eo modo, quem, cum de contemplatione pura & in caligine actum est, explicauimus.

Apparet etiam Christus, Deipara, & alij Cœlites: idque bifariam. *Primo*, obscure, & quasi confuse. Quod tunc fieri dicunt Mystici: quando quis Christum V. C. (eadem ratio est de aliis) vel ad latus suum, vel intus in corde esse cognoscit, tanta, imo maiori certitudine, quam pariat oculus corporis: licet nullam in animo speciem vel imaginem propriam Christi habeat, aut illius figuram in imaginatione non formet. *Secundo*, clare & distincte: non tamen intuitiue: per certum aliquod lumen, & speciem, à qua licet non caussetur visio intuitiua efficitur tamen notitia quædam clarior, quam communis fidei. Cuius rei gratia

OBSERVA Visionem intellectualem seu notitiam Dei, aut rerum spiritualium esse triplicem. *Prima* est obscura, quæ habetur per fidem. *Secunda*, penitus clara, per lumen gloriæ. *Tertia*, media per donum

num sapientiæ, vel luminis alterius supernaturalis, clarior cognitione fidei, obscurior visione intuitiua. Simili modo visio intellectualis rerum corporearum diuiditur. Quare Christus apparere potest intellectualiter, licet speciem sui propriam non imprimat, sed ita disponat intellectum, vt notitiam, quasi præsentis efficiat, visione clara inferiorem: clariorem tamen, ea, quæ penitus est obscura.

Tandem, ad apparitionem intellectualem requiruntur species aliquæ, quæ intellectui imprimuntur, & lux peculiaris: quæ reuocari potest ad genus illud luminis: quod Propheticum vocamus, quo mens ita subleuatur ad diuinas res inspiciendas, vt omnino videatur conditionem humanam excedere.

Qui ex Deo caris, apparitionibus intellectualibus excelluerint, non omnino certum est. Putantur tamen huiusmodi fuisse apparitiones Mosi factæ, & Paulo cum raptus est in tertium cœlum: & Ioanni Euangelistæ in Apocalypsi. Diuo quoque Francisco, cum inter alas Seraph vidit Christum crucifixum, & stigmata passionis accepit. Item, Ignatio Loiolæ, cum æternum Patrem vidit, Filio crucem baiulanti Societatem commendare.

---

# EXERCITATIO IV.

## *APPARITIO FACIALIS, ET Intuitiua.*

SIc voco visionem Dei intuitiuam, qua faciem suam hominibus manifestat clarissime absque velamine, vel vmbris similitudinum. Circa hanc est huius loci

### PRIMA DIFFICVLTAS. An species contemplationis mysticæ sit visio clara Dei.

RESPON. Adfirmate. Ita S. Bonauentura opusc. de gradib. contemp. vbi sic scribit, septem enumerans contemplationis gradus. Primum gradum dicamus Ignem: Secundum, Vnctionem: Tertium, Ecstasin: Quartum, Speculationem: Quintum, Gustum: Sextum, Quietem: Septimum, Gloriam: nempe visionem intuitiuam. Nec dissidet S. Thomas II. Sdæ quæst. 80. attic. 1. vbi, supremus, inquit,

 gra-

gradus contemplationis præsentis vitæ est, qualem habuit Paulus in raptu, secundum quem fuit medio modo se habens, inter statum præsentis vitæ, & futuræ. Docuerat autem de Paulo S. Doctor qu. 175. art. III. cum in raptu vidisse diuinam essentiam.

## SECVNDA DIFFICVLTAS. An alicui contigerit in hac vita apparitio Dei facialis?

TRactauimus hoc copiosissime, volumine I. Theologiæ, libr. III. multis commentationibus, in quibus quicquid de contemplatione, ac visione intuitiua Dei huius vitæ dici probabiliter posse videtur retulimus vt nihil plane addendum hic videatur.

MAXI-

*MAXIMILIANI SANDÆI*

# THEOLOGIÆ MYSTICÆ

## LIBER TERTIUS

*IN QVO AGITVR DE ILLIVS HAbitu, Obiecto, Proprietatibus, Fructu.*

# COMMENTATIO I.

# HABITVS THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

## EXERCITATIO I.

### *NECESSITAS HABITVS AD THEOlogiam Mysticam: & quisnam ille?*

PRIMA DISQVISITIO. An cognitio contemplatiua DEI, ac DIVINORVM, qui est actus Theologiæ Mysticæ, semper eliciatur ex habitu?

RESPOND. Negatiue. Nam quemadmodum operationes virtutum, etiam supernaturalium aliquando efficiuntur per auxilium ali-

aliquod ſupernaturale eleuans potentiam, nullo habitu in potentia præcedente: ita contemplatio, quamuis altiſſima poteſt effici ab intellectu, diuina virtute eleuato, & confortato, licet ad id nullum habitum acceperit. Ita autem contingere nonnunquam conſentiunt DD. Myſtici.

## SECVNDA DISQVISITIO. An detur aliquis habitus proprius Theologiæ Myſticæ, cuius virtute communiter eliciantur actus contemplationis myſticæ?

RESP. Adfirmate. Probatur. Quia quando potentia naturaliter non poteſt efficere actus, Deus illi ſolet robur addere per habitum inhærentem. Connaturalior enim agendi modus eſt per principium intrinſecum, & permanens, quam per auxilium externum & tranſiens. Atque hæc eſt ratio, cur ad operationes ſupernaturales ponantur in intellectu, ac voluntate habitus ſiue ad intelligendum, ſiue amandum, ſiue alias virtutum functiones exercendas. In hoc etiam conſentiunt Myſtici.

## TERTIA DISQVISITIO. Quis ſit ille habitus, per quem eliciantur actus Theologiæ myſticæ?

RESPONDENT Doctores Myſtici eſſe vel donum ſapientiæ, vel donum intellectus. Vnde contemplationem myſticam ita nonnulli definiunt. *Eſt Deitatis ſumma, vel eius effectuum prompta, perſpicax, ſiue clara cognitio ab* INTELLECTV, vel SAPIENTIÆ *dono procedens.* At intelligi non poterit, quomodo ab vtroque, vel alterutro procedat cognitio contemplatiua Dei, ac Diuinorum, niſi vtriuſque doni perſpecta ſit natura & conditio. Sit itaque,

EXER-

# EXERCITATIO II.

## QVALE SIT DONVM INTELLE-ctus & Sapientia.

### Sensu Scholasticorum.

I. ISAIÆ 12.2. dicitur requieturus super Emmanuelem, qui è virga Iessæa erumpet, spiritus sapientię, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis. Quo loco, vt obseruat Caspar Sanctius nomine *Spiritus*, intelligitur internus motus, seu vis & afflatus, qui ad aliquid conandum agit, & exstimulat: à Latinis *Ardor* dici solet. Spiritus autē iste, vel motus est duplex. Alter cito *Transiēs*, aut per modum actus ad opus aliquod singulare: qualis fuit ille qui irruit aliquando in Samson, & qui Mathathiam ac Phinees ad cædem fornicarij ac sacrilegi impulit. Alter *Permanens*, & quasi proprius. Atque hic dicitur in aliquo, vel super aliquem requiescere: vt spiritus propheticus datus Isaiæ: spiritus sapientiæ in Salamone.

II. Hi spiritus permanentes appellantur dona Spiritus Sancti à Patribus, & Theologis Scholasticis in III. dist. 34. & 35. ac Sancto Thoma P. S^dæ qu. 68. Quo nomine non designant quodlibet munus diuinitus homini concessum, qua denominatione Iacobus Apostolus cap. 1. inquit: Omne datum optimum, & omne DONVM perfectum desursum est. Neq; munus illud diuinum, quod *Gratiam gratis datam* dicunt Theologi, & conceditur cœlitus ad alienæ salutis procurationem faciliorem. de quo 1. ad Corinth. 12. Sed nomine doni, significāt ornamentum quoddam spirituale, quo iusti donantur ad imitationem sui capitis in quo fuerunt perfectissime septem illa ab Isaia recensita.

III. Lis est in Scholis: An distinguantur istiusmodi dona à tribus virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus? Negant distingui Scotus in III. dist. 34. q. vna. Gabriel. ibid. Altisiodorensis lib. 4. sum. tract. 8. qu. 1. Almainus tract. III. Moral. cap. 13. Okam. in 4. q. III. lit. N. Melchior Flauius in III. dist. 34. q. vna.

Sed PONO, quod in Scholasticis est demonstratum, & docet S. Thomas P. S^dæ qu. 68. art. 1. S. Bonauentura in III. dist. 34. Henricus Gandauensis quodl. 4. qu. 23. D. Antoninus par. 4. tit. 10. cap. 1. & 11. Gregorius de Valentia disp. 5. quæst. 7. punct. 1. Ioannes Azor tom. 1.

lib.III.cap.30.q.5.Ioannes Salas Tom.II. Tract.12.disput.vna sect.2. Dona esse habitus reipsa distinctos à virtutibus. Omitto varios dicendi, explicandique modos: S. Thomæ est iste, & videtur facillimus.

DONA sunt habitus quidam à virtutibus differentes, quod potentias animæ perficiant, ad actiones quasdam heroicas: non quatenus istiusmodi actiones efficiuntur actiue ab ipsis potentiis, siue per vim ac impetum naturalem ipsarum: siue per vim aliam supernaturalem adiunctam; sed qua ratione peculiariter procedunt ex diuino Spiritus S. instinctu, quo mens humana interius mirabiliter agitur & impellitur ad opera quædam rara, ac præstantiora, quam quæ cõmuniter, etiam à studiosis proueniunt. Sunt autem talia, vt eorum rationem homo vix possit reddere, neque scire, quo pacto ad ea fuerit impulsus. Porro virtutes concurrunt ad eadem, & similia, atque ad operationes studiosas, quæ ordinarie fiunt, ratione ipsis peculiari, quatenus eliciuntur à potentijs actiue. Hinc fit vt in vsu DONORVM potius *Agatur homo* & *patiatur*: in vsu autem virtutum, ipse potius sit *agens*. Quod sumitur ex modo loquendi.

S. PAVLI ad Romanos 8.14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Verum, hic *agi*, non puram passionem denotat: nam agit etiam tunc homo; sed impellentis spiritus dominatum. Ingeniose Augustinus: *Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: imo, & agis & ageris: & tunc bene agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est: ipsum nomen Adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Et paullo post. *Nemo adiuuatur, si ab illo nihil agatur: quotquot enim spiritu Dei aguntur hi Filij Dei sunt non littera, sed Spiritu: non lege præcipiente, minante, promittente: sed spiritu exhortante, illuminante, adiuuante* Idem contra Pelagium, & Cœlestium: *Profecto, vt agant, quod bonum est, ab illo aguntur, qui bonus est.* Iterum alibi: *Potius intelligant si Filij Dei sunt se agi, vt quod agendum est, agant: & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant.*

*Sermo. 45. de ver. Domini & ser 13. de verb. Apost.*

*Lib. de gra. Christ. c. 25.*

Itaquedum Mysticus contemplator Sancti Spiritus impulsu agitur, diuina patiens, non ita agitur vt nihil agat, & rapiatur inuitus: sed agit & ipse libere sequendo & consentiendo: sed tanta sæpe est efficacia numinis, vt actio à passione distingui vix possit. Quod subtiliter animaduertit Prosper Aquitanicus Augustini sententias interpretans his verbis. *Plus est agi, quam regi: qui enim regitur aliquid agit, & ideo regitur, vt recte agat. Qui autem agitur, agere ipse aliquid vix intelligitur. Et tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, nec aliquid in*

*Li. sent. ex Aug. num. 310.*

*nobis*

*nobis libera voluntas melius agere potest, quam vt illi se commendet, qui male agere non potest.*

Quæ mirifice conferunt ad declarandam vim donorum, quatenus à virtutibus distinguuntur: dispon unt enim potentias non solum vt regantur, sed & agantur: imo agunt ipsum hominem. Quod S. Thomas Scholastice, sed obscurius explicat.

Quicquid, inquit, mouetur, debet esse proportionatum motori: & hæc est perfectio mobilis, qua mobile est: nimirum, dispositio, qua disponitur ad hoc quod bene moueatur à suo motore. Quanto igitur motor est altior, tanto perfectiori dispositione debet illi mobile proportionari. Virtutes a. humanæ perficiũt hominẽ secundum quod natus est moueri per rationem in ijs, quæ interius, vel exterius agit. Oportet igitur inesse homini perfectiones altiores, secundum quas sit dispositus, vt diuinitus moueatur. Istæ autem perfectiones nominantur DONA, non solum, quia infunduntur à Deo, sed quia secundum ea homo disponitur, vt efficiatur prompte mobilis ab inspiratione diuina. Atque ita dona dicuntur perficere hominem ad altiores actus, quam sint actus virtutum.

Breuiter. Iustus ac Deo singulariter carus debet esse ita dispositus, vt sit facile mobilis non solum à ratione humana, & fide, sed etiam ab ipso Spiritu Sancto in ijs, quæ possunt esse vel necessaria, vel maxime vtilia ad salutem & perfectionem iusti. Ad hanc autem dona illorumq; actus referuntur.

Certe agnouit Aristoteles præter communes virtutes, heroicas, quæ reddant homines aliqua ratione diuinos: nimirum ad facinora quædam præter modum communem præclara, patranda. Quẽadmodum, inquit, Homerus Priamum de Hectore dicentem inducit: quia valde erat bonus, non hominis mortalis filium videri, sed magna à stirpe Deorum. Idem vero lib. 7. Moralium ad Eudem. cap. 18. negat eos, qui Dei instinctu impelluntur ad quidpiam agendum, debere rationem humanam consulere, quoniam habent aliquid excellentius intellectu, & voluntate. Quod de donis optime adfirmatur: Quæ à virtutibus distinguuntur quod ijs agamur: agamus autem per virtutes. *Lib. 7. Eth. cap. 1.*

Quod quidem discrimen tunc etiam notatur, quando eadem actio heroica procedit, & ab habitu virtutum, & ab habitu doni. Formaliter enim loquẽdo in eadẽ actione, & est respectus ad instinctum Spiritus Sancti, quo pacto refertur in donum; & respectus ad hominem agentem secundario: atque ita proficiscitur à virtute. Siquidem excellens actio bifariam considerari potest. *Primo*, vt absolute tendit

in a-

in aliquod obiectum & illud attingit: atque ita respicit virtutem. *Secundo*, vt fit ex instinctu quodam peculiari ac motione Spiritus Sancti, ad quam suscipiendam proxime, ac immediate disponit donum. Et sic dicitur esse à dono, ac fieri modo superhumano, vt loquitur Durandus: aut, vt Henricus, in humano.

Non est negligenda obseruatio Caietani, quæ ad rei de qua agimus intellectum plurimum facit. Posse considerari in homine triplex agens, seu mouens subordinatum ad actus bonos. *Primum*, est mens humana prædita lumine naturali, & prudentia. Huic motori vt obediant vires animæ, constituuntur virtutes morales adquisitę tendentes ad media & fines ab eo motore præstitutos. *Secundum*, est mẽs humana prædita lumine gratiæ ac fidei. Huic motori vt obsequantur prompte facultates rationales, ponuntur virtutes morales infusæ, tendentes ad media, ac fines ab illo motore præfixos. *Tertium*, est mens humana impulsa impetu Spiritus Sancti. Et hic est supremus motor: cui vt expedite sese accommodent vires animę ponuntur dona, quæ tendunt in fines proprios à tali motore demonstratos. Iam vero

IV. DONORVM alia sunt in parte apprehensiua, vel intellectu: alia in appetitiua, seu voluntate. Nam vtraque potentia perficitur ad operationes aliquas excellentes. Et quidem, cum intellectus sit practicus & speculatiuus: atque in vtroque sit apprehensio veritatis, quæ pertinet ad inuentionem & iudicium de veritate: censetur speculatiua ratio perfici ad apprehensionem veri per donum intellectus: practica, per donum consilij. Ad recte autem iudicandum, speculatiua, per sapientiam: practica per scientiam. Ceterum, appetitiua virtus in his, quæ sunt ad alterum perficitur dono pietatis: in his, quæ ad seipsum, dono fortitudinis contra timorem periculorum: contra concupiscentiam autem inordinatam delectabilium dono timoris. Ita fere S. Thomas art. 4.

Paullo aliter nonnulli è Scholasticis. Nec male Gregorius de Valentia. DONA ad actiones quasdam præcellentes destinantur. Actiones huiusmodi vel sunt partis apprehensiuæ, vel appetitiuæ. Si sunt partis apprehensiuæ, aut illarum præstantia elucet in eo, quod res per illas subtiliter penetrantur, præsertim diuinæ: & hoc præstat donum intellectus. Quod proinde tam late patet, ac virtus fidei. Aut præstantia consistit in recto iudicio, quo quis statuit inhærere rebus diuinis, aut creatis, sicut oportet. Et ad hoc iudicium, quando circa res diuinas fertur, aut circa creatas, per rationes diuinas, mens perficitur dono sapientiæ. Si solum circa creatas, dono scientiæ. Cum autem

rem in particulari concluditur ex hoc iudicio sapientiæ, vel scientiæ quid sit omnino agendum, exercetur donum consilij.

In parte autem appetitiua, si præstantia spectetur, quia alteri impenditur debitum officium præparatur per donum pietatis. Si autem actio ex eo est nobilis, quia peculiari ratione abstrahit à prauis cupiditatibus, id præstat donum timoris. Quod si ideo sit excellens, quod posthabitis difficultatib. à periculis, adhæret bono, perficitur à dono fortitudinis.

V. DONVM INTELLECTVS definitur à Scholasticis. Habitus supernaturalis in intellectu hominis, quo is facile mobilis redditur à Spiritu Sancto, ad sic percipiendas veritates fidei, vt fidei cognitione inductas adhæreat intime Deo, nec ab eo per vllum peccatum auellatur. Disputat de hoc dono S. Thomas SS^dæ qu. 8. docetq; articulo 1. esse donum Spiritus Sancti necessarium, vt penetrentur intimius ea, quæ lumine naturali cognosci nequeunt. Itaque disponit, vt penetrentur veritates fidei. Vnde Gregorius libr. 1. Moralium cap 35. *Intellectus in die suo conuiuium parat, quia in eo, quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras illius illustrat.*

Articulo II. Ostendit, hoc donum posse esse in eodem intellectu cum fide: cuius caussam dat Caietanus: quoniam donum hoc non facit vt res fidei videantur veræ sed vt credibiles.

Art. III. Hoc donum esse primario speculatiuum: secundario, practicum: quia hoc eodem modo conuenit obiecto fidei.

Artic. IV. Donum intellectus esse in omnibus hominibus, qui habent gratiam. Nam necesse est, vt per caritatis adfectum inhæreant Deo: cuius radix est Dei cognitio illa, ad quam confert donum intellectus. Et Spiritus Sanctus nunquam se subtrahit iustis circa ea, quæ sunt necessaria ad salutem: sed solum circa alia ad humilitatem eorum augendam, ac tollendam superbiam.

Art. V. Donum intellectus non esse in ijs, qui habent solam fidem informem: ac proinde in solis iustis residere: nam alij non ita penetrant res diuinas vt Deo inhæreant.

VI. Controuersia est: An donum intellectus detur à Deo ad apprehensionem tantum, vt non sit habitus iudicatiuus?

Existimo esse quoque iudicatiuum. Ducor 1. Quia S. Thomas artic. 5. ad 1. scribit: non intelligi perfectam rationem doni intellectus donec mens hominis deducatur, vt rectam æstimationem habeat circa finem: æstimatio autem ad iudicium pertinet. Porro, hanc æstimationem pertinere ad donum intellectus, non autem sapientiæ, vel scientiæ, vt Caietanus comminiscitur, clarissime ibi docet S.

Doctor. 2. Probabilis admodum est sententia Philosophorum, asserentium: ad apprehensionem vel non poni habitum distinctum à speciebus ordinatis,& radicatis: vel si detur illum non differre abhabitu iudicatiuo. 3. Donum quodlibet, & maxime primum intellectus cum sit præstantius virtutibus actum habet perfectum, ac nobilem: qui pro dono intellectus dari non potest, si tantum deseruiat apprehensioni.

Quomodo ergo intelligendum, quod habet S. Thomas qu. 8. art.1.& art.5.ad 3.& artic.6. in corp.& ad 2.& 3. probantque Scholastici apprehensionem tribuendam esse dono intellectus.

Dic. Significare voluisse, donum intellectus non ita iudicium perficere per discursum formalem, vel virtualem, sicut scientiæ, vel sapientiæ: sed per simplicem perceptionem veritatis: cum sit habitus principiorum.

VII. Ex his constat, donum intellectus conuenire cum virtute Theologica Fidei, tum quia tam late patet, quam fides: tum quia vt habitus fidei est practicus & speculatiuus, ita donum intellectus.

Differre autem à fide proprio effectu. Discrimen varie adsignatur. Scotus in III. dist.34.q. vna circa finem scribit, intellectum ac fidem solum differre secundum perfectum & imperfectum: quod intellectus sit ipsa fides cum maiori & distinctiori quadam cognitione. Verum, iam diximus, fidem & donum intellectus diuersos esse habitus. Missis alijs dicendi modis, expeditissimus,& facilimus videtur, si dicatur

Donum intellectus non elicere assensum de veritate propositionis reuelatæ à Deo, sed de eius credibilitate, & conformitate cum ratione. Insinuat hoc S. Thomas qu. 8. art.2. vbi ad intellectum pertinere scribit cognoscere, quomodo argumenta, quæ contra fidem fiunt, non concludant. Quod approbant Dominicus Bannez & Aragonius. Et hoc fortasse voluit Gregorius de Valentia puncto 1. scribens, donum intellectus à fide distingui, quod fides intellectum perficit immediate ad eliciendum assensum: Donum autem intellectus non ad hoc directe, sed ad percipiendum Sancti Spiritus instinctum, quo impellimur ad assensum fidei. Ad vtrumque enim homo perficitur supernaturaliter: id est, vt credat, quod præstat fides: & vt diuinitus moueatur ad credendum, quod præstat donum intellectus. Quibus significare videtur, actum doni intellectus versari circa credibilitatem, & verisimilitudinem ac conuenientiam mysteriorum fidei, atque ita ad credendum disponere.

VIII.

VIII. Quamuis donum ſapientiæ pertineat ad eandem partem intellectiuam, differt tamen à dono intellectus. Diſcrimen adſignat S. Thomas artic. 6. Quoniam circa ea, quæ à fide proponuntur credenda, duo ſunt neceſſaria ex parte noſtra. *Primum*, vt intellectu penetrentur vel capiantur: & hoc pertinet ad donum intellectus. *Secundum*: vt de ijs homo habeat iudicium rectum: vt æſtimet his eſſe inhærendum, & ab oppoſitis recedendum. Hoc autem iudicium, quantum ad res diuinas, ſpectat ad donum ſapientię: quantum ad res creatas ad donum ſcientiæ. quantum ad ſingularia opera ad donum conſilij. His conſentanee

Idem S. Doctor P. S[dæ] qu. 68. art. 4. & SS[dæ] qu. 8. art. 1. & 2. docet, dono intellectus capi, & penetrari res fidei: Dono autem ſcientiæ iudicari & diſcerni credēda à non credendis circa res humanas: dono ſapientię circa diuinas, Nimirum, quod ſapientia procedat per rationes diuinas, ſcientia per humanas, vt explicare videtur, qu. 8. art. 11. ad 3.

Aliquantulum fuſius Valentia. Donum ſapientię confert ad iudicium quoddam vniuerſale de rebus diuinis, quo ſtatuimus ipſis eſſe inhærendum, ac recedendum à contrariis. Donum ſcientiæ confert ſimile iudicium de rebus creatis, quo animaduertimus, quibuſdam ex ijs inhærendum, à quibuſdam recedendum. Item, præcipue quid credendum, quid non credendum. Donum conſilij continet iudicium practicum particulare, quo in caſibus determinatis conuenienter illis vniuerſalibus iudiciis doni ſapientiæ, & ſcientiæ concluditur quid agendum, quid fugiendum. Donum autem intellectus pertinet ad omnia obiecta, tum diuina, tum creata: tum ſpeculatiua, tum practica. Atque ita latius patet, quam donum ſapientiæ, ſcientiæ, aut conſilij.

Recentiores nonnulli ex Scholaſticis ita diſcrimen horum triū donorum ſtatuunt. Quod intellectus iudicet, abſque vllo diſcurſu formali, vel virtuali; ſapientia vero, & ſcientia cum diſcurſu: ita tamen, vt ſapientia oſtendat in credendo, aut aliis bonitatem ac honeſtatem ſumptam in ordine ad Deum: nempe, quia expedit ad eius honorem, & gloriam: Scientia vero honeſtatem ſumptam in ordine ad homines: vt quia expedit ad priuatum, vel commune hominis bonum.

Conueniunt donum ſapientiæ & ſcientiæ, quod vtrumq; procedit per diſcurſum ex euidēter cognitis per donum intellectus: differunt, quod ſapiētia per cauſſas altiſſimas & æternas ſua probet: Scientia per inferiores & humanas. E. C. In myſterio incarnationis, do-

num intellectus percipit, penetrat, iudicat simpliciter conuenientiam aut credibilitatem, vel quid simile sine discursu: sapientia circa idem discurrit per rationes diuinas: scientia per humanas.

IX. Suntne hæc dona practica, an speculatiua?

S. Thomas P. S$^{dæ}$ qu. 68. artic. 4. docet intellectum, & sapientiam pertinere ad partem speculatiuam: illum quidem apprehendendo, hanc vero, iudicando: Scientiam autem ad intellectum practicum.

At enim donum intellectus esse etiam iudicatiuum superius dictum est. Et videtur retractare S. Thomas S. S$^{dæ}$ q. 8. art. 6. & q. 9. art. 3. aperte asserens, dona scientiæ, sapientiæ, & intellectus, esse non solum speculatiua sed etiam practica.

Differt autem donum consilij à prædictis, quia est pure practicum: non quod reliqua non sint practica. Imo, sunt qui existiment dona intellectus, sapientiæ & scientiæ, quamuis dici possint speculatiua, quatenus iudicium, ad quod conferunt, versatur circa res speculatiuas: magis tamen esse practica, quam speculatiua: quia illud ipsum iudicium censetur practicum, quatenus immediate habet pro obiecto adhæsionem in rebus, quibus est adhærendum.

X. Addit S. Thomas S. S$^{dæ}$ qu. 8. artic. 7. dono intellectus respondere septimam beatitudinem, quæ est mundities cordis. Et art. 8. Intellectui in fructibus respondere fidem, quem alij vocant certitudinem fidei. Cum enim Donum intellectus illustret mentem, ac firmet in Deo, consequenter mundatur mens ab ijs, quæ separant à Deo, & disponit ad clariorem Dei cognitionem, redditque intellectum certiorem. Indicat hoc S. Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte capit. 9. vbi, *Intellectus*, inquit, *congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Et lib. 11. de Doctrina Christiana. cap. 7. Post quintum gradum, scilicet, donum consilii per quod anima leuatur ab appetitu sordium inferiorum, ascendit in sextum gradum, scilicet, donum intellectus, vbi iam ipsum oculum purgat, quo videri potest Deus ab his, qui huic seculo moriuntur: qui in tantum vident, in quantum moriuntur seculo. Ab his enim non solum certior, sed & iucundior spiritus laus incipit apparere: in ænigmate tamen.

Ita scholastici de donis intellectus, & sapientiæ disputant.

EXER-

# EXERCITATIO III.

## *DE DONO INTELLECTVS ET sapientiæ sensu Mysticorum.*

I. ALiter paullulum DD. Mystici Donorum istorum naturas, & proprietates declarant, sequuti S. Bonauenturam opusculo de 7. donis Spiritus S. qui & ipse sequitur auctorem de spiritu & anima.

Docet igitur S. Bonauent. PRIMO: Donum intellectus, & sapientiæ sequi alia quinque. Quoniam quinq; præcedentia pertinent ad vitam actiuam: duo autem illa ad contemplatiuam. Quæ duo Spiritus S. prædictis quinq; superimponit, vt ędificium spirituale perfecte compleatur. Desumptum id est ex S. Anselmo libro similitudinum cap. 130.

SECVNDO. Donum intellectus esse lumen, vel habitum supernaturalem principiorum supernaturalium, quæ sunt articuli fidei: & ex consequēti quarundam operationum, quæ ordinantur ad fidem: quia fides per dilectionem operatur: ad Galat. 5. Hoc autem lumen indicat quandam excellentiam cognitionis penetrantis vsq; ad vltimas rerum intelligendarum essentias, & veritates: quæ non fit ita complete ex virtute luminis naturalis intellectus.

De hoc dono intelligit S. Bonauentura, quod habet auctor de spiritu, & anima ca. xi. & sæpe à Mysticis profertur: *Intelligentia est vis animæ, quæ immediate supponitur Deo.* Cernit siquidem ipsum summum verum, & vere incommutabilem. Sic anima percipit corpora, sensu: imaginatione corporum similitudines: ratione, corporearum rerum naturas: intellectu, spiritum creatum.

Vel, quod habet idem auctor de sp. & anim. ca. 37. Intellectus est ea vis animæ, qua de diuinis, quantum homini possibile est cognoscitur ad cœlestia arcana penetranda: quæ penetrari nō possunt nisi per spiritum eius, qui etiam profunda Dei scrutatur. Vnde Apostolus dicit: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 1. Corin. 2.

TERTIO. Officium doni intellectus esse, vt à mente humana penetrentur velamina veritatum ad salutem necessariarū, latitantium in rerum naturis, in diuinis litteris, in sacramentis ac figuris. Itaq; eo lumine illustrata mens humana penetrat tenebras proprias donec ad notitiam sui perfectam perueniat. Agnoscit se, & in se imaginem

Dei Vnius & Trini:tum principium suum, nempe creatorem. Deinde, idem lumen facit hominem penetrare velamina scripturæ sacræ introducens eum ad claram contemplationem, vel illuminationem puræ veritatis. Puræ autem veritatis illuminationes, vt inquit Hugo Victorinus sunt, quando veritas sine imaginibus, & figuris per se ipsam percipitur. Excellentior enim cognitio est, vt scribunt Richardus & Haymo super Apocalyp. cum spiritus humanus per internam inspirationem suauiter tactus, nullis rerum visibilium formis ad cœlestium contemplationem erigitur. Et Haymo ib. Est quædam visio intellectualis, quæ non fit per corporales res, nec per similitudines: sed ipsa veritas in mente manifestatur videntibus. quod proprie Electorum est.

*Hugo in ca 7. Hier. Ang.*

Imo, in tantum aliquando donum intellectus penetrat omnia veritatis velamina, & in tantum introducit mentem ad sua interiora, vt audiat verba, quæ non licet homini loqui: cum non possint dici per os carnis, quippe intellectualia nihil coporale habentia, nec imaginem, nec similitudinem, ideo per os carnis non exeunt. Et ideo illa nemo scit nisi qui accipit Apocal. 11. Quod exponens Augustinus, dicit: quod nemo scit, nisi qui accipit per reuelationem, vel per experientiam.

*Hom. 11. in Apoc. 10. 9.*

Adhæc: Spiritus Sanctus per donum intellectus facit penetrare omnia velamina tum veritatis incarnatæ, quæ sunt infirmitates & defectus pro nobis adsumpti, tum veritatis increatæ: vt enim dicit Dominus. Ille spiritus me clarificabit. Quod exponens Augustinus, inquit: Spiritus clarificat Filium, non ita, quod de non claro faciat clarum: sed, quando nobis manifestat vt clarum clare cognoscamus. Et quoniam Spiritus Sanctus procedit ab vtroque, scilicet, Patre, ac Filio, vtrumque & se nobis manifestat, sicque ad cognitionem & dilectionem totius Trinitatis perducit.

*Tract. 110. in Ioann.*

Denique, Spiritus Sanctus per donum intellectus facit vt homo penetret velamina diuinorum sacramentorum. Habent enim sacramenta velamina, quibus luciformes margaritas abscondunt, ne pedibus porcorum immundæ multitudinis conculcentur: & ne derideant, vel contemnant illas.

Intellectus autem humanus vt obseruat Bernardus est pauper, & quasi cœcutiens sine adiutorio Dei in cognitione tam absconditarum veritatum sacramentalium: sed præsidio Spiritus Sancti tribuentis intellectus donum, ac cætera dona fit diues, ac fortis ad penetrandum velamina, & inueniendum veritates absconditas.

II. De dono sapientiæ docet S. Bonauentura. PRIMO desursum

sum

sum esse à Patre luminum, veri saporis, & boni splendoris: splendore dirigere intellectum ad cognitionem veri: sapore erigere affectum ad boni saporosam dilectionem.

SECVNDO. Obiectum doni sapientiæ principale esse DEVM non sub ratione veri absolute, sed sub ratione veri in relatione ad rationem boni, vt est excitatiuum voluntatis ad eius saporosam dilectionem.

TERTIO. Actum sapientiæ esse contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suauitate, & adfectu. Vnde Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 7. vbi nulla est dilectio, scilicet, gratuita quis vllam dicet esse sapientiam? Et Bernardus sermone 85. in Cantic. Nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni definierit: quare sapientia à sapore denominatur. Isidorus quoque libr. 10. etymolog. sapiens dictus est à sapore; quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum: sic sapiens ad dignoscendos sapores rerum atque caussarum aptus est.

QVARTO. Donum sapientiæ esse habitum supernaturalem animæ à Spiritu Sancto infusum ad Deum cognoscendum, & saporose diligendum. Item, esse lucem descendentem à Patre luminum, quæ dum irradiat, animam facit Dei formem: illustrat intellectiuam: inflammat affectiuam, roborat operatiuam. Facit intellectiuam speciosam, adfectiuam amœnam, operatiuam robustam. Denique, sine dono sapientiæ omnes sensus interiores, qui sunt spirituales, infirmantur, & languescunt in operibus: quia sunt absque gustu spirituali, vel sapientiali, qui gustabilia spiritualia sapida reddit.

Dionysius Carthusianus lib. de Fonte lucis artic. 13. sic definit. Donum sapientiæ est habitus supernaturalis infusus, Dei per gustum internum cognoscitiuus, per quem mens bene de Deo sentit, ac iudicat per connaturalitatem & conformitatem adfectus ad ipsum: seu, per mentalem saporem. Sunt hæc valde consona dictis SS. PP. præsertim Augustini, ac Bernardi, cuius sententias recitat S. Bonauent. cap. 2. & 3.

III. Distinguunt Mystici donum intellectus & sapientiæ, PRIMO operatione. Quod doni intellectus sit cognitio speculatiua, & quasi per *Visum*: Sapientiæ, sit cognitio experimentalis, & practica, ac quasi per gustum. Atque ideo sapientiam collocant supra intellectum, quia intellectus, tantum dicit cognitionem, vel visionem: Sapientia, præter cognitionem, dicit delectationem. Ita fere S. Bonauentura capit. 5. Et addit. Summa huius differentiæ est: quod donum

intellectus proprie est penetratiuum: sed donum sapientiæ proprie est saporatiuum.

SECVNDO, distinguunt obiecto. Obiectum doni intellectus secundum Mysticos est ens latissime sumptum, tam creatum, quam increatum; quatenus in ipso, vel per ipsum Deum, vel quæ Dei sunt luminis supernaturalis acumine potest homo intueri. Itaq; intellectus singulari perspicacitate omnia penetrat. Quicquid supra, infra, intra nos est, ad contemplationem adducit. Attributa diuina, ac perfectiones omnes, velamine, siue creaturarum, siue sacræ scripturæ, siue mysteriorum fidei, siue verbi incarnati obuoluta rimatur, & quantum fas mortali, intuetur.

Obiectum sapientiæ, certe, principale, ac primarium est Deus, sub ratione, qua verus, & excitatiuus voluntatis ad saporosam sui delectationem. Et ideo, sapientiæ actus est contemplari Deum non quocumque modo, sed cum dilectione, & cum quadam suauitate experimentali in adfectu. vt disserit S. Bonauent. Itinere III. Æternit. distinct. 2.

---

# EXERCITATIO IV.

## *AN THEOLOGIA MYSTICA SIta sit in dono sapientiæ? an in dono intellectus? an potius in vtroque?*

PLVRIMI, cum de Theologia Mystica agunt, insinuant, illam nihil aliud esse, quam sapientiam, quatenus est donum Spiritus Sancti. Clarissime Dionysius Carthusianus li. de fonte lucis art. 13. MYSTICA THEOLOGIA, seu vnitiua sapientia realiter est ipsum sapientiæ donum. Nempe, sapientia illa, quæ inter septem dona Spiritus Sancti primum est, ac dignissimum. Huius autem sapientiæ triplex est gradus. Et ipsa secundum gradum suum supremum, quo est in viris heroicis, & perfectis, efficiens eos, quasi Consiliarios, ac Secretarios omnipotentis, ac supersapientissimi Creatoris est sapientia vnitiua, ac MYSTICA THEOLOGIA.

Idem Commentatione in Areopagitam de Mystica Theolog. Si Theologia Mystica, inquit, sumatur pro habitu, realiter idem est, quod præstantissimum donum Spiritus Sancti, quod sapientia nuncupatur: sumendo sapientiam, non vt est donum gratiæ gratis datum: de qua

de qua ait Apostol. 1. Corinth. 12. Alii per spiritum datur sermo sapientiæ: sed vt est donum gratiæ gratum facientis, supernaturale, infusum, caritati inseparabiliter iunctum: de quo loquitur Isaias capit. 11. Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus.

Sanctus quoque Bonauentura sermone 11. de luminaribus Ecclesiæ docet, Theologiam Mysticam esse sapientiæ consummationem.

Hunc sequutus, Ioannes Gerson, consideratione 43. De Theologia Mystica Speculatiua, scribit: In anima contemplatiua, amorem, & Mysticam Theologiam ac orationem perfectam vel esse idem, vel se inuicem præsupponere. Tunc subiungit: Mystica Theologia est cognitio experimentalis habita de Deo per coniunctionem affectus spiritualis cum eodē, dum scilicet impletur illud Apostoli: Qui adhæret Deo vnus spiritus est: quæ adhæsio fit per ecstaticum amorem teste B. Dionysio. Rursus eadem Theologia dicitur sapientia, prout inter dona reponitur à sapore scilicet, quasi sapida sciētia. Vocatur præterea à Diuino Dionysio, irrationalis, & amens sapientia eo, quod superat rationem & mentem, transiliens in affectum, non quemcumque, nec qualemcumque, sed purum, ipsique mentali intelligentiæ correspondentem, quo adfectu videtur Deus à mundis corde. Videtur, inquam, quia sentitur, & gustatur iuxta promissionem Christi: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: & secundum illud Gregorij: Amor ipse notitia est.

Assonant his recentiores. Ioannes à IESV-MARIA Calaguritanus, Procœmio ad libellum de Theol. Mystica: Hæc, inquit, Scholastico etiam more perpensa, non translate, aut minus proprie, sed proprijssime SAPIENTIA est, vtpote diuinitatis nobilissima, luculentissimaq; cognitio.

Idem ca. 1. obseruat ab vniuersis Auctorib. qui de Theologia Mystica scripserunt, sapiētiæ nomenclaturam ei absq; vlla exceptione tribui: quod ipse adprobat, & confirmat. *Cum enim sapientia sit rerum notitia per altissimas caussas,* & Mystica Theologia *hoc in exilio sit suprema, & per summam rerum effectricem caussam humano cordi arcano nexu coniunctā, parta; conficitur plane ingenium Sapientiæ, illi consentire. Nomen vero quantopere quadret,* inquit, *ex ipso etymo liquet. Dicitur enim sapientia, quasi sapida scientia. Quo certe in genere scientiis vniuersis, vel omnino partis, vel infusa fide, tanquam basi subnixis maxime antecellit.*

*Etsi enim clarissimi aliquot naturæ inspectores in ipsa rerum naturalium contemplatione nonnihil voluptatis percipere soleant, vnde scientia ipsi labore conquisita sapor quidam adnascitur; is tamen tam exilis est, vt non intrinsecus*

*enasci, sed extrinsecus affigi videatur si cum penitissima, & castissima huius sapientiæ voluptate comparetur.*

Confirmat hanc doctrinam ex eo, quod excellentissimum Spiritus Sancti donum sit sapientia, quam esse inquit ipsam Mysticam Theologiam opinamur. Quæ licet in intellectu, quam acuit ad diuina reponatur: non tamen ita in eo definitur, vt proximam nõ vrgeat, & amore diuino incendat voluntatem. Quin potius adeo illam impellit & ciet, vt quendam ei velut perennem impulsum imprimat, quo illa, quasi ferrum magnete tactum inquies ad Deum fertur, nullibi prærerquam in Deo adeptura quietem. Compertum est autem in iis actib. promendis, quos amor generat, inesse voluptatẽ. Quamobrem Theologiam mysticam, cuius opus alta cognitio, amor, ac sapor Dei est purissimis delitiis oportet adfluere.

VERVM alii ita in dono sapientiæ Theologiam Mysticam constituunt, vt non velint excludi donum intellectus. Cum enim actus Theologiæ mysticæ sit cognitio contemplatiua de Deo, & diuinis, potest hæc aliquando prouenire à dono intellectus.

AT facile respondetur. Non omnem cognitionem contemplatiuam Dei spectare ad Mysticam, sed illam solum, quæ est cum sapore ac dulcedine interna: contemplationem a. illam supernaturalem, quæ ab intellectus dono promanat, sapotola sapientiæ delectatione carere. Negari enim non debet, operationes istorum donorum distinctas esse, ac separatas: atque ide operationes, quæ spectant ad donum intellectus contingere posse absque doni sapientiæ influxu. Sapientię autem donum non est sine dono intellectus: nec illius operatio mysticis quibusdam videtur esse absque doni intellectus præuio, & concomitante actu. Imo, putat Thomas à IESV lib. 1. de contemplatione diuina habere se sicut includens, & inclusum. Nam, *quid aliud*, inquit, *est* sapientiæ donum, *quam illa clara, & affectuosa Dei cognitio, diuino illo sapore & experimentali gustu conspersa*? Fortasse, dicere voluit: Quid aliud est operatio doni sapientiæ?

*Lib. 1. c. 4.*

Adiungit idem: Minus apte tam antiquos, quam recentiores scriptores contemplationis supernaturalis intuitum dono sapientiæ adscripsisse; nisi mens illorum fuerit, quod contemplatio secundum perfectissimum gradum ad sapientiæ donum referendum sit.

AT vero S. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 32. ita de dono sapientiæ & intellectus differit, vt videatur omniuo asserere, operationem doni sapientiæ esse in aliquibus, in quibus non est operatio doni intellectus. Neque enim, inquit, hoc est *sapere*, quod *intelligere*. Quia multi æterna quidem sapiunt, sed intelligere nequaquam possunt. Sapien-

pientia ergo in die suo conuiuium facit, quia mentem de æternorum spe, & certitudine reficit. Intellectus in die suo conuiuium parat: quia in eo, quod audita penetrat, reficiendo cor tenebras eius illustrat. Quo loco, vt bene notat Gregorius Valentia P. S^dæ^ quæst. 8. Punct. 3. non ita distinguit S. Papa inter donum sapientiæ, & intellectus, quasi ab inuicem sint separabilia: sed ex differentia actus doni sapientiæ, & actus doni intellectus ostendit illa dona esse diuersa. Differentiam autem actus inde probat, quod reperiantur quidam, qui æterna sapiunt, & tamen intelligere non possunt: id est, habent actum vnius doni, non alterius.

RESPONDEO. Habitum Theologiæ Mysticæ esse donum sapientiæ. Constat *Primo*, auctoritate doctorum mysticorum veterum, ac recentium. *Secundo*: Ille est habitus Theologiæ Mysticæ, à quo dimanat proprius eiusdem Theologiæ actus: sed hic dimanat à dono sapientiæ. Ergo hoc donum est habitus illius Theologiæ. Minor probatur: Actus proprius Theologiæ Mysticæ est contemplatio Dei, nō quælibet, sed quæ saporosa sapientiæ delectatione est condita. Huiusmodi autem contemplatio dimanat ordinarie à dono sapientiæ. Ordinarie dico, nam potest etiam effici lumine cœlitus immisso, & per auxilium actuale peculiariter ad hunc finem datum.

Ex his patet Theologos Mysticos esse proprijssime SAPIENTES.

# COMMENTATIO II.
# SVBIECTVM THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

## EXERCITATIO I.

### *DE SVBIECTO REMOTO THEOLOGIÆ Mysticæ.*

SVbiectum remotum voco hominem cui inest ea disciplina. Circa illud autem est

minibus necessaria ad salutem, & tribuuntur omnibus ijs, qui salutem consequuntur, ac recipiuntur in Dei gratiam. Quocirca S. Thomas art. 5. affirmat: dona omnia esse connexa in caritate, sicut virtutes morales connectuntur in prudentia: virtutesque Theologicas, sed præcipue caritatem esse quasi fontes, & radices donorum.

RESPOND. I. Omnes iustos habere Theologiam Mysticam quoad habitum. Liquet: quia omnes habent donum sapientiæ, quod realiter est habitus Theologiæ Mysticæ.

RESPONDEO II. Non omnes iustos fideles habere Theologiam Mysticam quoad actum. Patet experientia: plurimi enim sunt, qui contemplationi rerum diuinarum non sunt intenti. Neque hoc est absurdum. Quia, quemadmodum multi habent habitus infusos virtutum, tam Theologicarum, quam Moralium, qui tamen non operantur ex ijs virtutibus: vt constat in paruulis, & aliis, qui non habent organa expedita, sine quibus non exercentur operationes, etiam supernaturales. Ita minime absurdum est, adfirmare: quod in multis sint dona Spiritus Sancti, qui tamen actualiter ab illo non moueantur.

RESPONDEO III. Multos fideles iustos non esse proxime idoneos vt exerceant actus Theologiæ Mysticæ. Probatur. Habitus supernaturales infusi, quamuis dent potentiam remotam operandi, non tamen omnibus dant proximam, & expeditam, vt experientia patet in infantibus. Multa autem requiruntur ad hoc, vt exerceantur actus Theologiæ Mysticæ, qui est perfecta contemplatio habens varias conditiones, quæ hominem postulant adultum, non annis magis, quam virtutibus, & aliis plurimis gratiæ ornamentis excultum. Confirmatur. Actus Theologiæ Mysticæ est contemplari Deum nō quocumque modo, sed ex dilectione cum quadam experimentali suauitate. Sed ad hoc proxime non sunt idonei pueri, imperfecti, & alijplurimi.

RESPONDEO IV. Ob hanc caussam, non omnes iustos, etiam adultos dici Theologos Mysticos. Hic enim titulus non conuenit, nisi illis, qui vel actu exercent actus mysticos, vel ad illos habent facilitatem, & prompti sunt, vt sic operentur. Quare non tam ab habitu, quam actu, & frequentatione operationum mysticarum denominatur Theologus Mysticus. Siquidem talis appellatur, qui simul habet habitum sapientiæ & contemplationem Deique per voluntatem perceptionem, ac gustum.

TERTIA DISQVISITIO. An sit igitur certum genus hominum cui propria sit Theologia Mystica.

RESPOND. Esse. Constat: Theologia Mystica requirit ordinarie certum vitæ genus, & certum gradum profectus in virtutum studio. Sed hæc non reperiuntur nisi in certo hominum genere. Itaque est certum genus hominum cui competat Theologia Mystica. Qui autem sint illi homines patebit ex sequentibus.

---

# EXERCITATIO II.

## QVOD VITÆ GENVS IN SVBiecto remoto postulet Theologia Mystica.

Greg. hom. 14. in Eze. DIVIDITVR à Theologis vita hominis, vel humana in actiuam, & contemplatiuam. Duæ sunt vitæ, inquit Gregorius, in quib. nos Deus Omnipotens per sacrum eloquium erudit, actiua videlicet, & contemplatiua. Actiua, vt idem Pontifex alibi docet, significatur per Liam: Contemplatiua per Rachaëlem: illa per Mariam, hæc per Martham. Cum enim in hominibus vita cuiusque sit id, in quo maxime delectatur, & quo intentionem suam dirigit: quidam autem præcipue intendat, vacentq; contemplationi, quidam vero magis actionibus exterioribus, hinc factum, vt horum vita sit dicta actiua, illorum contemplatiua. Quæ est Thomæ Aquinatis ratiocinatio. Li. 6. mor. cap. 18.

Qui tamen non negat dari vitam *Mixtam*, siue *Mediam* ex vtraque quasi compositam: Addit tamen media confici ex extremis, atque ita virtute contineri in eis: quemadmodum tepidum in calido & frigido: pallidum in albo & nigro. Sic igitur sub actiuo & contemplatiuo comprehenditur id, quod est ex vtroq; compositum. Verumtamen, sicut in quolibet misto prędominatur aliquod simplicium ita in medio genere vitæ prædominatur quandoque contemplatiuum, quandoque actiuum. Est itaque

PRI-

## PRIMA DISQVISITIO. Cuius vitæ propria sit Theologia Mystica?

RESPONDEO, Esse vitæ contemplatiuæ. Vel, hominum, qui dediti sunt vitæ contemplatiuæ. Cum enim pene vnicum Theologiæ Mysticæ officium sit contemplari DEVM, ac DIVINA, hoc sane vt per se constat nulli magis conuenire potest, quam ijs, qui omnem suam operam eo conferunt, vt vni diuinorum contemplationi vacent.

QVARE commendari satis non potest, quorundam Religiosorum institutum, qui adspirantibus è sua familia nonnullis à Theologiæ Mysticæ delitias, post vitam cœnobiticam, communemque sine querela multis annis peractam, indulgent solitudinem, vt in ea, eremitarum more, totos se contemplationi tradant. Quod Rustico Monacho suadebat S. Hieronymus: monens vniuerse, vt de nido monasteriorum huiusmodi egrederentur milites, quos eremi rudimenta dura non terreant, & qui speciem conuersationis suæ multo tempore didicerunt.

TALES sunt ex S. Matris Theresæ disciplina Carmelitæ excalceati illi, qui in deserto S. Ioseph, vulgo Batuecas nuncupato in Hispania nuncupantur, & dicuntur o[illegible]inis illius eremitæ. Tales in Bauaria à Religiosissimo Duce Guilhe[illegible]o in solitudine peramœna constituti, & per mansiunculas suas di[illegible], re, [illegible] nomine Monachi. Tales in Hetruria familiæ Oliuetanæ rel[illegible]giosi fr[illegible]tres. Talis denique laudatissimo suo instituto D. Brunonis Carthu[illegible] sium Patriarchæ selecta posteritas contemplatiuorum.

Hi ab hominum consortio procul, cœlo propiores, & in cœlo habentes conuersationem, vt Paulus loquitur, d[illegible]u, noctuque Angelorum more, puros, ac defœcatos mentis oculos in cœlestia, diuinaque defigunt. Hi ab externarum rerum tumultu subducti, atque à corporalium occupationibus remoti, in vnum coactis animi viribus ex Dionysii Magni præcepto ad diuinum contemplationis radium se totos conuertunt. His ad cœlestes theoriæ apicem extremo conatu contendentibus dexteram porrigit adiutricem sapientiæ mysticæ liberalissimus dispertitor spiritus, illorumque mētem præclarissimo sapientiæ dono illustrando, diuina arcana pandit. Horum quilibet ad amatam solitudinem, tanquam optatissimum periculosæ nauigationis portū se conferenti dicitur: *Requiem dabit tibi dominus, & implebit splendoribus animam tuam.* Isaiæ 58. Nam *solitudo*, vt loquitur Cassianus, *Cassian. li. 8 instit. monast.*

*nus, nouit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, & intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam reuelare.*

## SECVNDA DISQVISITIO. An Theologia Mystica ita adstringatur vitæ contemplatiuæ addictis, vt non conueniat vitæ actiuæ, aut mistæ hominibus?

RESPONDEO. Negatiue. Fuerunt enim, & sunt etiamnum multi, qui, vel in cœnobijs, vel collegiis in communi agentes vitam mixtam, & actionibus virtutum, tum ad perfectionem propriam, tum ad aliorum salutem spectantib. plurimum dediti ad summum Theologiæ Mysticæ culmen peruenerunt, diuinitus contemplandi facilitate, & sapientiæ dono locupletati.

Omitto bellicosissimum Regem Dauidem, quem nemo dixerit vitam contemplatiuam puram, vt ab actiua discernitur, coluisse. Qui vero neget, illum in Theologia Mystica, quam pene omnes sanctissimi vatis Psalmi spirant, fuisse excellentissimum? Anhelabat ille quotidie, belli pacisque negociis districtus ad contemplationis horam, quamuis non horam illum solummodo, sed plurium spacium quotidie bus contemplandis diuinis non dubitem impendisse. Incipiebat statim à somno expergefactus: *Mane*, inquit alicubi, *adstabo tibi, & videbo:* Augustinus legit; *& contemplabor.* Alibi: *Vnam petij à Domino: hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (vt contempler) sic idem legit delectationem Domini.

Psal. 5.

Psal. 25.

VITA Christi Saluatoris dum in terris cum hominibus egit ipsorum saluti nunquam non noctu, ac interdiu inuigilans, haud fuit omni ex parte contemplatiua: sed mixtę propior, imo proprie mixta. Fuit autem is, vt Theologiæ Mysticæ summus magister, ita eiusdem exercitator assiduus. Certe contemplationi mysticæ noctibus potissimum, quod tempus illi functioni est maxime opportunum, dabat operam.

APOSTOLI hoc magisterio condocefacti, non minus contemplationi diuinorum, vt Mystici Theologiæ quam Euangelicæ prædicationi, & hominum saluti procurandæ, quod ad vitam actuosam spectat, tanquam orbis Doctores impendebant. Id ex actibus à Luca conscriptis, & Epistolis Apostolicis, Pauli præsertim, elucet clarissime. Is de se, suique similibus enunciat illud secundæ ad Corinth. 4.

Non

Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. *Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna.*

Imo, tantum abest, nos cogi affirmare, Theologiam Mysticam auulsam esse debere à vita actiua, vt negent Patres officia vitæ actiuæ fructuose, & cum dignitate exerceri nisi à Theologis Mysticis. Siquidem vita actiua consistit in exercitatione sanctæ prædicationis, & functionibus illorum ministeriorum, quæ ad proximos perficiendos in via mandatorum Dei sunt necessariæ. Actiua vita est, vt loquitur Gregorius, panem esurienti tribuere, verbo sapientię nescientem docere. Non possunt autem ista præstari cum fructu, & auctoritate, nisi à Doctoribus in Mystica sapientia versatis. Quare monent Patres ad proximos iuuandos conferre se non debere, qui contemplationis sunt negligentes, & deprauatarum affectionum mortificatione non satis expoliti.

Docet sane grauissimis verbis S. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 25. eum, qui carne domita sanctæ operationis studia exercuit, antequam doceat alios, debere se ad secreta intimæ contemplationis extendere Et addit: Neque enim perfectus prędicator est, qui, vel propter contemplationis studium, operanda negligit: vel, propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est enim, quod Abraham coniugem mortuam in se pulchro duplici sepelit, quia nimirum, perfectus quisq; Prædicator, extinctam à præsentis vitæ desideriis animam suam sub bonæ operationis tegmine, & contemplationis abscondit, vt à carnali concupiscentia sub actiua, contemplatiuaque vita, quas insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens, mortaliter viuebat.

Hinc est, quod humani generis Redemptor, per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad orationis studium in monte pernoctat: vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus, nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant; nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant: Sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos refundant. Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando, ad proximi vtilitatem reditur. *Luc. 6.*

Nam reuera, vt idem mox subiungit: Quem implet caritas, incendit. Vnde & in Euangelio veritas dicit, ignem veni mittere in terram. *Luc. 12.*

Nec aliter Augustinus, qui libr. 4. De Doctrina Christiana cap. 14. præcipit, vt Prædicator prius ad Deum leuet animam sitientem vt bibat, quam eructet, & prius impleat, quam fundat. Et libr. 19. de

Ciuit.capit.19. Ex tribus,inquit,vitæ generibus,ocioſo,actuoſo,& ex vtroque compoſito quamuis ſalua fide quiſque poſſit, in quolibet eorum vitam ducere,& ad ſempiterna præmia peruenire:intereſt tamen, quid amore teneat veritatis & quid officio caritatis impendat. Nec ſic quiſque debet eſſe ocioſus, vt in eodem ocio vtilitatem non cogitet proximi:nec ſic actuoſus, vt contemplationem non requirat. In ocio non iners vacatio delectare debet: ſed, aut inquiſitio, aut inuentio veritatis, vt in ea quiſque proficiat, & quod inuenerit, alteri non inuideat.

In eundem ſenſum S. Bernardus ſermone 57.in Cantica. Hoc vera & caſta contemplatio habet, vt mentem, quam diuino igne vehementer ſuccenderit, tanto interdum repleat zelo & deſiderio acquirendi Deo, qui eum ſimiliter diligant, vt ocium contemplationis pro ſtudio prædicationis libentiſſime intermittat: & rurſum petita votis aliquatenus in hac parte tanto ardentius redeat in idipſū,quanto ſe fructuoſius intermiſiſſe meminerit: & item ſumpto contemplationis guſtu valentius ad conquirenda lucra ſolida alacritate recurrat.

Itaque merito S.Thomas SSdæ quæſt.188.art.6. illud doctrinæ, ac prædicationis opus commendat imprimis, quod ex contemplationis plenitudine deriuatur.Idemq; qu.81.art.3. docuerat ſtudium populo tradendæ ſacræ doctrinæ ad contemplationis ſtatum aliqua ratione pertinere. Cuius ſententiæ quoque eſt S.Auguſtinus ſermone 27.de verbis Domini. Non eſt igitur, quod Theologiam Myſticā, quæ in contemplatione Dei ac diuinorum conſiſtit, ſolis ijs qui ab actiua vita alieni,latent in ſolitudinibus adſcribamus.

## TERTIA DISQVISITIO. An Theologiæ Myſticæ operam dare poſſit non minus vitæ mixtæ,quam contemplatiuæ ſectator.

RESPONDEO Negatiue. Nam huius & præcipua,& pene tota occupatio eſt Theologiæ Myſticæ exercitium. Quid enim aliud agat vitæ contemplatiuę deditus, quam contemplari? quo dirigat operationum cogitationumq; ſuarum intentionem, niſi ad hunc ſcopum? At qui in vita contemplatiua mixta eſt conſtitutus, multis aliis diſtinetur,quæ vel ęque ac contemplatio,vel non minus frequenter, imo multo diutius, continuata contentione peragenda ſunt.

Dedit de hac re pręceptiones vtiliſſimas hominibus Societatis Ieſu,

Iesu, eius præpositus Generalis Claudius Aquauiua in Epistola, quã scripsit de vsu orationis in societate. In ea sapienter imprimis docet à sociis minime alienas existimari debere Theologiæ Mysticæ delitias, posseque ijs tribui plurimum temporis: nostris enim hominibus integrum relinquitur, quicquid temporis ad profectum proprium magis facturum videtur, id omne ad contemplationis ocium referre: modo quis probabiliter audeat sibi polliceri, fore, vt nec immoderato labore valetudinem lædat: nec in officiis proximo præstandis desit, aut deficiat: nec inobedientiæ mandatis, ea, qua par est, alacritate exequendis tardiorem se præbeat.

Nec adstringuntur, qui commentationum piarum vsu profecerunt, longoque vsu facilitatem in orando, & contemplando sunt assequuti, ad certum aliquod argumentum, vel materiam, Theologiæ Mysticæ fortasse minus consentaneam: ne hoc quispiam suspicetur. Spiritus enim Domini, qui laxissimis habenis ferri solet per innumerabiles animorum illustrandorum, & sibi arctissime demerendorum vias, quasi fræno, sic finibus denotatis non est coercendus. Et nos diuino Doctori par est quidem obsecundare, sed non licet anteuertere. Quare, vt absurdum foret, & à prudentiæ legibus alienum, Societatis hominibus penetranda naturæ diuinæ mysteria: infinita per omnem modum Dei supremi attributa peruestiganda: Hypostasi triplicem vnitatem, & naturam simplicem Trinitatem rimandam & perscrutandam peculiari penso dictare: Ita foret absurdissimum illis commentandis, quasi nostro repugnantibus instituto, cuiquam interdicere.

Deinde hortatur omnes prudentissimus Pater ad Theologiæ Mysticæ vsum. Non enim veritati reluctandum est, inquit, aut testatissimæ Sanctorum Patrum experientiæ refragandum, & habenda despicatui CONTEMPLATIO, vel ab ea nostri prohibendi: cum illud plurimorum Patrum sententia suffragioq; perspectum sit & exploratum, veram, perfectamque contemplationem potentius & efficacius altera qualibet piarum meditationum methodo superbientes hominum animos frangere, atque contundere: pigritantes ad obeunda superiorum mandata vehementius incitare: & languenter ad salutem animorum ardentius procurandam inflammare.

Sed quoniam posset obijcere quispiam. Non videri conuenire vitæ mixtæ viris, & præsertim hominibus societatis, vsum Theologiæ Mysticæ, cum ipsorum orationis & contemplationis studium, ad aliud necessario referendum sit: neq; committendum, vt per se nuda sit & solitaria CONTEMPLATIO.

RESPONDET prudenter,non vno modo posse intelligi. PRIMO quidem,vt sit sensus: Non illic consistendum esse hominibus ad actionem quoque vitam suam referentibus, vt interno illi orationis gustui adhæreſcant,& per modica dulcedine deliniti, nihil vberioris fructus, illic ad se deriuare,ad vitã, moresq; recte formandos,aut virtutes sibi comparandas elaborent.Ita vt V.G. post pensitatam solerti contemplatione seruatoris hominum, quæ in acerbissimis dolorum perpessorum cruciatibus eluxit, patientiam, post abiectionem illam accurate discussam, post feruorem,& eum, quo violentissime incendebatur,zelum animarum,ijsdem, quibus antea,impatientiæ superbiæque stimulis agitentur. Verum, hic siue orationis,siue contemplationis fructum ad aliud referendi modus, Religiosis hominibus communis est,&omnibus,quo se contemplationi dedunt,vt sunt Mystici Theologi vsurpandas.

SECVNDO:qui contemplationibus mysticis vacat,illud spectare potest, vt mens diuinæ caritatis ignibus exardescat; & in Deum, quem summe bonum, summe diligendum intelligit, amore feratur inflammato: ex quo deinceps acris illa desiderij flamma subsultet,ab amore sui, tanquam à vinculis,& custodia euolandi,& Deo Maximo fideliter in omnibus famulandi: simul etiam omni conatu annitendi, vt tantum & tale bonum, tam expetendum agnoscatur ab omnibus diligenter,& ametur singulariter. Ea tamen lege,vt cum ita præpotenti Deo placere, ita sui instituti normam exigere, vel denique ita iuberi intelliget,se libenter ab illa suauitate, & grato contemplationis sensu seiungat,& ad operandum animose reliquis adiungat: ijdem quo concepti in illa fornace pietatis ardores, & eum ad agendum inflamment,& eos, quibus cum agit, laudabili religiosæ vitæ exemplo incendant.

At vero contemplatiuæ vitæ alumnus, qui se statui monastico mancipauit, & vt mysticæ vacet commodius solitariæ se religioni addixit, cum id Deo cordi esse nouerit, vt iuxta illud, quod profitetur vitæ genus placidissima illa quiete perfruatur, vt vacet, & videat,quoniam suauis est Dominus, satis habere debet cellæ suæ conclusus angustijs,proximum feruent precum suarum auxilio impertire.

TERTIO finem habere potest Contemplator, vt sacrarum paginarum sensa,fideique nostræ vera principia ea mente meditetur,vt intelligentia comprehensa, deinceps ea rudium populorum animis dicendo,docendoque instillet. Quo certe modo falsum est contemplationis vel meditationis fructum semper ad aliud spectare debere: ita

ita vt ex vi naturæ suæ non etiam feratur ad amandum Deum, aut cognoscendum meditatio.

Quod si quis asserat vitæ mixtæ homines ita debere semper alio collimare, vt nunquam ijs liceat Deum vnicum diligendum, vel intelligendum sibi in oratione proponere, sed ita perpetuo meditationem instituendam, vt reipsa semper ad aliud intendat, neque sit illis liberum, aliquid eorum, quæ non referantur ad aliud contemplari, is procul dubio errat: & in alium sensum propositionem Doctorum, quam vel illorum auctoritas, vel contemplationis natura patiatur. Nec enim aliquis recte pronunciauerit, ideo à me Deum amari, vt aliquid ei gratum exequar: contra potius, illud ea propter exequi censebor, quod illum amem, & amoris illius stimulis ad opus illud aggrediendum, & perficiendum impellar.

Quod est itaque discrimen in Theologiæ Mysticæ studio inter contemplatiuæ, & mixtæ vitæ homines? Id ita tradit Aquauiua. Primum, tempus diuersum est in vtrisq;. Etenim contemplatiuus, qualis Carthusianus, id omne, quod potest, temporis, quoniam alijs negociis non distinetur, in orando, meditando, vel contemplando consumit. Alter succedentibus sibi indefinenti serie negotijs, pietatis exercitia, & animi cultum sæpius interrumpere cogitur. Ille tametsi corporis vires labore illo contemplationis & precationis longioris, multum eneruet, atque debilitet: modo tamen valetudinis apertum periculum non incurrat, nihil à professione sua alienum admittit, cum se minus idoneum ad obeunda cætera suæ religionis munia nō efficiat. Hic vero, quia multa, neque mediocria bona vocationi suæ conformia acri illa corporis diuexatione, & virium defatigatione impediat, dum immoderatis illis laboribus plus iusto se conficit, fines sibi à Deo, & religione constitutos prætergreditur. Ille vix vnquam ex obediētiæ mandato à Mysticæ Theologiæ exercitio & contemplatione, in qua suæ vocationis præcipuum est caput collocatū, distrahitur. Hic identidem alio, quo scilicet cum vocatio sua deducit, abducitur. Postremo, ille tanquam in portu suo, sic in exercitio illo mystico iucundissime adquiescit, & tentationi ducere debet, quotiescunque aliud quicquam in his commentationibus suis spectare prouocatur. Hic contra, si propter eam, quam in hoc sanctæ quietis ocio voluptatem experitur ad opus in Domini vineam egredi cunctetur, in potissima vocationis suæ parte insigniter deficit. Ille solitudinem sectatur, & silentium, vt ea, quibus in contemplatione plurimum iuuatur, subsidia: & quia nihil aliud profitetur, vtrumque sanctum & inuiolatum religiosissime custodit. Hic vero, quatenus insti-

instituti sui mediis, nec fini sunt obstaculo, secessum eundem ab humana consuetudine, silentiumque consectatur. Et eam ob rem, vt se ab hominum familiaritate sponte segregat, & silentium dum licet, decetque obseruat: ita pariter vtrumque, dum vel obedientia, vel caritas exigit, non sine merito sæpius interrumpit. Non enim debet permittere, vt cum captandæ quietis illius amor ab accuratis proximi commodis retardet: debet tamen hoc tenere, quod superioribus B. Gregorius faciendum suggerit. Internorum curam exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in internorum solicitudine non relinquens.

*Contemplatiui.* Ex his perspicuum est, non omnes, qui contemplantur aliquando, vocandos esse contemplatiuos, aut ad vitam contemplatiuam pertinere. Nam etiam illi qui vitæ sunt actiuæ, nonnunquam contemplantur laboriose, vel diuinitus contemplationis absque vllo suo labore recreantur, vt sic ad alacriter in via perfectionis progrediendum incitentur. contemplatiui autem illi propriе dicuntur ex doctrina S. Thomæ I I. q. 18. ad 5. non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam deuouerunt.

*Contemplantes.* Monet etiam Claudius Aquauiua, quod minime prætermittendum est: In eo contemplandi genere, quo nonnulli nondum bene perpurgati vtuntur mali nonnihil suboriri posse, dum inde altiores concipiunt spiritus, aut minus ad superiorum imperia redduntur prompti, & hos non contemplatiuos vocandos esse, sed contemplantes, Satanæ illusionibus obnoxios.

*Ca 40. 41. 42. 43.* Quæ hic diximus exemplo demonstrauit Balthasar Aluarez Societatis I E S V: in cuius vita reperies etiam accurate disputatum quod orationis genus societatis hominibus maxime conueniat.

---

# EXERCITATIO III.

## *QVEM CARITATIS GRADVM in subiecto remoto exigat Theologia Mystica.*

EX disputatis in superioribus satis constat neminem Thoologia Mystica præditum esse qui gratia & caritate diuina non sit exornatus. Caritatis autem nõ vnus est gradus seu status. Diuidi potest vniuer-

niuersè in imperfectam,& perfectam: quamuis, quæ dicitur imperfecta, sua non careat perfectione.

Explicat hoc S. Thomas SS^dæ^ qu.184.artic.2. In hac vita haberi potest perfectio caritatis dupliciter. Vno modo, in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur caritati sicut est peccatum mortale,& sine tali perfectione caritas esse non potest. Vnde est de necessitate salutis. Alio modo, in quantum ab effectu hominis excluditur non solum illud, quod est caritati contrarium: sed etiam omne illud, quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine qua perfectione caritas esse potest.

Et quoniam caritas est amor Dei, ac proximi: potest quoque circa dilectionem proximi duplex perfectio attendi, sicut & circa dilectionem Dei. Vna quidem sine qua caritas esse non potest: vt scilicet homo nihil habeat in affectu, quod sit contrarium dilectioni proximi: alia autem sine qua caritas inueniri potest, quæ quidem attenditur tripliciter.

PRIMO quidem, secundum extensionem dilectionis, vt scilicet aliquis non solum diligat amicos & notos: sed etiam extraneos, & vlterius inimicos. Hoc enim, vt dicit S. Augustinus in Enchridio est perfectorum filiorum Dei. SECVNDO: quo ad intensionem, quæ ostenditur in ijs quę homo propter proximum contemnit: vt nimirum homo contemnat, non tantum externa bona propter proximum, sed & corporales ærumnas, ac vlterius, mortem: iuxta illud Ioannis 15. Maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. TERTIO: quantum ad effectum dilectionis, vt scilicet homo pro proximis impendat non solum temporalia beneficia, sed etiam spiritualia, & vlterius seipsum secundum illud Apostoli 11. ad Corinth. 2. Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.

Imperfecta caritas iterum est duplex: Incipiens, & Adolescens. Vnde triplex potest designari caritas: Incipiens, Adolescens, Adulta, quæ & perfecta, quam habere censetur is, qui cum nullius peccati mortalis sit reus, est etiam procul ab omni impedimento, quo retardari potest eius effectus ne omnino in Deum feratur.

PORRO: Secundum diuisionem caritatis constituuntur tres hominum status, vel triplex eorundem differentia. Sunt enim Incipientes, Proficientes, Perfecti. Aliqui dicunt statum perfectionis habere tres gradus, Incipientium, Proficientium, Perfectorum. Status enim perfectionis est caritatis. Nam perfectio Christiana essentialiter consistit in caritate, per quam Deo coniungimur. Quare monet

Paulus.

Paulus ad Colossenses III. Super omnia caritatem habete, quod est
*[S. Chryso. hom. 7. in epi. ad Colos.]* vinculum perfectionis. Non dixit, vt Chrysostomus notat, vertex:
sed, quod magis est, vinculum. Necessarium est magis hoc quam illud: Nam vertex quidem perfectionis est auctio, & intentio. Vinculum vero conseruatio eorum est, quæ perfectionem efficiunt, tanquam radix.

Deus finis est naturæ rationalis: tunc autem quælibet res perfecta dicitur, cum fini suo quam arctissime copulatur. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo 1. Ioan. 4.
*[Li. de Doct. Christ. ca. 22. Aug. lib. 1. Conf. c. 20]* Tunc optimus est homo (inquit Augustinus) cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto adfectu inhæret illi. Bonus enim est, dicat quilibet, qui fecit me & ipse est bonum meum.

Oritur caritas in incipientibus & est quasi infans ac debilis: in proficientibus confirmatur, & adolescit: in perfectis robur habet virile, & perfectionis quasi consistentiam. Quod indicat Augustinus
*[Aug. in ca. 1. Ioan. tr. 5]* non multum dispari metaphora. Caritas, cum nata fuerit, inquit, nutritur, nutrita roboratur, & roborata perficitur. Alibi tamen idem sex
*[Li. de vera relig. c. 26. Aug in Ps. 130. ser. 16. & 17. De verb. Apost. Greg. li. 25. Moral. c. 7. In Ezech. hom. 15. Bern. serm. de Ligno. Serm. 4. ad Frat. serm. de Cant. Ezechiel.]* ætatis gradus caritati tribuit, quomodo nonnulli hominis metiuntur vitam. Sed tripartitam illam diuisionem sæpius laudat, cum eoque Hieronymus, Gregorius, Bernardus, atq; ex ijs

S. Thomas SSæ quæst. 24. arti. 9. vbi obseruat tres illos gradus *Caritatis, Incipientis*, Proficientis, & Perfectæ, non distinguendos esse ex gradibus intensionis, sed ex variis studiis & actionibus hominis habentis caritatem ordinatis ad perfectionem & vsum eiusdem caritatis. Siquidem gradus caritatis sunt vniformes, atque ita secundum illos potest fieri diuisio secundum arbitrium diuidentis, atque in infinitum. Sumenda est igitur illa partitio secundum varia studia, quæ caritas in subiecto requirit, prout subiectum varie est dispositum. Quocirca euenire potest, vt caritas valde sit intensa, & multorum graduum & tamen sit in statu incipientium.

DIFFICVLTAS est, Quando sint hi status: seu, quæ caritas dicatur Incipiens, quæ Proficiens, quæ Perfecta. Omissis variis dicendi diuersorum modis Breuiter. *Caritas Incipiens* est eo tempore, quo affectuum & passionum inordinatio in homine iustificato non est notabiliter diminuta per consuetudinem virtutum. *Proficiens*, quando illa inordinatio, exercitio actuum studiosorum, & contra affectus pugna est notabiliter diminuta, non tamen sublata omnino, eo modo, quo in hac vita tolli potest. In qua non potest quidem auferri illa inclinatio, quæ naturam corruptam comitatur: potest tamen inclinatio passionum earumdemque inordinatio per contrariam consue-

ſuetudinem maxima è parte remitti. Quod quando factum eſt, caritas dicitur perfecta. In qua tamen perfectione caritatis, inter alia, vt docet S. Auguſtinus illud ſpectatur, vt quantumuis aliquis ſit perfectus, exiſtimet ſe longe eſſe à perfectione quæ futura eſt, & à dilectione, quæ Deo debetur.

Itaqve Status incipientium exordium habet in ipſa iuſtificatione hominis, & durat vſque ad notabilem paſſionum moderationem, quando iam incipit facile reddi virtutis exercitium. Tum vero exſurgit ſtatus proficientium, in quo facile vitantur peccata mortalia ob paſſiones vitioſas ſubactas, & virtutes augentur: durat autem hic ſtatus quamdiu difficile vitantur venialia, quoniam temporalia adhuc delectant, & mens variis phantaſmatum formis luditur. Quãdo vero animus à temporalibus auulſus totum ſe cœleſtibus impendit incipit ſtatus Perfectorum, qui interna pace fruentes diuinis contemplandis amandiſq; vacant. Perfectio enim huius vitæ duo potiſſimum habet: vnum frequentem Dei & affectuoſam memoriam: alterum, peccatorum quamuis exilium diminutionem.

Hi ſtatus dum in hac vita mortali agimus non ita à ſe inuicem diſtincti ſunt, vt vnus de alterius conditione nihil participet. Dum enim ſumus in hac palæſtra, vlterius ſemper tendere poſſumus: hoſtes ſemper habemus, quib. vt nos opponamus eſt neceſſe: affectuum fibras ſubinde repullaſcẽtes recidere, ſtringere, aut amputare oportet. In via Dei ſi non progrediamur, regredimur ex communi ſapientum effato. Itaque & perfecti participant nonnihil de ſtatu incipientium: multo autem magis id ſentiunt proficientes: & incipientes nõnunquam, quod eſt peculiare Dei beneficium, perfectorum delitias ac ſuauitates guſtant. Quod adnotauit S. Bernardus ſermone de circumciſione Domini.

Porro tribus gradibus nominatis reſpondent tres actus hierarchici, ſeu tria angelorum munera Purgare, Illuminare, Perficere. Iiſdem S. Gregorius accommodat illa, quæ Chriſtus D. per parabolam dixit apud Marcum Euangeliſtam: terra primum fructificat herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum. Et S. Hieronymus: Ioannes Apoſtolus ſecundum merita filiorum ſuorum, profectuſque operum ſingulorum ſcribit ad paruulos, ſcribit ad iuuenes, ſcribit ad Patres. In paruulis, ſeu incipientibus, caritas contra peccata pugnat, & imperfectionum impedimenta tollit. In iuuenibus ſeu proficientibus virtutum diuerſarum ornatum parat. In Patribus ſeu Perfectis, poſt glorioſum de multiplici hoſte triumphum mentem gratiæ dotibus variis exornatam ſummo bono vnit.

*Tres actus hierarchici*

*S. Greg. lib. 22. moral. cap. 20.*

*Hier. epiſt. 139.*

Hinc tres viæ constituuntur, per quas magnis passibus iter facere concipiunt virtutis perfectæ studiosus. PRIMA dicitur PVRGATIVA, quæ propria est incipientium, qui quos contraxerunt in anteacta vita næuos, lacrimis, ac seria pœnitentia purgant. Hæc via tendit ad præparandam animam, tum ad remissionem peccatorum commissorum, tum ad sanctificationem perfectam: tum ad satisfactionē pro culpis commissis: tum ad comprimendos affectuum impetus. Quocirca versantur huius viæ homines in actibus compunctionis, ad quos eliciendos conducunt meditationes de peccatis, de iustitia diuina, de hominis nouissimis.

SECVNDA vocatur ILLVMINATIVA, in qua diuinæ gratiæ lumen, peccatorum iam caligine discussa, virtutis solitæ splendore mentem proficientium illustrat. In hac via proprie renditur ad virtutum profectum, ac singularem passionum moderationem, quæ nō tantum in grauioribus peccatis vitandis, sed in leuioribus quoq; minuendis, ac in virtutib. exercendis facilitatem præbeat. Itaq; in hac via proficientes toti sunt, in virtutum solidarum vsu: ad quem conferunt Christi ac Sanctorum exempla, de quibus meditationes instituuntur.

TERTIA nuncupatur VNITIVA, in qua perfectorum animus ad summa euectus, arcano nexu cum Deo, summo videlicet Bono iungitur. Officia huius viæ sunt ea omnia, quib. Deo mēs pura vnitur: inter quæ eminet amor ecstaticus, & adfectus, qui illum comitantur, quibus exercendis maxime occupatur perfectus, qui admiranda pace, ac tranquillitate animi cum gaudio spirituali perfruens in Dei contemplatione, & simplici quodam intuitione conquiescit.

Agunt de his vijs, statibus, & gradibus, præter Mysticos Scholastici cum S. Thoma SS[dæ] quæst. 24. artic. 9. Et ante hunc Alensis quarta parte q. 26. memb. 1. art. 1. vbi nominat statum Pœnitentiæ, Iustitiæ, & Perfectionis quæ sunt huius vitæ, quibus addit quartum, Iustitiæ consummatæ, qui status est vitæ alterius. His ita constitutis, Sit

## PRIMA DISQVISITIO. Ad quem caritatis gradum, siue statum, & viam Theologia Mystica pertineat?

RESPONDEO. Pertinere proprie ad tertium: seu ad viam vnitiuam, & statum perfectorum habentium caritatem omnibus huius

ius vitæ numeris absolutam. Probatur, quia operationes Theologiæ Mysticæ, & supremi status caritatis, ac viæ vnitiuæ sunt plane eædem. Officium Theologiæ Mysticæ est cognitio contemplatiua & sapida Dei per diuinam vnionem elicita. Seu, vt habet Dionysius Carthusianus. Experimentalis cognitio Dei per vnitiuum complexum amoris dum ei supremus affectiuæ apex per amorem vnitur ardentem. Seu, vt quidam alii apud eundem definiunt: Anagogica, aut superductiua motio, eleuatio, vel defixio mentis in Deum per purum feruidumq; amorem. Sed hæ ipsæ sunt functiones perfectorum, ac viæ vnitiuæ. *Lib. de fonte lucis art. 13.*

Quare apposite Dionysius libr. de Fonte lucis artic. 13. Theologiam Mysticam vocat sapientiam vnitiuam, quam dicit non esse nisi in viris heroicis ac perfectis, quos ipsa efficit consiliarios omnipotentis. Et in caput V. Areopagitæ de Mystica Theologia, distinguit in dono sapientiæ, sicut in caritate tres gradus, & in tertio Theologiam Mysticam collocat, seu potius idem cum Theologia Mystica asserit esse. Quemadmodum, inquit, triplex est gradus caritatis, ita & sapientiæ, quæ est donum Spiritus Sancti: & secundum gradum suum tertium, ac supremum est ipsa Mystica Theologia. Addit vero: Cum Mystica Theologia sit donum sapientiæ secundum gradum suum supremum non inuenitur proprie nisi in personis PERFECTIS, qui per exercitia viæ purgatiuæ ad viam perfectiuam, & vnitiuam perducti sunt. Hinc communiter fertur, quod Mystica Theologia consistat in vnione cum Deo per ardentissimum caritatis ardorem: in tantum, quód Henricus de Palma libr. de triplici via, asseruit, quod vnio illa amoris intuitionem, seu cognitionem intellectus præcedit.

Docuerunt idem antiquiores Patres. Insignis est locus S. Gregorii lib. 6. Moral. capit. 24. dum exponit illa Iob. capite V. *Ingredieris in abundantia sepulchrum.* Per sepulchrum enim contemplatiuam vitam intelligit, quam tunc dicit in abundantia ingredi hominem, quãdo in pace habet tabernaculum suum: nimirum, quando corporis passiones perfecte habet domitas. Ob quam caussam Homilia 14. in Ezechielem fuse ostendit, prius necessarium esse per vitam actiuam in virtute perfici, quam valeat quispiam contemplationis dulcedinem degustare.

Assonat his Bernardus tùm alibi, tum sermone III. de Circumcisione: vbi postq iam de exercitio sapientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum copiose disputauit, tandem subjungit: Iam vero; cum in his diutius fueris exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumẽ, diem serenissimum, & sabbatum mentis, in quo, tanquam emeritus

miles in laboribus vniuersis viuas absque labore, dilatato nimirum corde cūrrens viam mandatorum Dei: vt quod prius cum amaritudine & coactione tui spiritus faciebas: de cetero iā cum summa dulcedine peragas & delectatione. Hanc nisi fallor, gratiam petebat, qui
*Psal.38.* ait, Remitte mihi, vt refrigerer. Ac si d cat: quousq; in labore, & dolore isto crucior & morte afficior tota die? Remitte mihi vt refrigerer. Verum & ad hanc quidem perfectionem, pauci nisi fallor perueniunt in hac vita.

Pulchra sunt in hac re monita Ioannis Gersonis opusc. de Monte contemplationis, signate in cap.17. postquam enim distinxisset in scala contemplationis tres gradus, scilicet, humilem pœnitentiam: locum secretum, seu silentium, & fortem perseuerantiam, monet, primum gradum pertinere ad statum incipientium. *Qui autem*, inquit, *ante pœnitentiam talem, aut sine labore huiusmodi repente vellet vti perfecta vita contemplatiua, hic seduceretur, & compararetur volenti vno saltu montem altum conscendere. Ideo dicit B. Gregorius, aliique Sancti, quod vita actiua, quæ sita est in laboribus, & afflictionibus corporalibus debet assumi ante contemplationem tanquam aptans viam pro illa. De quo habetur figura in Iacob, qui seruiuit pro Rachel repræsentante vitam contemplatiuam: prius tamen ei supponebatur Lia soror, per quam vita actiua designatur.*

Ex quo infert Gerson, errare iuuenes, & magnos in vita anteacta peccatores, qui nondum affectibus domitis, & mortificata carne Theologiam Mysticam se adepturos, & contemplationis delitias se gustaturos existimant.

Quamobrem sapienter Alensis loco superius indicato, trium illorum statuum hominibus totidem orationum genera adscribit, vt ostendat contemplationem mysticam nonnisi perfectos concernere. Itaque primi status sectatoribus putat conuenire, quod habet D. Gregorius lib.33. Moral. ca.17. *Veraciter orare, est amarus in compunctione gemitus, & non composita verba resonare.* Quo respicit S. Papa ad peccatorum considerationem, qui in primo statu esse debet frequēs. Siquidem *Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur.* Aliam orationis descriptionem eidem statui accommodatam habet Hugo lib. de virtute orandi: *Oratio est deuotio ex compunctione procedens; Deuotio autem est pius & humilis affectus in* DEVM *ex compunctione procedens.* Quæ descriptio habet respectum ad Dei misericordiam, quæ meditatione in primo statu est pensanda, vt animus sibi diffidens in Dei benignitate spem suam collocet.

Ad secundum statum proficientium accommodat orationis genus, quod ibidem describit Hugo: *Oratio est conuersio ad Deum per*

*pium*

*pium & humilem affectum fide, & spe & caritate subnixa.* Addit ēt aliam ex Augustino: *Oratio est inquisitio rerum inuisibilium.* Quæ quidem inquisitio spectat maxime ad viam illuminatiuam: & non est, vt obseruat Abulensis pure speculatiua, sed practica, ordinata ad accedendum affectum in desiderio virtutis & oratione circa ea, quæ ad eius profectum pertinent quod conuenit viæ illuminatiuæ.

Tertio statui, qui continet viam vnitiuam adscribitur contemplatio, cui competit descriptio orationis, vel eius elogium, quod habet S. Ambros. *Oratio est cibus mentis, praeclaraque alimonia suauitatis, quæ membra non onerat, sed in ornamenta conuertit.* Item definitio, quam texit S. Bernardus serm. ad fratres de monte: *Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia alloquutio, & statio illuminatæ mētis ad fruendum quandiu licet.* Probat hanc maxime Alensis scribitque conuenire etiam posse orationi, quæ est status iustitiæ consummatæ, quatenus nimirum is in hac vita reperiri potest.

Ex his constat, quæ contemplatio propria sit perfectorum, nimirum, quæ est tertij status, seu viæ vnitiuæ, quæ per modum habitus exercetur, & non tantum quasi in transitu. Hæc enim postulat, magnam animi tranquillitatem, adfectus sedatos & compressos: denique, intimam cum Deo familiaritatem, quæ non sunt, nisi Perfectorum.

## SECVNDA DISQVISITIO. An omnibus in statu perfectorum constitutis, & viæ vnitiuæ hominibus communicetur Theologia Mystica? Et consequenter an perfecta contemplatio mystica omnibus statum incipientium & proficientium transgressis conueniat.

RESPONDEO: Negatiuè. Contingit enim nonnunquam Dei iudicio, & singulari prouidentia, vt negetur quibusdam caritatis eximiæ viris ac in perfectionis gradu constitutis contemplationis illius suauitas. Quod monet S. Bernardus, & ne propterea animo deiiciātur, consolatiunculam adiicit. *Multi,* inquit, *tota vita sua ad hoc tendunt, sed nunquam pertendunt, quibus tamen si pie, & perseueranter conati sunt, statim vt de corpore exeunt, redditur, quod in hac vita dispensatorie est negatum illuc perducente eos sola gratia, quo prius tendebant ipsi cum gratia.* Ser. III. de circumcis.

Caussa etiam aliqua cur magnæ perfectionis viri nonnulli ca-

reant contemplandi eximia facultate esse potest subiecti dispositio, & naturalis incapacitas. Quam licet Deus emendare possit ac tollere singulari quodam suo influxu ordinarie tamen accómodare se solet, etiam in his talibus hominum capacitati & complexioni. Quod prudenter è Scholasticis monet Franciscus Suarez Tom. 11. de relig. lib. 11. cap. 11.

## Tertia Disqvisitio. An in nullo sit Theologia Mystica, qui ad viam vnitiuam non peruenerit?

Respondeo: Negatiue. Aliquibus enim singulari Dei fauore, ipso conuersionis initio sapientiæ donum obtingit, non solum, quo ad habitum, nam is datur omnibus cum diuina gratia sed etiam quoad perfectissimas illius functiones. Est huius, qui superioris dicti auctor S. Bernardus Sermone nominato de circumcisione: vbi *Ad hanc*, inquit, *perfectionem pauci, ni fallor, perueniunt in hac vita: neque enim si quis aliquando videtur hanc habere continuo credat sibi necesse est, maxime si nouitius est, nec per præfatos ascendit gradus. Pius enim Dominus noster* IESVS CHRISTVS, *pusillos corde blanditiis talibus solet allicere, sed nouerint, qui huiusmodi sunt gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam.*

Bernardum in hoc assectatur, magisterio Theologiæ Mysticæ nobilis, & multorum in schola affectus institutor Calaguritanus, cui idcirco merito fides habenda; sapientissimus inquit Deus ita vias has studiaque diremit, vt tyrones interdum veteranorum prærogatiuis exornet, & suauissimo diuinæ contemplationis blandimento permulceat, ne forte obiecta virtutis arduitate ac tentationum pressura territi ab incœpto resiliant. Quemadmodum è contrario perfectiores animas acerrimis sæpe tentamentis finit infestari, ne extollantur. Propterea quippe Apostolum Christianæ perfectionis absolutum numeris, improbus carnis stimulus tam violéter angebat, ne magnitudo reuelationum eum efferret. Cum enim quis quantumuis perfectus cernit se incipientium molestijs obsideri, seipsum quasi nullius meriti deprimit: & tanquam iter longum peracturus, laborat impensius, proficitq; felicius.

Ob hanc caussam singulari Dei prouidentia fit, vt in perfectis quoq; semper aliquid supersit quod expietur, & purgatione indigeat. *Sic* nimirum (vt Bernardus loquitur) *conseruandæ humilitatis gratia diuina solet pietas ordinare, vt quanto quis plus proficit, eo minus se reputet profecisse.*

*Ber ser. de quatuor modu orandi.*

*cisse. Nam & vsque ad supremum spiritualis exercitij gradum, si quis eo vsq; peruenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur vt vix sibi primum videatur adeptus.*

E contrario autem incipientibus interdum conceditur liberaliter participatio aliqua contemplationis & Theologiæ Mysticæ, ex peculiari quidem gratia, sed vt existimat Suarez, ordinaria, si ipsi faciant, quod in ipsis est. Edicit autem idem, se non opinari esse alienum à primo illo incipientium statu, quod interdum ex instituto, & industria in actibus vitæ contemplatiuæ exerceantur: multo autem magis hoc conuenire. *Primo:* quia omnes frequenter exerceri debent in actibus diuini amoris perfectis, quantum potuerint: quia licet amor diuinus sit bonorum omnium consummatio, est tamen etiam omnium fons & origo: ita vt ipsamet peccatoris conuersio ab amore incipere debeat si sit perfecta. Amor autem per se pertinet ad viam vnitiuam. *Secundo*: quia suauitas deuotionis in omni statu vtilissima est: hanc autem generat amor, maxime excellens. *Tertio:* ex parte intellectus vtile est non semper esse in continuo quasi motu, sed paulatim quiescere veritatem ipsam inspiciendo, ponderando, admirando: sic enim excitatur affectus. Hæc autem est contemplationis inchoatio, & quanto amplius ita proficitur, tanto maior est contemplationis participatio. *Tom. 11. de relig. li. 11. cap. 111.*

Est tamen hic obseruandum: posse contingere, vt qui non dum satis domitis affectibus, aut euulsis vitiorum radicibus adhuc in via purgatiua, vel illuminatiua existentes altissimarum rerum contemplationi se dant, vt Mystici solent, non eum, quem perfecti fructum reportent, imo detrimenti nonnihil capiant, & effectum plane contrarium ei quem Theologia Mystica postulat assequantur. Nimirum, si inde concipiant bonam de se, quod sublimia speculentur, opinionem: de eo vero, qui res simplices, nec ita reconditas rimetur æstimationem viliorem: aut peruicax in decernendo iudicium, vel obfirmatum, ad spirituales, quibus mens in contemplatione Mystica perfunditur voluptates continuo fruendas, animum. Hæc namque omnia, in vita præsertim actuosa, vel mixta parem & obedientiæ iniuriam, & animorum zelo inferunt detrimentum.

Est hæc obseruatio sapientissimi Patris Claudii Aquauiuæ in epistola de orationis, & pœnitentiarum vsu in societate. Qui etiam monet, huius notæ homines, non vt contemplatiuos, sed, vt certissimis aduersarij laqueis irretitos contemplantes expediēdos esse: imo etiam interdum ab illa inani & falsa contemplatione segregandos, ac in viam reducendos.

Con-

Confirmat, quæ diximus longa & accurata disputatio S. Gregorii Papæ lib. 6. Moralium cap. 17. cuius superius facta mentio. Exponens enim illud Iobi 5. Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo. Sepulchri nomine ait intelligendam vitam contemplatiuam, quæ nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum à terrenis desideriis susceptos in intimis abscōdit. Actiuam etiam vitam sepulchrum esse, quia à prauis nos operibus mortuos tegit: contemplatiuam tamen perfectius sepelire, quia à cunctis mundi actionibus diuidit. Itaque primo edomandam esse carnem postea mentem per studia sanctæ operationis exercenda: tū ad secreta contemplationis progrediendum. Curandum igitur, vt non solum mens ad operationis latitudinem, verum etiam ad culmē contemplationis se extendat.

Notandum autem hic valde inter se diuersas esse conspersiones animorum. Nonnulli namque hominum, ita ociosæ mentis sunt, vt si eos labor occupationis excipiat in ipsa operis inchoatione succumbant. Et nonnulli ita inquieti sunt, vt si vacationem laboris habuerint grauius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacant. Vnde necesse est, vt nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim, qui contemplari Deum, quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt: & sæpe, qui occupati bene humanis vsibus viuerent, gladio suæ quietis extincti sunt. Hinc namque est, quod nonnulli inquieti spiritus dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, vsque ad peruersa dogmata erumpunt: & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt.

Hinc per semetipsum veritas dicit: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Duæ quippe vitæ, actiua videlicet & contemplatiua cum conseruantur in monte, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculus vita contemplatiua est: sinister actiua. Sed sunt nonnulli, vt diximus, qui discrete intueri summa, & spiritalia nequaquam possunt, & tamen alta contemplationis assumunt: atque idcirco in perfidiæ foueam intellectus praui errore delabuntur. Hos itaque contemplatiua vita, vltra vires adsumpta, cogit à veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat sola actiua custodire.

Quibus recte hoc quod præfati sumus, veritas dicit: Si oculus tuus

tuus dexter scandalizat te erue eum & proijce abs te: Bonum est tibi cum vno oculo vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Ac si aperte diceret. Cum ad contemplatiuam vitam idonea discretione non sufficit, solam securius actiuam tene: cumq; in hoc, quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto, quod pro minimo attendis: vt si per cõtemplatiuam vitam à veritatis agnitione compelleris cadere, regnum cœlorum per solam actiuam valeas saltem luscus intrare.

Hæc de subiecto remoto Theologiæ Mysticæ: nam de proximo actum est ex professo lib. 1. propria commentatione.

# COMMENTATIO III.

# OBIECTVM THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

## EXERCITATIO I.

### *OBIECTVM PRIMARIVM THEOlogiæ Mysticæ.*

#### PRIMA DISQVISITIO. Quodnam sit eius obiectum primarium?

RESPONDEO: Esse Deum Vnum Trinumque notitia contemplatiua cognitum. Qua loquendi modo designo Deum, tum quoad perfectiones omnes absolutas, seu attributa; tum quoad respectiuas, seu relationes, quibus constãt personæ: nam & hæ spectant ad obiectum primarium: vno verbo Deus secundum omnia, quæ in eo sunt formaliter. Probatur. Obiectum primarium Theologiæ Mysticæ est illud, circa quod præcipue & propter se versatur contemplatio mystica, quæ est illius actus præcipuus. At hæc versatur circa Deum Vnum & Trinum secundum omnia, quæ formaliter continet. Atque

ita S. Gregorius libr. 6. Moral. 26. ait in contemplatione præcipuum, quod Deus est, quæri.

## SECVNDA DISQVISITIO. Qua ratione Deus sit obiectum primarium Theologiæ Mysticæ?

RESPONDEO. Non esse qua pure intelligibilis est, sed qua amabilis & honorabilis: seu sub ratione non pure speculatiua, sed practica. Ratio: quia Theologiæ Mysticæ actus non est pure speculatiuus, sed practicus, itaque non sistit in Deo, quatenus tantum est intelligibilis, sed quatenus dignus amore, affectu, reuerentia. Cum enim finis contemplationis mysticæ sit vnio cum Deo, oportet, vt illum modo practico respiciat: quatenus scilicet Deus practice considerabilis est.

## TERTIA DISQVISITIO. An ad obiectum primarium Theologiæ Mysticæ spectet ipsa Dei essentia, & quo-modo?

RESPONDEO. Quod spectet, nullum potest esse dubium. Quomodo spectet, docet Bernardus lib. 5. de consolatione ad Eugen. vbi materiam contemplationis mysticæ latissime tractat. Inter cætera hæc suauissime occinit. Quid est Deus? Non sane occurrit melius, quam: Qui est. Qui est, misit me ad vos. Quid itē Deus? sine quo nihil est. Quid est Deus? Principium. Quid est Deus? cui secula non accesserunt, nec decesserunt, nec coæterna tamen. Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ipse vbi? Incomprehensibilis est Deus, antequam mundus fieret, prẹter ipsum nihil erat, ergo in seipso erat. Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest. Deus Trinitas est, Deus trium singula personarum. Quid est ergo Deus? quod ad vniuersum spectat, finis. Quod ad electionem, salus. Quod ad se, ipse nouit. Quid est Deus? voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, viuificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad beneuolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans

Exod. 3.

nans

nans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, Implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? Non minus pœna peruersorū, quam humilium gloria. Quid est Deus? longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Longitudo, æternitas: latitudo, caritas: sublimitas, potentia: profundum sapientia. Timore & amore affecta anima, velut quibusdam duobus brachijs comprehendit, amplectitur, stringit, tenet & ait: Tenui eum, nec dimittam. Et timor quidem sublimi, amor lato, longoq; respondet.

Idem Mellifluus Doctor sermone 62. in Cantica agens de contemplatione perfectorum, eius potissimum obiectum ponit Dei Majestatem, Æternitatem, Dignitatem, & incitat se ad contemplationis istius eminentiam. Nec verearis, inquit, illud, quod scriptura minatur scrutatoribus Maiestatis: tantum adfer purum & simplicem oculum non opprimeris à gloria, sed admitteris, nisi non Dei, sed tuam quæsieris gloriam. Hac excussa securi scrutemur in petra, qua thesauri absconditi sapientiæ & scientiæ sunt.

## QVARTA DISQVISITIO. An ad obiectum primarium spectent reliqua attributa Dei?

RESPOND. Adfirmate. Et quis ambigat? cum quicquid in simplicissima illa natura est, vel consideratur, Deus sit: nec perfectiones diuinæ aut inter se, aut à Deo, nisi modo considerandi nostro distinguantur. Agunt de his Theologi Scholastici, qui plurimam materiam contemplationi mysticæ suppeditant. ad quod conferunt nō parum Leonardi Lessij libri de perfectionibus & moribus Dei. Est etiam hac de re eximia ad inflammandum adfectum epistol. Claudij Aquauiuæ Generalis Societatis IESV, quam scripsit de renouatione spiritus & correspondentia cum Deo, in qua contemplanda proponit, & contemplationis modum ipse aperit, vel potius, altissimas suas, suauissimasque contemplationes stilo exprimit, de duodecim perfectionibus, quas inter innumeras, quæ in simplicissima Dei natura considerantur, maxime extollit.

Prima est Maiestas ac celsitudo, quæ abyssalem, vt loquitur, reuerentiam & timorem exigit.

Secunda immensitas ac præsentia vbique locorum, qua cum ipse sit intellectus & oculus nos actu semper considerans, nec exteriora tantum, sed etiam intima nostra, quibus ipse intimior est, accuratissime discernens, puritatem non vulgarem corporis & animi, & exquisitam in operibus diligentiam exigit.

Tertia naturale dominium in omnia, quæ creata sunt, quo Dominus dicitur Dominantium, Rex Regum, DEVS DEORVM, quippe non solum omnium Dominus: sed etiam fons omnis regni omnisque dominij. Hoc autem promptam ab hominibus obedientiam, integrumq;, ac maxime voluntarium seruitium requirit.

Quarta prouidentia, quæ cum nos assidue dirigat, nobis consulens, nos vocās, excitans, gubernās, admirabilem quandam in Deum confidentiam voluntatisq; ad omnia resignationem postulat.

Quinta beneficentia, qua nos tam beneuole ac solicite præuenit, quantam animi gratitudinem, ac beneficiorum agnitionem, & operum mutuam redditionem desiderant.

Sexta sapientia, quæ attentum omnino, & excitum discipulum erigit, vt & audiat soleiter, & apprehendat fideliter internum illius magisterium.

Septima pulchritudo, cui sacram quandam & ardentem concupiscentiam cum incredibili rerum omnium creatarum contemptu deberi facile videt, qui videt.

Octaua, suauitas & dulcedo, quam sanitas quędam palati, & gustatiuæ virtutis percipiat, necesse est. Quæ idcirco ab omni terreno sapore, qui eam inficere possit, repurganda est accurate.

Nona liberalitas, quę perseuerantem petitionum constantiam, imo vero importunam, vt ita dicam, & insatiabilem inducit, nec non impetrandi subnixam magnanimitate fiduciam.

Decima amor, quam perfectionem Mysticus potissimum contemplatur & suauissime, cum ad amorem reciprocum trahat dulciter, compellat fortiter, nec alio quam amore compensari possit.

Vndecima spiritualitas ac vitalitas. Est enim Deus purissimus spiritus & vita animę. Quod dum contemplatur Mysticus sentit se constringi, vt omni studio illi viuat, quo viuit: & vt vita, qua viuit, omnisque sensus, ac motus animæ à vitali hoc diuino spiritu procedat.

Duodecima finis ac centrum animę. Quam perfectionem dum consideratione subtili attentius rimatur Mysticus, liquido certe perspicit non modo in statu vitæ vniuersæ, sed etiam in particularibus actibus, in operibus, verbis & cogitationibus, semper in Deum non segniter, nec cum torpore tendendum. Quandoquidem rerum omnium perfectio, quam & motibus semper intendunt, in eo posita est, vt ad centrum, locumque suum perpetuo moueantur. Hæc pluribus, & ad pietatem admodum accommodate deducit Claudius Aquauiua.

Cuius

Cuius in Theologia Mystica optimus discipulus Bernardus Rossignolius, quem in adfectuum Schola Magistrum bona mea sorte habui iuuenis, vbi de contemplatione præscribit libr. 5. de disciplina Christianæ perfectionis obiectum hoc primarium variè à contemplatore tractari posse docet, & modos aliquot suggerit. Primus est, si Scholasticorũ more in attributa feratur. V. C. Deus est ens necessarium, à se vnum summum, maximum. Est ipsum esse: & quia tale est substantia infinite perfecta, ac ideo maxime perfectus, imo infinitæ perfectionis: quare simplicissimus, immutabilis, æternus, immensus, incomprehensibilis, vbique præsens: ob eandem summam perfectionem vita viuens intellectuali, & felicissima, omnia sciens, libertate præditus voluntatis, quod spectat ad res, quæ extra ipsum sunt, potens quicquid vult facere, imo & omnipotens, prædestinans ad salutem æternam, quos elegit per gratiam: reprobans ad sempiternam pœnam, quos culpa condemnat. *Setii in Campania An. 1604. li. 5. ca. 17.*

Secundus est proponendo ob oculos, quæ de Deo Trino & Vno, Patre, Filio, ac Spiritu Sancto ex sacris litteris eliciuntur, & Symbolis Apostolico, ac Occumenicis continentur, præsertim S. Athanasij.

Tertius sententijs sacræ scripturæ, in quibus de Deo Trino & Vno contemplando inhærendo.

At fusissime obiectum hoc contemplationis mysticæ dilatat Iacobus Aluarez de pac. tom. III. operum spiritualium li. III. parte III. quæ continet materiam orationis perfectorum, per quos intelligit Mysticæ Theologiæ studiosos in via vnitiua constitutos, qui virtutibus moralib. in optimo gradu adquisitis, & magna puritate mentis adepta idonei sunt ad osculum oris, & ad magnam sponsi familiaritatem admitti. Horum institutum est ad perfectam cum Deo vnionem amoris conscendere, ad quẽ scopum assidui sunt in contemplatione Deitatis, ac perfectionum diuinarum, quas omnino centum enumerat, & per decem decades distinguit.

Breuius Franciscus Borgia, & ipse Mysticæ Theologiæ, si quis alius, amans & exercitator, qui Thomæ Aquinatis summæ partem primam dum euoluebat, veluti litaniam ex singulis articulorum capitibus, attributisque diuinis conficiebat. *Andreas Schot li. 4. cap. 4.*

# EXERCITATIO II.

## OBIECTVM SECVNDARIVM Theologiæ Mysticæ.

### Prima Disqvisitio. Quod-nam sit obiectum eius secundarium?

RESPONDEO esse effectus omnes tam naturales, quam supernaturales à Deo effectore emanantes: sed Deum quoad omnia, quę in illo sunt eminenter. Probatur. Obiectum secundarium est id, ad quod se extendit Contemplatio Mystica & diuina. Hæc autem fertur in omnia prædicta. Ergo. Minor propositio continet sententiam contemplatiuorum, quam in hunc modum deducit Ioannes Cassianus collat. 1. cap. 15.

Contemplatio Dei multifarie concipitur. Nam Deus non sola incomprehensibilis illius substantiæ suæ admiratione cognoscitur: quod tamen in spe promissionis absconditum est: sed etiam creaturarum suarum magnitudine, vel æquitatis suæ consideratione, vel quotidianæ dispensationis auxilio peruidetur: quando scilicet, quæ cum sanctis suis per singulas generationes egerit, mente purissima perlustramus: cum potentiam ipsius, qua vniuersa gubernat, moderatur ac regit: cum immensitatem scientiæ eius, & oculum, quem secreta cordium latere non possunt, trementi corde miratur: cum arenam maris, vndarumque numerum dimensum ei cognitumque pauidi cogitamus: cũ pluuiarũ guttas, cum seculorum horas, ac dies, cũ præterita, futuraue vniuersa obstupescentes, scientiæ eius adsistere contemplamur: cum ineffabilem clementiam eius consideramus, quæ innumera flagitia, quæ singulis quibusque momentis sub ipsius committuntur aspectu, indefessa longanimitate sustentat: cum intuemur vocationem, qua nos, nullis præcedentibus meritis gratia suæ miserationis asciuit: cum denique quot occasiones salutis tribuit adoptandis, cum quodam admirationis intuemur excessu. Quod ita nos nasci præcepit vt ab ipsis incunabulis, gratia nobis, legisque suæ notitia traderetur: quod ipse aduersarium vincens in nobis pro solo bonæ voluntatis assensu, æterna beatitudine, ac perpetuis nos præmiis munerat: cum postremo dispensationẽ suę incarnationis pro nostra salute suscepit, ac mirabilia mysteriorum suorum in cunctis gentibus

tibus dilatauit. Sunt autem aliæ quoque huiusmodi contemplationes innumeræ, quæ pro qualitate vitæ, ac puritate cordis in nostris sensibus oriuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel conetur.

Obseruat autem bene Franciscus Suarez tom.11. de religione. l.11.de orat. Mentali cap.9.num.6.contemplationem,quam ipse vocat Theologicam,seu religiosam,quæ proprie est Theologiæ Mysticæ, differre in hoc à Philosophica contemplatione seu communi. Quod contemplatio late sumpta,seu Philosophica in quacunq; materia & veritate versari possit: atque ita Philosophia vocatur contemplatiua scientia, & aliæ similes. Theologica vero contemplatio solum circa Deum per se primo versetur, & secundario circa res diuinas,vel opera aut beneficia Dei, vel effectus, quatenus ad ipsius cognitionem conferunt.

Docet,quod diximus S. Thomas alio vtens loquendi modo ad rem suam accommodato.2.2 qu.180.art.4.quærens vtrum vita contemplatiua solum consistat in contemplatione Dei,an etiam in consideratione cuiuscunque veritatis? Respondet autem: Principaliter quidem ad vitam contemplatiuam pertinere contemplationem diuinæ veritatis: secundario autem, seu dispositiue contemplationem diuinorum effectuum. Contemplatio enim diuinæ veritatis est finis humanæ vitæ, & in ea consistit hominis felicitas. Nam vt vere dixit Augustinus lib.1. de Trinit.cap.8. contemplatione Dei promittitur nobis actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum: quæ quidem in vita futura erit perfecta, quando videbimus Deum facie ad faciem, vnde & perfecte beatos faciet. In hac autem vita est imperfecta,videlicet per speculum & in ænigmate. Vnde per eam fit quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, vt in futuro continuetur. Quia autem per creaturas,tanquam per effectus diuinos in Dei contemplationem manuducimur: Secundum illud ad Rom.1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: inde est, quod etiam contemplatio effectuum diuinorum secundario ad vitam contemplatiuam, & consequenter ad Theologiam Mysticam pertineat. Breuiter. Quia in hac vita Deum immediate, & in se contemplari non possumus per Mysticam Theologiam,ideo contemplari opera Dei,quatenus ad ipsum ducunt, secundario ad Theologiam Mysticam pertinet.

SECVN-

## SECVNDA DISQVISITIO. Quæ qualisq; creaturarum contemplatio spectet ad Mysticam?

RESPONDEO. Illam spectare, qua considerantur creaturę cum respectu ad Deum, quatenus intellectus per illas ad Dei intuitiũ nititur penetrare. Declaro. Trifariam potest quis in hac vita contemplari creaturas: siue illarum cognitionem ac notitiam quærere. Primo, vt in tali cognitione sistat, ac penitus conquiescat, non solum ex parte intellectus, quia nihil aliud cogitat, quam veritatem creatam: sed etiam ex parte voluntatis, non referentis illam notitiam in Deum, neque vllum alium finem vlteriorem. Et hæc non spectat ad Theologiam Mysticam, nisi valde remote, quatenus deseruire deinde potest, mutata voluntate, ad contemplationem Dei. Secundo, potest institui creaturarum contemplatio, ita vt, si intellectum spectes nihil ille altius & vlterius, quam creaturas speculetur: Si voluntatem, illa referat [illegible] notitiam ad Deum, siue vt maiorem postea de Deo cognitionem [illegible]atur, siue vt creaturarum notitia ad diuinum vtatur [illegible]

QVÆRES. [illegible] contemplatio creaturarum pertineat ad Theologiam M[illegible]

RESP. Non pertinere tanquam obiectum secundarium: quia per contemplationem mysticam intellectus nõ debet sistere in creatura sine ordine ad Deum.

DICES. Contemplatio ista pertinet ad vitam contemplatiuam. Ergo etiam ad Theologiam Mysticam. Antecedens sumitur ex S. Thoma 22. q. 179. art. 2. ad 3. vbi docet: omnia studia humanarum actionum, si ordinentur ad necessitatem præsentis vitæ secundum rationem rectam pertinere ad vitam actiuam, quæ per ordinatas actiones consulit necessitati vitæ præsentis. Si autem deseruiant concupiscentiæ cuicumque, pertinere ad vitam voluptuosam, quæ non continetur sub vita actiua. Humana vero studia, quæ ordinantur ad considerationem veritatis, pertinere ad vitam contemplatiuam.

RESPONDEO. Negando consequentiam. Ratio. Quia ad Theologiam Mysticam non pertinent proprie tanquam obiectum, nisi quæ subsunt contemplationi diuinæ, quales non sunt creaturæ sine relatione intellectus ad Deum: ad vitam autem contemplatiuam, vt est status distinctus à vita actiua, plura spectare possunt, omnia nimirum, quæ soli speculationi deseruiunt.

Tertio igitur, si contemplatio sit circa Dei opera cum habitudine

dine ad Deum, ad quem intellectus ascendit, vel ascendere nititur per huiusmodi considerationem: Est enim creaturarum series tanquam scala, per quam mens humana ad notitiam diuinitatis peruenit, tunc proprie est actus Theologiæ Mysticæ, atq; ita creaturæ sunt obiectum secundarium illius sapientiæ.

Ex his sumere licet discrimen, quod etiam notat Franciſc. Suarez Tomo 11. de relig. lib. 11. de oratione mentali. ca. 9. inter contemplationem mysticam, quam vocare possis religiosam & philosophicam, seu communem. Quod hæc in quacunque materia ac veritate versari possit. Quamobrem Philosophia vocatur contemplatiua scientia, sicut & aliæ similes: Theologica verò solum circa Deum versetur per se primò: & secundario circa res diuinas, vel opera, aut beneficia Dei, vel effectus, quatenus ad ipsius cognitionem conferunt.

In quem sensum S. Thomas II. 2. qu. 180. art. 4. dum exponit illud Psal. 138. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis, docet quæsiuisse Dauidem cognitionem operum Dei, vt per illam manuduceretur in Deum, quod est cõtemplatiui. Vnde alibi dicit. Meditatus sum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabor: expandi manus meas ad te. Nam vt rectè S. Augustinus li. de vera religione c. 29. Ne in consideratione creaturarũ vana & peritura curiositas exerceatur, gradus ex ijs ad immortalia & supermanentia faciendus est; ideo adiungit Propheta: Expandi manus meas ad te. Sic etiam dum Bernardus dicit lib. 5. de consideratione, quod prima contemplatio, sit admiratio Maiestatis: secunda iudiciorum Dei: tertia, beneficiorum ipsius: quarta promissorum. E quibus solum primum pertinere videtur ad diuinam veritatem, alia ad effectus, intelligendus est, quod ex consideratione diuinorum iudiciorum manuducatur homo in contemplationem diuinæ iustitiæ: ex consideratione autem diuinorum beneficiorum & promissorum manuducatur ad cognitionem diuinæ misericordiæ, seu bonitatis, tanquam per effectus exhibitos, vel exhibendos. Statuit autem Richardus Victorinus li. 1. de contemp. cap. 6. Sex gradus, quibus per creaturas in Dei contemplationem ascenditur, quas tanquam contemplationis diuersas species videtur distinguere. Prima est secundum solam imaginationem, dum attendimus res corporales: in hoc gradu est conceptio sensibilium. Secunda est in imaginatione secundum rationem. prout scilicet sensibilium ordinem & dispositionem consideramus: in hoc ponitur progressus à sensibilibus ad intelligibilia. Tertia est, in ratione secundum imaginationem: quando scilicet per inspectionem rerum visibilium ad inuisibilia subleuamur: in hoc ponitur diiu-

dicatio sensibilium secundum intelligibilia. Quarta est in ratione secundum rationem : quando scilicet animus intendit inuisibilibus, quæ imaginatio non nouit : In hoc gradu ponitur absoluta consideratio intelligibilium, in quæ per sensibilia peruenitur. Quinta est supra rationem, quando ex diuina reuelatione cognoscimus ea, quæ humana ratione comprehendi non possunt: in hoc ponitur contemplatio intelligibilium, quæ per sensibilia inueniri nequeunt, sed per rationem capi possunt. Sexta est supra rationem & præter rationem: quando scilicet ex diuina illuminatione cognoscimus ea, quæ humanæ rationi repugnare videntur, sicut ea, quæ dicuntur de Mysterio Trinitatis. In hoc ponitur consideratio intelligibilium, quę ratio nec inuenire, nec capere potest: quæ scilicet pertinent ad sublimem contemplationem diuinæ veritatis, in qua formaliter contemplatio perficitur.

Porro quamuis omnes veritates intellectum perficiant, vltima tamen est veritas diuina : aliæ autem veritates perficiunt solum intellectum in ordine ad veritatem diuinam. Ex his satis fieri potest

## TERTIÆ DISQVISITIONI. Quodnam sit discrimen inter Theologiam Scholasticam & Mysticam, cum versentur circa idem obiectum?

AGit fuse de hac re Ioannes Gerson in suis contemplationibus de Theol. Mystica speculatiua. Breuiter: *Primo*, quamuis obiectum materiale sit idem, differunt tamen plurimum formali: Scholastica enim spectat Deum & illius attributa, quoad veritatem cognoscibilem ex principiis fidei, euidenti consequentia deductam : Mystica, quoad bonitatem & amabilitatem. *Secundo*, cognitio Dei & diuinorum scholastica ad intellectum præcipue pertinet cuius obiectum est veritas. Mystica non tam cognitionem attendit, quam amorem, quo se Deo intime coniungat. *Tertio*, Scholastica hauritur in Gymnasio intellectus, ingenio, labore, exercitatione, disputationibus, inquisitionibus, ratiocinationibus, argumentis: Mystica in Schola affectus desideriis, oratione, affectuum mortificatione religionis, aliarumq; virtutum exercitationibus. *Quarto*, Scholastica præter indolem ad artes liberales accommodatam, postulat variarum scientiarum apparatum, quo mens ad capescendam doctrinam Theologicam aptatur:

tur: Mystica ânimam puram ac simplicem, quamuis artium aliarum rudem. *Quinto*, Scholastica, si sit in homine à virtutibus imparato, ore loquitur diuina scripturarum eloquia, & multa profundit, subtilia magis, quam fructuosa: Mystica, quamuis elinguis sit in idiota, nec sua possit exterius exprimere, sensum tamen diuinorum oraculorum rimatur acute, ac percipit plenissime. *Sexto*, Scholastica sæpe conceditur à Deo superbis, arrogantibus, aliisque vitiis deformatis, qui bonis quoque fortunæ abundare solent: Mystica, nisi sit apparens tantum, bonis solummodo & eximie Deo caris diuinitus tribuitur. *Septimo*, Scholastica deseruire potest vitiis ac vanis hominum desideriis: multi enim ea vtuntur ad honores, dignitates, opes aliaq; ab hominibus in precio haberi solita bona congerenda: Mystica non nisi virtutum adeptioni prodest, & solum per accidens ac valde remote ad malum referri potest, nec multo tempore.

Gerson. *Theologia speculatiua litteratoria, per hoc vel maxime à Mystica discernitur, quod prima seruire potest vitiis, secunda nequaquam, nisi per accidens valde, sicut, si contingeret abuti ipse, vel fide. Hanc differentiam, quæ est ex possidentis qualitate breui verbo complexus est Apostolus dicens: Scientia inflat, caritas autem ædificat. Rursum ipse ad Timotheum loquens de homine nō adquiescente ei, qui secundum pietatem est doctrina, dicit, quod sit superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum inutiles, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, quia veritate priuati sunt.* Consid. 32.

Hæc Mystico non conueniunt, cuius scientia quam sit expetenda, ex proxime sequenti commentatione intelliges.

# COMMENTATIO IV.

# VTILITAS THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

INFINITVM esset recensere fructus omnes, quos parit Theologia Mystica, & quam sit vtile illi operam dare. Quicquid enim de orationis, meditationis, ac perfectæ contemplationis commodis, quicquid de quietis & tranquillitatis internæ dulcedine, denique, quicquid de vnionis cum Deo, eiusque familiaritatis, ac amicitiæ emolumentis dici potest ad hunc locum spectat, cum omnia hæc, aliaque

non pauca Theologia Mystica complectatur. Cuius idcirco Encomium texere non aggrediar: sed quanti illam alij nonnulli in Scholastica æque ac Mystica exercitatissimi fecerint, & quam putauerint fructuosam breuiter indicabo.

Agmen ducat Ioannes Gerson, cuius sunt vtiles tractatus de Theologia Mystica, qua speculatiua, qua practica. Is hac scientia dicit *nullam sublimiorem, nullam diuiniorem: sed nec vllam quæri posse difficiliorem, sicut nulla*, inquit, *potest salubrior reperiri*. Integra deinde consideratione ostendit, quam sit Scholasticis Doctoribus fructuosa eadem disciplina: siue, vt in iis ingeneretur paullatim amor erga res diuinas, & ardor experiendi ea, quæ sola interim fide tenent, ac quæ docta ratiocinatione spinose ipsi disputant: siue, vt dirigere possint homines minus acutos, & scientes in rebus ad contemplationem, & intimam cum DEO coniunctionem pertinentibus, quod non fit absque cognitione Theologiæ Mysticæ. Alibi idem miris illam encomijs celebrat, & exornat titulis, qui varias vtilitates indicant. Vocat illam, Scholam religionis, vel amoris: supremam, ac perfectissimam notitiam: caritatem, quæ ædificat: cum scientia omnis alia inflet: Sapientiam de sursum descendentem, & Iacobi Apostoli commendatione, pudicam, pacificam, modestam, suasibilem, bonis consentientem, plenam misericordia, & fructibus bonis, iudicantem sine æmulatione, & simulatione.

*Consid. 1. Theol. spec. Consid. 8.* — *Consid. 30.* — *Consid. 31.*

Gersonem imitatus è nostris, Iacobus Aluarez eadem fere commemorat, additq; nouum Theologiæ Symbolices Symbolum PALMAM. *Palma arbor est alta atque procera, stipitem quidem nudum habens, folia vero, ac fructus sursum ferens. Hoc modo Mystica Theologia, ad altissimam quamdam Dei cognitionem erigitur, & fructus plane cælestes, & Ecclesiæ vtiles profert, licet aspicientibus initia eius, quæ à secessione, & diuturnitate, ac abnegatione incipit, nuda, ac sterilis videatur. Rami palmæ sursum tendunt: Mystices radii, & sublimis illius contemplatio DEVM ipsum, ac diuina respiciunt. Illa radices altas habet, & firmiter in terra defixas, quæ corpus tantæ molis sustineant.* Mystica *magnam sui despicientiam in alumno, & profundissimam humilitatem in illius corde requirit, vt in experimento mirabilium donorum, & illustrationum superbire nesciat. Palma semper viret, & hiemem, ac ariditatem ignorat.* Mystica *virorem semper, aut consolationis aut sanctæ conuersationis custodit. Illa fructus dulcissimos, ac saluberrimos profert: hæc virtutes communes transilit, & supremos eorum gradus, tanquam fructus ferre contendit. Palma denique diuturnitate præeminet, & quasi sine defectu viuit. Ad eundem modum* mystica *bonis actionibus transeuntibus, ac deficientibus, quo-*

*quoniam & necessitates humanæ, quarum gratia exercentur, excident, in perpetuum manebit.* pluribus deinde de Palmæ huius pulchritudine eiusq; fructibus differit.

Sed nemo è recentioribus Mystices cultorib. id est felicius exequutus, quam Balthasar Aluarez. Cum enim significatum esset Generali Soc. IESV Præposito quosdam è Patribus non bene sentire de modo orandi ac contemplandi Aluarezij, qui timebant, ne forte illusio Satanæ transfigurãtis se in Angelum lucis homini contemplationi deditissimo imponeret, iussit præpositus vt orationis suæ rationem redderet: quod scripto fecit ipse in quo de fructibus contemplationis mysticæ copiose disputat.

IN eo ait sexdecim annis laborem se subiuisse instar arantis ac fructũ nõ colligentis: habuisse tunc se animũ pusillum, & angustum cor cum ingenti dolore, quod cerneret sibi deesse illa præsidia, quæ aliis abunde suppetebant: magno etiam desiderio orationis frequẽtandæ se flagrasse: noluisse tamen plus temporis orationi tribuere, quam obedientiæ, ac occupationum ratio permitteret. Elapsis autem sedecim annis, sensisse cordis mutationem admirandam. Tunc (inquit) cor meum mutatum ac dilatatum, à creaturis expeditum, & cum stupore quodam ei simili, quo beati affecti dicent in extremo iudicio: Quando te vidimus Domine omne bonum vidimus & satiati sumus. Hic itaque multa simul accepi. Imprimis veram opinionem & appretiationem preciosi, scientiamque illud à vili separandi. Hic inueni media satis apta, nec difficilia ad cœlum perueniendi, & me ipsum in congregatione quadam ad beatitudinem destinata conspexi. Hic nouam accepi notitiam, & intelligentiam veritatum, quibus anima iucunde alebatur, cuius finis erat quies & tranquillitas, ita vt penetrarem ad pectus vsque ipsius Dei, ex quo veritates illæ fluebant. Hic etiam subsidium accepi ad viuendum in cruce, in labore & probatione quam diu voluerit Deus. pusillanimitatem quoque ac timorem superuacaneum deposui. Hic mihi intelligentia data est facultatis spiritus interioris pro me & aliis: & ex tunc experiri cœpi vitam quandam interiorem à Deo mihi donatam, vt ab ipso dirigerer in rebus etiam minutioribus. *Invitat.* *Ier 15. 19.*

Hic solatium accepi, & leuamen in gubernatione, ne cura hæc traheret me totum post se, est enim liberæ, ac expeditæ cuiusdam voluntatis opus, inter multas & graues curas absq; vlla cura versari. Hic mihi datum fuit serio ingredi in meipsum, & simul infixa mihi, quasi ordinaria quædã corporalis Christi Domini cõpositio. Ex quo

Deus hanc mihi exhibuit misericordiam, oratio mea est, collocare me in eius præsentia, interne mihi & externe oblata, idq; permanenter per modum habitus cum eo exultandi.

Ita de fructib. contemplationis seu Theologiæ Mysticæ à Deo sibi cœlitus communicatæ disserit Balthasar Aluarez, qui pluribus deinde de iisdem agit, occurrens aduersariorum obiectionibus, & probans hanc doctrinam sanctissimorum Patrum ac Theologorum sententiis firmatam esse.

Illud etiam plurimum facit ad Mysticæ commendationem, quod contemplatio, quæ est præcipuum illius officium virtutis omnis sit instrumentum, eaque non magis ad prauum finem vti possit Theologus quam fide, aut aliis virtutibus Theologicis, quum Theologiam Scholasticam multi ad prauum vsum superbiæ, auaritię, ambitionis aliorumque vitiorum adhibeant. Quod discrimen inter vtramque Theologiam demonstrat Gerson opusculo de Theologia Mystica & Iacobus Aluarez tom. III. li. 5. de perfecta contemplatione, apud quem plura ad vtilitatem spectantia repeties.

# COMMENTATIO V.

# AVCTORES THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

PRIMVM in hoc ordine locum iure sibi vendicat, antiquitatis consensu, DIONYSIVS AREOPAGITA, quem secundum Apostolos, Princeps Theologiæ Mysticæ merito audit. Scripsit enim de hac disciplina luculentum volumen: & tot fere de eo tanquam summo Theologo extant Encomia, quot ex Patribus, Doctoribusque rum Scholasticis, tum Mysticis, ex illius fontibus in suos lucubrationum hortulos, riuos duxerunt, qui sunt plurimi.

Orat. 38. Ex antiquissimis, Gregorius Nazianzenus, scriptorem veterem nominat, qui præstabili quadam sapientia disputauerit, de Seraphinis, qui tabernaculum operiūt, & τρισάγιον magno animi ardore decantant. Scripsit enim Dionysius librum περὶ τῶν θείων ὕμνων cuius ipse meminit, sub finem capitis septimi de cœlesti hierarchia. *De diuinis hymnis.*

S. Ioannes Chrysostomus eleganter eum nominat πτερὸν

τοῦ

τοῦ ὑψηλοῦ, vt legitur in epistola Anastasij Bibliothecarii ad Carolum Caluum.

Anastasius Episcopus Antiochenus, dictus Sinaita, vir exquisitę eruditionis, & exemplar sanctitatis, vt auctor est Euagrius, illum indigitat celeberrimum rerum diuinarum Mystam, Apostolicum Dionysium. *In contempl. anagog. in Genes.*

D. Gregorius Magnus antiquum, venerandumque Patrem appellat. *Hom. 34. de dragma perdita.*

D. Ioannes Damascenus, quotiescumque Dionysij meminit, quod facit frequenter, vtitur honorifica præfatione, appellans illum, Diuinum Areopagitam: sanctissimum & eloquentissimum Dionysium. *orat. de fid. def.*

Secundum generale Concilium Niceæ celebratum anno septingentesimo vigesimo septimo sub Adriano Papa, citat eundem, & magnum Dionysium nuncupat. *Tom. II. Conc. II.*

Idem Adrianus Papa scribens ad Carolum Magnum, hominem dicit eum fuisse Apostolicum: à sanctissimo Gregorio, appellatum, antiquum Patrem, ac Doctorem: à sacris item Concilijs ac Decessoribus suis comprobata fuisse Dionysii opera: ex ijsdemque fuisse depromptas laudatasq; sententias. *Tom III. Conc. epist. III. c. 36.*

De Dionysio plura sunt recentium scriptorum præconia: illud minime omittendum Marsilij Ficini, nobilis æuo suo Philosophi. DIONYSII DEI numen Theologi veteres & Platonici separatarum mentium ecstasim, & excessum esse putant, quando partim amore natiuo, partim instigante Deo, naturalis intelligentiæ limites supergressæ, in amatum Deum mirabiliter transformantur, vbi nouo quodam nectaris haustu, & inæstimabili gaudio velut ebriæ (vt ita dixerim) debacchantur. Hoc genus Dionysiaco mero, Dionysius noster ebrius exultat passim: effundit ænigmata, concinit dithyrambos. Itaque, quam arduum est profundos eius sensus intelligentia penetrare tam difficile, miras verborum compositiones, & quasi orphicum dicendi characterem imitari, ac Latinis præsertim verbis exprimere. Idem profecto ad id facile consequendum necessarius omnino nobis diuinus est furor.

Simile fuit de Dionysio, illiusq; scriptis iudicium eruditissimi Billij, qui dicere solitus erat: opus Areopagiticum, & stylum tanti Doctoris adeo esse θεόπνευστον atque diuinum, vt si quotquot in Europa sunt acerrimo ingenio & grauioribus scientiis imbuti, in vnum coeant, & simile quidpiam meditentur, vix omni animi contentione

atque

priſtæ Vernaciæ virginis. Suſpicionem erroris dedit Rusbrochius, quod obſcure loquens de Vnione myſtica, inſinuet creaturam per vnionem cum Deo deſinere eſſe. Quod quomodo à Myſticis intelligatur ſuo loco declarauimus. Certe Rusbrochius ad deteſtationem illius erroris non ſemel aſſeruit, animam ſemper remanere animam. *verſic. Qu adhæret par. 8 de Myſt. Theo ſpecul. conſ 41.*

Vt latine legatur, fecit Laurentius Surius, qui illum vertit. Opera ſuperſunt aliqua digna vt inſpiciantur, & penſiculate voluantur, non ab omnibus. Nolim ea verſet tyro religioſus, nec quilibet è turba aſcetarum. illorum lectio virum requirit in ſpiritualibus exercitatum, prudentem, Myſtices non ignarum, Scholaſticę peritum, & ſpirituum diſcretione præditum.

Quæ magis placent, & poſſunt eſſe vſui, ſunt ſpeculum totius vitæ ſpiritualis: Speculum ſalutis æternæ: De ſeptem cuſtodijs: De ſeptem gradibus amoris. De præcipuis quibuſdam virtutibus. De nuptijs ſpiritualib. ſeu de ornatu ſpiritualium nuptiarum. Cuius voluminis duas primas partes cum non improbaſſet Ioan. Gerſon, laboremque illum oſtendiſſet non eſſe hominis idiotæ, quemadmodum nonnulli exiſtimabant; tertiam tamen partem prorſus repudiãdam, & reſcindendam (ſic loquitur) iudicauit: tum quod à doctrina ſana de beatitudine diſcrepet, quaſi Deus non ſit viſio, & claritas noſtra eſſentialis, ſed tantum obiectalis; tum quod de anima DEVM contẽplante plura tradat abſurda. Ita Gerſon cenſebat. Aliter Schonauienſis, qui longa epiſtola Gerſonem confutare conatur: cui breuiori reſpondet Gerſon, docens in loquendi modis à Theologo circumſpectionem adhibendam.

Extat vita Rusbrochij eius operibus præfixa. De eodem agitur in vita Thomæ de Kempis: & impenſe eum laudat Dionyſ. Carthuſianus lib. III. de contemplatione cap. vltimo: & in Areopagitam de Myſtica Theol. cap. 5. art. 10.

IOANNES TAVLERVS. De hoc etiam acerba ſunt quorundam iudicia. Theologus fuit inſtituti Prædicatorũ in Vbiis, vbi Eccleſiaſten egit. Scripſit nonnulla à Myſticis ęſtimata. Sermones de interioris vitæ perfectione: Tractatus aliquot de virtutibus: Inſtitutiones: Epiſtolas varias. Cantica ſpiritualia. Eum acriter inſectatur Eckius, quem ſequuntur alij: contra quos illum defendit Ludouicus Bloſius Abbas Lætienſis in Apologia. Et Eckius quidem Somniatorem vocat Taulerum, & hæreſeos ſuſpicionem inijcit: ſed nihil adfert, vnde id probet. *An. 1350.*

Vide autem, quam diuerſum ſit Bloſij iudicium. Taulerus, inquit is, Catholicæ fidei cultor integerrimus eſt. Ea quæ ſcripſit, ſana, &

referri possunt, qui Dionysii Theologiam Mysticam commentarijs scholiisue illustrarunt, vt

B. MAXIMVS Constantinopolitanus nobilis, de quo Baronius Tom. 8. Is tempore Honorij I. Pontificis Max. vixit, Confessor, Monachus, ac denique Martyr.

GEORGIVS PACHYMERIVS, qui claruit temporib. Michaelis Palæologi. Quare male Godefridus Tilmannus, qui Pachymerij Scholia in latinum vertit, scribit illum vixisse tempore Athanasii Patriarchæ Alexandrini.

AMBROSIVS CAMALDVLENSIS

RVPERTVS LINCONIENSIS

ALBERTVS MAGNVS.

HVGO VICTORINVS, siue, de S. Victore. Hic natione Saxo, Canonicus instituti Augustiniani, siue Regularis vt alij malunt, Abbas Cœnobij B. Victoris Parisiorum, vir humanarum, diuinarumq; literarum ornamentis cultissimus, & nemini æuo suo secundus, alter Augustinus habitus, quem sensuum abditorum speculatione, ac dicendi modis exprimere conatur. Multa scripsit, ad Theologiæ Mysticæ vsum accommodata. Quo maxime facit Liber de Arra animæ: Libri quinq; de Mystica Arca Noë. Liber de modo orandi: de meditatione animæ: de Claustro animæ: de amore sponsi & sponsæ.

RICHARDVS VICTORINVS, quem Henricus de Gandauo Clericum S. Victoris nominat, & virum religiosum: Sixtus autem Senensis Monachum & Priorem Cœnobij Victorini Parisiensis Ordinis Augustiniensium fuisse scribit. Vir fuit, vt idem affirmat, honestate conuersationis, & eruditionis doctrina cõspicuus, ingenio subtilis, & eloquio medius, inter Augustini argutiam, & Bernardi dulcedinem. Scripsit multa in diuinas Scripturas Mystici sensus opuscula, in quib. sensum erudit, affectum, & lectoris studium, ad maiora promouet, ac perducit. An. 1140. sub Conrado III.

Mysticę studiosum maxime erudiunt. Liber de Melchisedech, mystice compositus. De Sacrificio Abrahæ mystice. De Tabernaculo fœderis item mystice. De Templo Salomonis mystice. Commentarius in Canticum Canticorum, qui varias Cantici sententias hinc inde spiritualiter exponunt. Explanatio in Danielem mystica. Liber de duodecim Patriarchis sumpto themate ab hoc versu Psalmi: *Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* In eo docet, quasi expertus, qualiter ad contemplationis gratiam possit ascendere vitæ contemplatiuæ quilibet studiosus. Sed enim medullam Theologiæ Mysticæ continent libri sex de contemplatione quibus nihil in hoc genere legi

 accu-

tiam ad ſpiritualis vitæ inſtitutionem continent, Myſtices alumnis per quam vtiles, ſicut & epiſtolarum volumen, quod audie in religionis tyrocinio legimus, eoque profecimus.

CATHARINA BONONIENSIS. Digna eſt quæ hic nominetur tum ob vitam ex myſticæ præſcripto, & cum myſticis delitijs actam, tum ob libellum quem ipſa conſcripſit de ſibi reuelatis à Domino quem ab omnibus ad myſticæ decus aſpirantibus legi poſſe arbitror: continet enim ſapientiæ occultioris igniculos, quos in legentes ſpargit, & ad cœleſtia attollit. Caram Deo fuiſſe vel illud documento eſt, quod hodieque corpus illius extet integerrimum in Monaſterio Bononiæ vbi ducentę ac plures virgines vna ſapientiæ ſe cœleſti mancipatunt, & degunt communiter.

ANGELA DE FVLGINIO. Ad huius lectionem non omnes admiſerim. Sunt enim in eius libello vitam plane myſticam Matronæ exprimente multa, quæ præcipitem dare poſſunt minus cautum. Loquitur ſæpe de rebus quas experta fuit in Raptu, vel Ecſtaſi obſcure, contorte, dure. Quid dicere velit, non ſemper exprimit nec poteſt, vt fatetur frequenter: effata profert nonnunquam, ad quæ, ſi verba ſpectentur aures delicatę tinniant: quibuſq; vel Theologi vulneretur auditus. Poſſunt tamen omnia ſano ſenſu à Theologiæ Myſticæ magiſtris exponi.

GERTRVDA. Germana fuit gente; ſtirpe nobilis; profeſſione religioſa, inſtituti S. Benedicti dignitate Abbatiſſa: ſanctitate illuſtris: Dei familiaritate, eximia: hinc illi ſapientia ex alto, quam præferunt libri ab illa conſcripti, myſtici ſenſus, quos è Germanico Latinos fecit Ioannes Lansbergius Carthuſianus. Legi poſſunt à viris in ſchola adfectus non omnino rudibus, maxime, exercitia ſpiritualia. Obiit An. 1290.

MECHTILDIS. Soror hæc erat Gertrudæ vno concepta vtero matris: ſed & religionis, monaſticam ab infantia profeſſa in cœnobio Helffræ in oppido Eiſlebio comitatus Mansfeldici. Agebat cum ſponſo cœleſti frequenter vt myſtices amatrix, & indulgebat illi liberaliter ſponſus, ſæpe ſe videndum offerens. Deniq; diuinitus hauſtam doctrinam & adfectus afflatuſque cœleſtes profert in libello de ſpirituali gratia, & reuelatione, cuius lectione aliquos ad ſapientiæ altioris amorem inflammatos ſcimus.

Ad hunc Catalogum ſpectant Virgines reuelationibus nobiles, quales, præter dictas,

ANGLIA, filia Regis Bohemiæ, ordinis Carmelitarum, quę ſcripſit reuelationes ante annos CCCC.

BRI-

possunt percipi,& facile vulgares in pietatis palæstra,& religione,in fraudem possent inducere. Italis tamen peculiariter placuisse videtur,qui illius sermones in Hetruscam linguam transfusos,auide perlegunt.

Henricvs Harphivs, quem Tritemius vocat *de Hierp.* In huius lectione maior est adhibenda cautela:nam periculum est maius inexpertis.Idcirco Theologia Mystica Harphij prohibetur in Indice Romano Pontificio, nisi repurgata fuerit ad exemplar illius, quæ Romæ impressa est ann. mdlxxxv. An.1470.

Fuit Harphius Ord.Minorum Theologus,& tres edidit libros Theologiæ Mysticæ, quos recognitos publici iuris fecit Bruno Loher, Carthusiæ Coloniensis Procurator, eosque dedicauit Ignatio Loiolæ tunc superstiti,ac Societati vniuersæ.Postea cum omnino videretur expedire vt opus altissimis refertum sensibus castigatius prodiret, & cautionibus præmunitum versari tutius posset manibus & oculis, id mandato Sedis Apostolicæ perfectum est. Addita est deinde introductio ad secundi libri doctrinam percipiendam necessaria Petri Blomouendæ Carthusiani, & Petri Pauli Philippij Theologi Ord.Prædicatorum, quam vt peruideant omnes antequam ad Harphij lectionem accedant necessarium iudico. Est enim loquendi modus illius contortus,figuratus à communi receptoq; in scholis abhorrens,quo incauti facile decipiuntur. Quod si in Mystica Theologia versatus ad lectionem illius accedat, fructum non mediocrem inde percipiet,multa enim habet Harphius, quæ alibi frustra quæsieris. Diuidit enim Theologiam Mysticam in tres omnino partes. An.1555. An.1585.

Prima continet diuini amoris spiritualiumque nuptiarum Epithalamium:quo Canticum Canticorum etiam exponitur.

Secvnda pars quæ inscribitur,Directorium aureum contemplatiuorum, disserit de vitæ actiuæ præparatione atq; ornatu. Item, de amabili ad Deum conuersione. Præterea,de contemplatione, atque ornatu vitę spiritualis supereminentis,& de ipsius dignitate,deque operatione SS^mæ^ Trinitatis in supremis animæ viribus.

Tertia pars titulum habet Eden,siue Paradisus Contemplatiuorum. hæc eadem continet, quæ pars superior, fusius tamen ac paulo planius confusione vitata.

Monet Philippus in nominata introductione absq; magno periculo legi nonnulla posse in secunda parte,illa nempe, quæ Auctor disserit, de vitandis murmurationib. de virtutibus moralibus consequendis,de donis Spiritus S.alia vero,quod ét sentio non esse omniũ, nec temporis exigui,vt omnia,quo sunt dictata spiritu,percipiantur.

fuit clare, & ſtylo fluente libello de illo titulo edito. Fuit Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Præpoſitus Generalis.

THOMAS à IESV. Eiuſdem religionis vir pius ac doctus, plurimum ad ſapientiæ arcanæ illuſtrationem contulit, tum libris ſex de contemplatione diuina: tum libris quatuor: de diuinæ orationis, ſiue à Deo infuſæ methodo, natura, gradu.

FRANCIS. SVAREZ. Huius ingenio diligētiaq; perfectum eſt, vt quid de contemplationis myſticæ natura, proprietatibus, perfectione ſentiendum ſit, & quo ſe humana mens per ſpeculationem eleuare poſſit, Scholaſticus ſecure pronunciet.

LVDOVICVS DE PONTE. Inter opuſcula ſpiritualia, quæ Ludouicus edidit, & omnibus perfectionem amantibus ſunt fructuoſa, vnum eſt de contemplatione, quod peculiariter ad Myſticum ſpectat, & eius diſciplinę, quā tradidimus, amantes ſuauiter manuducit.

BALTHASAR ALVAREZ. Hic ex Societatis IESV hominibus, ſi quis alius, diuino contemplationis dono diuinitus ornatus: quantum, quis grauibus licet gubernationis religioſæ curis diſtrictus familiaritati diuinæ dare poſſit cotidie, ac in vita etiam actiua Myſticen colere, exemplo oſtendit, imitatione dignus, ad quam Patris optimi vita typis expreſſa allicit.

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ. Nemo inter Auctores, qui de Myſtica ſcripſerunt fructuoſius legitur ab arcanæ ſapientiæ ſtudioſis. Quippe qui, apiculæ inſtar ſolertis, quicquid ex veterum, recentiorumq; hortulis decerpi potuit, delibando, ac congerendo, melleum ex ſelectiſſimis ſuccum confecit, quo abunde omnium altiſſimam diſciplinam ambientibus famem explere poſſit, libro integro, eoq; copioſiſſimo de perfecta contemplatione in lucem emiſſo. Tom. 3. li. 5.

QVONIAM Theologiæ Myſticæ arcana ex Areopagita ſe hauſiſſe fatentur omnes, qui de ea diſciplina ex Chriſtianis ſcripſerunt, quod & nos profitemur: operæ precium eſt ipſum Dionyſij contextu, ſubnectere: eumque emendatiſſimum quem exhibet noua editione Petrus Lanſſelius poſt accuratam exemplaris Græci cum MMSS. collationem.

# SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ EPISCOPI ATHENIENSIS AD TIMOTHEVM PONTIFICEM EPHESINVM

## DE MYSTICA THEOLOGIA LIBER

### CAP. I.

### *QVAE DIVINA SIT CALIGO?*

TRINITAS, essentia, diuinitate, ac bonitate superior & præstātior, Christianorũ Theologiæ dux, dirige nos ad ignotissimũ splendidissimũq; ac summũ mysticorũ scriptorũ diuinorũ cacumen, in quo simplicia & absoluta, immutabiliaque Theologiæ mysteria abstrusa sunt, præfulgente silentij obscura docentis caligine, quæ & eo quod obscurissimis tenebris offusum est, id quod est splendidissimum, maxima luce illustratum ostendit ac prodit, & eo quod tractari cerniq; penitus non potest, pulcherrimis splendorib. mentes, quæ aspectu carent, præter modum complet. Atque hæc quidem optauerim. Tu autem, Timothee clarissime, pro maxima mysticorum spectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte & sensus & mentis actiones, eaq; omnia, quæ & sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, teque ad eius, qui omnem essentiam omnemq; scientiam superat, coniunctionem & vnitatem pro virili parte ignorando excita. Libro enim solutoq; ac liquido à te ab omnib. discessu ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendes cum & omnia dempseris & ab omnibus solutus fueris & liber. Vide autem, ne quis eorum qui non sunt initiati sacris nostræ religionis, hæc audiat. Eos vero dico, qui in iis quæ sunt, commorantur, nec quidquam ijs quæ sunt, præstantius esse existimant, sed eum qui posuit tenebras latibulum suum, scientia sua se intelligere arbitrantur. Quod si hos superat diuinorum mysteriorum disciplina, quid dicendum est de ijs omnibus qui multo imperitiores sunt qui naturam illam, quæ omnibus antecellit, ex postremis etiam naturis effingunt, eamque nihil præstare censent,

sent, impijs varijsq; formis & simulachris quæ à se finguntur? Cum ei, vt causæ omnium ea etiam omnia, quæ in naturis dicuntur, tribuenda sint, eademq; omnia magis proprie ac verius non tribuenda sint, vt quæ omnia multum ac longe superet: nec putandæ sint negationes opposito nomine contrariæ esse affirmationibus, sed ipsa existimanda sit multo prior & antiquior priuationibus, cum omni & negationi & affirmationi antecellat. Hoc quidem modo diuinus Bartholomæus ait, & magnam esse Theologiam, & minimam: atq; Euangelium amplum & magnum, rursusque compendiarium. Quibus verbis illud mihi eximie intellexisse videtur, bonam omnium causam & multis verbis, & paucis, simul & nullis exprimi: quippe quæ nec rationem habeat, nec intelligentiam ac notitiam, quod omnibus singulari modo præstet, iisq; solis sine integumentis vereque colluceat, qui & immunda omnia, & munda transeunt omnemq; omnium sanctorum fastigiorum ascensum superant: & diuina omnia lumina, sonos, rationesq; cœlestes relinquunt, & in caliginem ingrediuntur, in qua reuera est, vt scripta diuina tradunt, is qui est supra omnia. Non enim frustra diuinus Moses mundari expiariq; primum ipse iubetur, rursusq; ab ijs qui non sunt eiusmodi, secerni, ac post omnem expiationem audit tubas, quæ multos sonos edebant, cernitq; multa lumina puros ac diffusos radios iacientia: deinde à multis secernitur, & cũ selectis sacerdotibus ad diuinorum graduum cacumen peruenit. atque in his, non cum Deo quidẽ versatur, videt tamen non ipsum (neque enim cerni potest) sed locum in quo stetit. Hoc autẽ mihi significare videtur, ea quæ diuinissima ac summa sunt, in ijs quæ cernuntur & intelliguntur, subiectas esse rationes eorum, quæ ei, qui omnia superat, subiecta sunt, quib. eius præsentia, quæ omnem cogitationem intelligentiamq; superat, & in spiritalibus sanctissimorum eius locorum cacuminibus insidet, ostenditur: tumq; demum, & ab ijs quæ cernuntur, & ab ijs, quæ cernũt, liberatur, & in vere mysticam ignorationis caliginem irrepit, in qua omnia cognitionis subsidia deponit, atq; in eo fit, qui penitus tractari viderique non potest, totus eius qui superat omnia, nec vllius, nec suus, nec alterius, sed ei qui omnino incognitus est, omnis cognitionis cessatione, præstantiore modo coniunctus: atque hoc ipso, quod nihil cognoscit, mentem etiam cognoscendo vincit ac superat.

## CAP. II.

### QVOMODO OPORTET ET CONIVNGI, ET LAVDES *tribuere Auctori omnium, & qui superat omnia.*

IN hac clarissima caligine esse optamus atq; aspectus priuatione & ignoratione cernere ac cognoscere eum qui omnem aspectum atque scientiam vincit, hoc ipso, quod minime videamus & sciamus. Hoc enim est reuera videre & cognoscere, eumq;, qui essentia superior ac præstantior est, diuino more laudare, omnium quę sunt negatione: vt ij qui natiuum signum faciunt, tollunt ea quæ obscurant & impediunt formæ latentis aspectum, ipsamque in se pulchritudinem quæ abstrusa est, explicant sola detractione. Sed mihi detractiones, siue negationes contra ac affirmationes laudandæ videntur. Illas enim à primis orsi, & ad extrema per media deuenietes, ponebamus: hic autem ab extremis ad prima & principalia ascendentes, omnia tollimus, vt sine integumētis cognoscamus ignorationem illam, quæ ab omnibus rebus, quæ scientia comprehenduntur, in ijs quæ sunt, occultata est, caliginemq; illam cernamus essentia superiorem, quæ ab omni, quæ in rebus inest, occulitur.

## CAP. III.

### QVAE AFFIRMANTES DE DEO ORATIONES, *quæ negantes?*

*Institutionum Theologicarum Dionysii summa.*

IN Theologicis quidem Institutionibus, ea quæ aientis Theologiæ maxime propria sunt, diximus: idest, quomodo diuina bonaq; natura vnica dicatur, quomodo trina: quodnam sit ex hac dictum Patris & Filij nomen: quid diuinum Spiritus S. nomen declaret: quomodo ex incorporeo & indiuiduo bono, in intimo corde bonitatis exorta sunt lumina: quomodo in eo, ac in seipsis & alia in aliis mansione (quę eiusdem est, cuius propagatio, æternitatis) non amissa permanserint: quomodo denique Iesus omni essentia maior & superior, veram humanæ naturæ essentiam acceperit, aliaq; omnia, quæ à scriptis diuinis enunciata in Theologicis Institutionibus celebrata sunt. In libro autem de diuinis nominibus, quomodo bonus appelletur, quomodo esse dicatur, quomodo vita, sapientia, vis, cæteraq; omnia, quæ sunt diuinorum nominum animo intellectorum. In Theologia vero, quæ in signis versatur, exposuimus, quæ sint ab ijs quæ sub sensum cadūt, ad diuina nominum traductiones, quæ diuinæ formæ, quæ figuræ diuinæ, partes, instrumenta: quæ diuina loca, qui ornatus: qui furores, quæ tristitiæ, irę, quæ ebrietates, crapulę: quod iusiurandum, quę maledictiones: qui somni, quæ vigiliæ: omnesq; aliæ effictæ formæ, quæ ad di-

*Libri de diuinis nominibus summa*

*Theologia quæ in signis versatur summa*

ad diuinam figurationem ſignificandi cauſa comparatam pertinent. Te etiam intellexiſſe arbitror, extrema pluribus verbis, quam prima exprimi. Etenim Theologicæ inſtitutiones, diuinorumq; nominum explanatio, breuiore ſermone, quam Theologia, quæ in ſignis verſatur, tractari debuerunt. Quo enim ad ſuperiora contendimus, eo magis verba aſpectu rerum, quæ ſub mentem cadunt, contrahuntur. Quemadmodum etiam hoc tempore in caliginem quæ mentem ſuperat, introeuntes, non breuem orationem, ſed ſilentium & intelligentiæ priuationem reperiemus. Atque ibi quidem à ſummo ad extremum delabens oratio, pro modo deſcenſus ad latitudinem ei reſpondentem porrigebatur: Nunc autem ab infimis ad ſummum aſcendens, pro modo & ratione aſcenſus contrahitur: atq; poſt omnem aſcenſum vnita erit & coniungetur cum eo, qui verbis exprimi non poteſt. Sed cur, inquies, à primo poſitis diuinis affirmationibus, ab vltimis incipimus diuinis adimere & negare? quia cum poſuimus & aſſeruimus id quod omnem affirmationem ſuperat, ab eo quod ei cognatius erat, affirmatio, quæ eſſe ponitur, ponenda fuit. Cum autē id detrahimus, quod omni detractione ac negatione ſuperius eſt, ab ijs, quæ ab illo remotiora ſunt, detrahi oportuit. An non magis Deus eſt vita & bonitas, quam aer ac lapis? magiſq; non crapulatur & non iraſcitur, quam non dicatur aut intelligatur?

## CAP. IV.

### NIHIL ESSE EORVM, QVAE SVB SENSVM CADVNT *Auctorem omnium, quæ percipiuntur ſenſibus.*

Dicimus ergo, cauſam omnium & quæ omnia ſuperat, nec eſſentia nec vita carere, nec rationis, nec mentis expertem eſſe: nec corpus eſſe, nec figuram, nec formam: nec qualitatem, nec quantitatem, nec magnitudine eſſe præditam: nec in loco eſſe, nec cerni, nec ſenſum tangendi habere, nec ſentire, nec ſub ſenſum cadere: nec ordinis vacuitatem habere, nec perturbationem à perturbationib. corporeis agitatam: nec imbecillam eſſe, opportunam incommodis quę accipiuntur ſenſibus: nec egere luce: nec mutationem aut interitum, aut diuiſionem, aut priuationem, aut fluxum, nec quicquam aliud eorum, quæ ſub ſenſum cadunt, vel eſſe vel habere.

## CAP. V.

### NIHIL ESSE EORVM, QVAE RATIONE INTELLIguntur *Auctorem omnium, quæ animo cernuntur.*

Rurſum aſcendentes, profitemur eundem nec animum eſſe, nec mentem, nec viſionem, aut opinionem, vel rationem, vel mentis

notionem habere, nec rationem esse, nec mentis perceptionem: nec dici nec intelligi: nec numerum esse, nec ordinem nec magnitudinē, nec paruitatem, nec æqualitatem, nec similitudinem, nec dissimilitudinem: nec stare, nec moueri, nec quiescere, nec vim habere, nec vim esse, nec lucem esse, nec vitam: nec essentiam esse, nec æternitatem, nec tempus, nec eius esse aut tactionem, quę mente fiat, aut scientiā: nec veritatem esse, nec regnum, nec sapientiam: neq; vnum, neq; vnitatem, neque diuinitatem aut bonitatem: nec spiritum esse, vt nos sciamus, nec Filij aut Patris rationem, nec aliquid eorum, quæ nobis aut cuiquam naturæ sunt cognita: nec quicquam esse eorum quæ non sunt, nec aliquid eorum quæ sunt: nec ea quæ sunt, eam noscere, quatenus est: neq; eam cognoscere ea quæ sunt qua ex parte sunt: neque eius rationem esse, neq; nomen, neque scientiam: nec eam tenebras esse, nec lucem: nec errorem nec veritatem: nec esse eius affirmationem omnino, nec negationem: sed eorum, quæ illam sequuntur, affirmationes negationesq; facientes, eam nec dicimus esse, nec negamus: quippe cum & omnem affirmationem superet perfecta illa & singularis causa omnium, & omni negatione superior sit præstātia eius, qui & ab omnibus omnino secretus est, & vniuersa multum superat?

PORRO, cum ex epistolis quibusdam Dionysij, non minus, quam ex libro eius tituli, Mysticæ Theologiæ abdita eruantur, ne quid desit ad nobilissimæ scientiæ complementum & illas adscribere haud piguit.

## DIONYSIVS AREOPAGITA CAIO MONACHO.

### EPIST. I.

TEnebræ luce fugantur, eoq; magis, quo lux maior est. Ignorationem scientiæ dispellunt, & magis maiores scientiæ. Hæc excellenter, non per priuationem accepta, verissime enuncia, quod lumen verum, seu subsistens, latet eos, qui ipsum habent, & quod quæ circa Deum versatur ignoratio, & quæ eius supereminent tenebræ, latent creaturarum cognitionem, tectæque sunt seu occultæ omni lumine, omnemq; scientiā fugiunt. Ac si quis est, qui viso Deo, id quod aspexit, intellexit, non eum vidit, sed aliquid ipsius, quod est & cognoscitur: ipse vero supra mentem, atq; omnem supra omnem substantiam sublimiter collocatus, hoc ipso, quod omnino neq; cognoscitur, neque est, & est excellentius quā essentia & eius notitia mentis captum longe superat: perfectaque in bonam partem ignoratio, notitia eius est, qui superat quæ noscuntur omnia.

EI-

## EIDEM CAIO MONACHO.

### Epist. II.

QVomodo is qui omnia superat etiam diuinitatis principium & bonitatis principium superat? si diuinitatem & bonitatem cogites ipsum bonos deosq; efficiens bonum, & imitationem, quæ sub imitationem non cadit, eius quod Deo bonoque superius est, quo & Dij & boni efficimur. Etenim si hoc ipsum donū, principium est, quo Dij bonique euadunt ij, qui fiunt dij ac boni: Is qui supra principium omnis principij, etiam sic nuncupatę deitati & bonitati, vti deitatis & bonitatis principio antecellit, quatenus inimitabilis, nec habetur, & imitationes & species, & res, quæ imitando exprimunt, & eos, qui eis participant, superat.

*Quomodo is qui omnia superat diuinitatem quoque ipsam & bonitatē superat.*

## DOROTHEO MINISTRO.

### Epist. V.

DIuina caligo est lux, ad quam aditus non patet, in qua Deus habitare dicitur, quæ quidem nec cerni potest præ excellenti claritate, nec adiri eadem, propter singularem diuini luminis effusionem. In hac versatur omnis qui dignus habitus est Deum nosse & videre, hoc ipso quod non cernit, neq; cognoscit, vere in eo aspectū & cognitionē superat, versans, atque hoc ipsum noscens, quod est supra omnia, & quæ sensu percipiuntur, & quæ ratione intelliguntur: dicitque illud Prophetæ, mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & nō potero ad eam. Vt etiam diuinus Paulus cognouisse Deum dicitur, cum eum cognouisset omnem intelligentiam cognitionemq; superantem: ob eamque causam & inuestigabiles eius vias esse dicit, & inscrutabilia eiusdem Iudicia, & munera inexplicabilia, & pacem omnem sensum superare, quasi eum qui omnibus antecelleret, inuenisset, eundemq; notitia, quæ mentis captum vinceret, cognouisset, quod superet omnia cum auctor omnium sit.

*Diuina caligo.*



FINIS.